




# Jacobus Brocardus In Apocalypsim.

<https://hdl.handle.net/1874/428696>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

BROCARDUS  
in  
localisat.


I 109

Pl. O N°. 18











Biblia et interpretes

Octavo n°. 111

Kast 109  
pl. O m. 18





I A C O B V S  
B R O C A R D V S  
I N A P O C A L Y P S I M.

PSAL. XXXIII.

IPSE dixit, & facta sunt: mandauit, &  
creata sunt.

(Ex donat. hab. à Birke)



L V G D V N I B A T A V O R V M,  
Apud Andream Schutenum, ANNO  
M. D. LXXX.



Л А Г О Б А

Б Р О А Р Д А

И Н В И Т А Т И

П

С



С П О С О В А Н И Е

С

С

# IACOBI BROCARDI IN APOCALYPSIM

## P R E F A T I O .



VI nuntiat futura, qui nuntianit ab initio nouissimum, & quæ nondum facta sunt; petit, ut si non antè, at his tādem nouissimis temporibus timeatur, sibiq; detur gloria, Isa. 46. Apocal. 14. Quandoquidem nullus unquam prater ipsum sit Deus, cui sacer cultus, & pura religio sit tribuenda. Est enim ille solus Deus, qui distinguit omnia tempora, nuntiat quæ sunt omnium temporum, efficit omnibus temporibus omnia, qui que creavit omnia, timendus, & colendus ab omnibus secundum eius prescriptum, & iussum. Et cum in toto Mose, ac in omnibus propè sacris libris hac ostenderimus, nunc videntur summatim repetenda, quæ sunt rerum denuntiata, & earundem effectarum, dum peruenimus ad interpretationē illius libri, in quo concluditur omnis Prophetia. Initum igitur & progressus Prophetia videtur ita ductus, ut in ipsa fabrica mundi, in ipsis creaturis, & opere suo, consignauerit Deus, quæ erat effecturus in mundo à primo tempore ad postremum tempus: ut monemur cap. 13. Matth. & Psal. 73. ubi Prophet a clamat: Aperiā in parabolis os meū, eructabo occulta à iactis fundamentis mundi. & in Isaia 48. ait ipse Dominus: Non in abscondito locutus sum: à tempore quo fuit ipsa prophetia, ibi eram. Hac nouit ille, qui prædicabat Euangeliū secundum revelationem mysterij absconditi à seculo,

zaciū à temporibus eternis ; atq; expectatur, ut patefiant toti Ecclesie. In primo homine statum futurum hominum nūtianit Deus : in eius creatione, in arbore vetito, in serpente, in tentatione, in semine promisso. quod nouit Apostolus, qui exposuit quæ sunt primi & secundi Adami: in unum locū conduxit Petrus octo iustitia præcones, in quibus significauit Deus status futuros mundi. quod patet in Enocho, & in Noë, ut alios præteream. cuius Noë opus renocat Petrus ad baptismum, et ad iudicium futurum, dum ait, nos seruatos in baptismo, ut olim cum Noë pauca anima in arca sublata aquis: atq; cælos, qui nunc sunt, esse repositos eodem verbo. In Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, item in his, qui post consecuti sunt, ministris Ecclesia & regni Dei, inq; eorum actis, recognouerunt futura & Propheta, & Evangelista, & Apostoli: ut nouit ille, qui dixit, omnia contigisse in figura Patribus. Id quoq; expectatur, ut patefiat toti Ecclesia. Moses pater Prophetarum in primis continet mysteria de Christo, & Ecclesia: quæ dixit Paulus fuisse abscondita à seculo: continet illa, quæ fuerunt umbra futurorum, corpus autem Christi: continet, quæ sunt primi aduentus Christi. quod repetebat saepè Christus Iudaicis, ut consuleret Scripturas, Mosem, & Prophetas, qui de se locuti fuissent: cōtinet historiam status Evangelij, & quæ sunt secundi aduentus Domini, ac iudicij: quæ sunt nouissimi temporis. De Prophetis nil dicam, nisi quæ attinent ad nouissima tempora, & ad iudicium: quòd ipsimet ita proponūt se acturos de aduentu Domini, de iudicio, & nouissimis diebus. Qui intercesserūt à Iacobo Patriarcha ad Mosem, à Mo- se ad Prophetas ministri Dei in suo populo, & alijs pauci:

pauci: item aduersarij inuenientur fuisse figura simili-  
 lum futurorum ipsi, & quæ scripta sunt de ipsis. In  
 apertione librorum inuenietur narratio operū secundi  
 aduentus Domini fuisse ab Euangelistis consignata  
 in narratione eorum, quæ fuerunt primi. Ut alia pre-  
 teream, quæ hic dicenda essent de magno Prophetæ  
**Christo Iesu;** inuenientur & Apostoli nuntiasse fu-  
 tura secundum prescriptum Propheticum: quod omne  
 verbum Dei à Spiritu sancto dictatum, debuerit con-  
 tinere Prophetiam, ut sit distinctum à verbo hominū,  
 & ab aliis scripturis. Post hec omnia dedit Deus  
 Apocalypsim, in qua quæ Moses, & Prophetæ scri-  
 pserunt de statu Euangelico, & de postremis tempo-  
 ribus, assumuntur, & certo ordine, eoque distincto, ex-  
 ponuntur. Nec arbitror fuisse illa negligenda, quæ post  
 Apostolos usq; ad nostra tempora singulis propè eta-  
 tibus multi nuntiarunt: quæq; nunc videmus euenire.  
 ut verū fuerit, non verbum Domini, non misericor-  
 diam Domini defuisse in generatione & in genera-  
 nem. Et cum hac fuerint hactenus propè omnia sensi-  
 bus nostris clausa, nunc agnus, qui claudit, & nemo  
 aperit; aperit, & nemo claudit; factis, ac euensis ipsis  
 patefacit, quæ tecta & obsignata diu manus nostræ  
 tractauerunt. Ut autem tempore eorum patefactio-  
 nis facilius à nobis perciperentur, dedit Deus Apo-  
 calypsim, in qua quæ in toto statu Euangeliū erant fu-  
 tura, consignauit. quorum historia est nobis veluti  
 ante oculos posita. ut dum queq; res euenit, illam in  
 Apocalypsi debuerimus notasse. quod quidem iam  
 diu quidam fecerunt certis in partibus. Hoc autem  
 tempore cum peruererimus ad apertione sexti sigilli,  
 & sextæ tubæ, ecce Apocalypsis probet se totam propè

nobis Apocalypsim, hoc est, librum apertum, & reclusum per euentia eorum, quae in eo erant denuntiata. qui liber dictus videtur Apocalypsis, si ob alias causas, etiam ob hanc, quod per ipsum ingressum, & aditum habeamus ad omnem Prophetiam, quae sit in sacris literis, & quam hic memoravi. quod in ipso illa (ut dixi) continetur, quae sunt in Mose, & Prophetis de statu Evangelico, & de postremis temporibus. imo vero sit conclusio, & comprehensio librorum sacrorum in his, quae ad prophetiam attinent: atque illos conducat ad finem operum Dei. Ut si compares caput primum Apocalypsis cum primo capite Genesis: quae sunt deinceps septem Ecclesiarum cum toto Genesi: quae secunda visionis capituli quarti cum statu Legis: quae quinti cum predicatione Evangelica: reliqua narrat statum Evangelicorum usque ad postrema tempora sumptum quoque ex Mose & Prophetis: inuenias hanc Apocalypsim assumere, & contrahere, & concludere omnem prophetiam. Quamobrem videmur omnes debere esse attenti in hac Apocalypsi, per quam cognoscamus quomodo in Evangelistis, & in Apostolis, & in Prophetis, & in Mose sint conscripta tempora futura, & nostra. Ab hac deinde cognitione ingrediamur ad alia, ad occulta consignata in fundamentis mundi; ad mysteria abscondita a seculis de Christo, & de Ecclesia, ad illa quae fuerunt umbra futurorum, quaeque contingebant patribus in figura; ad rationem illam, quae fuit Moses & Prophetarum nuntiandi futura: videamus cursum totius mundani seculi, consignatum in ipso calo, & in creaturis: historiam mundi propositam ab initio: consilium Dei in administratione mundi, maximè in suo populo. de quo consilio ait Deus Iere. 23. & 30: Tunc cognoscetis

cognoscetis consilium meum. Hac cùm sint magna, & maxime optabilia omnibus, etiam cognoscetur, et manibus ipsis tenebitur Deus aeternus, & verus, fabricator mundi, & effector omnium omnibus temporibus in ipso. Et hic videbitur esse apertio arce, in quam aspicere omnes optauimus. Cum ergo ad hac nos inducat liber Apocalypsis, per ipsa euenta rerum, quae in statu Euangelico extiterunt: atq[ue] horum maior pars visa fuerit, & paucar est: atq[ue] hec prospici possint a quoniam, qui qua hactenus acta sunt, aduerterit: omne studium in id videtur esse ponendum, ut cognoscamus, & sernemus quae in hoc libro scripta sunt: quod id agendo pronuntiemur beati, atq[ue] habeamus initia penetrandi ad mystica Prophetarum. Nec verò solum nostra causa conandum est, ut perueniamus ad cognitionem, & intelligentiam huius libri, sed & propter gentes, quae nobiscum vocantur nunc ad suscipiendū idem Euangelium, ut per illa quae egerit Christus in populo Christiano, & per euenta rerum denuntiatarum in omni prophetia, adducendi sint omnes vocati nunc ex gentibus, ut credat Euangeli. Ita enim preceptum est a Christo ut agamus, ubi ait Matt. 24: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuersa terra, in testimonium omnibus Gentibus. Nam quando libri aperientur, cogentur omnes gentes cognoscere Deum nostrum, & Christum Iesum Saluatorem: vanaque relinquere, Deum verum timere, dare illi gloriam, quod facere nos in primis iubemur. Unde cùm apud nos hoc tempore aperiantur libri, ut dicebam, & contendamus ad complementum eorum, quae scripta sunt, quisq[ue] nostrum, qui aliquid de re tam magna, et optabili vidit, videtur deberet ostendere idem

alius, cum quibus eorundem bonorum putat se fore  
participem. Scripsi ego qua percepit ex sacris Bibliis:  
& communicavi cum aliquibus piis viris, à quibus  
impulsus fui aliquid edere. Ac prius visum est Apo-  
calypsim esse proponēdam, quæ proprius tractat nostra;  
quæ est aditus ad alia: est veluti lucerna, cuius luce  
conficiantur alibi occultiora. Offero igitur Ecclesia  
quod Dominus dedit: offero omnibus Christianis, ut  
videant veritatem verbi Dei in Apocalypsi, visuri  
& in Mose deinceps, & in omnibus Prophetis, agno  
aperiente toto sigillo sexto, & septimo, et arca ipsa.  
Interea populus, qui nescit quidnam agatur hoc tem-  
pore, qui sibi videtur versari in obscuris tenebris, ha-  
beat lucem aliquam, qua finem malorum prospiciat,  
& spe sustentetur. qui non statuerunt pie vitam du-  
cere, videant indicium Dei, quod imminet generatim  
omnibus: gentes incipiunt audire, Deum verum, &  
cultum verum esse apud Christianos; qui nuntiarit  
ab initio futura, & singulis statibus que fuerunt sin-  
gularum etatum: & que nuntiavit, & ut nuntia-  
vit, omnia euenisce. ut iādem ubiqꝫ terrarum timea-  
tur Deus noster, deturqꝫ ei gloria. Et si non in omni-  
bus perfecta, & absoluta videbitur nostra interpre-  
ratio, nec nos id pollicemur. quod Dominus dat hoc  
tempore in crepusculo diei exhibemus: aderit dies,  
quando dabit Dominus omnia perfecta. Et si de Pa-  
pa, & Ecclesia Romana granis videbitur esse di-  
Erum in nostra interpretatione, aut ad ipsos non per-  
tinere: primum illud respondemus, Ioannem scripsisse  
historiam de Ecclesia, & statu Christiano: & cum  
Ecclesia Romana dominata sit tam diu, necesse est, ut  
de ipsa, & de Papa fuerit sermo: atqꝫ omnia, qua  
narrantur.

## P R A E F A T I O .

narrantur, conueniunt Ecclesia Romane, & non alteri. deinde quæ simul memorantur de principibus, et popularibus facientibus cum Ecclesia Romana; non omnes principes, non omnes populares voco in eadem reprehensionem: sed eos, qui injustè, & tyrannicè egerebunt: veritatem, & veritatem nuntiantes oppresserunt; atq; adeò veritatem cognitam oppugnarunt. nam omnibus temporibus fuerunt sub Papatu & principes Deum verentes, & populares pietatem contentes. Qui autem visi sunt reprehensi à Ioāne in hoc libro, videntur non debere conqueri: sed potius aduertere, quomodo omnia ordine exposuerit à suo tempore usq; ad nostrum: quomodo ut narravit, omnia euenerint. ut certè sciant, & quæ narrat deinceps futura, euentura quoq;. ut Babylon euertatur, dracones, & falsi prophetæ perdantur, Diabolus ejiciatur. Si iam hæc futura sunt, videamus quidnam potissimum proponatur nobis in hoc libro: atque audiamus Angelum illum, qui iam din voce magna clamat: Timete Deum, & date ei gloriam, nam uenit hora iudicij eius: & adorare eum, qui fecit celum, & terram, mare, & fontes aquarum.

ARGUMENTVM  
IN APOCALYPSIM.

**R**ACTAT Ioannes in Apocalypsi statum, qui fuit suo tempore Ecclesiæ; quiq; eōsecuturus erat pōstvarius usque ad innouatā Ecclesiam in secundo aduentu Domini , seu usque ad constitutum regnum Dei in statu tertio . nam sibi ea nuntianda mandabantur, quæ oporteret fieri citò:ea scribenda quæ erāt, & quæ futura erant, quæque viderat. Quod antem in his & præterita intelligēda sint, pōst videbimus. Antequām verò de his agatur , tres status populi Dei, & septem ætates Ecclesiæ cognoscendæ sunt. de quibus cap. 1. Gen. & alibi multis in locis dictū est , & dicetur in hoc libro. Status primus dicitur Patris, Circuncisionis, & Legi, secundus Filij, Baptismatis, & Euāgelij: tertius Spiritus sancti, Sabbathismi, & apertæ Prophetiæ. Ætates autem septem ita distinguemus : vt prima sit promissionis, (nam in Genesi tempus ante Abrahamū in aliud posuimus ordinem : quod tamen sua certa ratione aliquando in primam ætatem dicitur ) secunda Legis, tertia Prophetarum, quarta Christi, quinta Christianorum, qui fuerunt regnante Antichristo, sexta nouorum Prophetarum, septima secundi aduentus Domini nuntiati à Sauonarola, & cœptæ prædicationis eiusdem aduentus in Germania anno 1517. Et quoniam totum diuiditur in partes, atque pars in alias partes, partes quoque ducentur in numerum septenum. idque fit maximè ætate quarta,

quarta, quæ est primi aduentus Domini, & septima  
Spiritus sancti. Nam Ioannes à quarta ætate, quæ  
fuit Christi, incipit numerare septem secundi sta-  
tus Filij: ut prima sit Ecclesiæ Apostolicæ, secunda  
Martyrum, tertia cessationis persecutionū, quarta  
Christianorum fidelium orto Antichristo, quinta  
regni huius aucti tempore Pipini & Caroli magni,  
sexta nouorum Prophetarum nuntiatiū secun-  
dum aduentum Domini; septima cœpta est eluce-  
re ut aurora Lutherò innovante prædicationem  
Euangelicam. In statu autem ingrediente Spiritus  
sancti numerantur septem tempora, quæ ita distin-  
gui videntur: ut primū sit à prædicatione Lutheri  
vsque ad prædicationem confirmatam in Heluetia  
& Rhetia: secundū, & tertius distinguuntur secun-  
dum progressum prædicationis factum in aliis lo-  
cis, ut in Anglia, Dacia, & alibi. quartum peruenit  
ad perturbationē Gallicanam. Hæc quatuor tem-  
pora signata sunt à houis Prophetis in quatuor Pa-  
pis Angelicis, hoc est, prædicatoribus à Christo  
missis. Quæ distinctione temporis sumpta est à qua-  
tuor equis, quos describit Zacharias cap. i. Quin-  
tum ducitur ab ortis perturbationibus Gallicanis,  
vsque ad cædes vniuersales factas Euangelicorum  
in eadem prouincia: sextum ab his, vsque ad con-  
flictum exercituum, quando in densioribus nubi-  
bus cæli aderit Christus, qui cōuertat iudiciū con-  
tra Papistas, & constituat regnum Dei perseuera-  
turum deinceps semper. Ergo quemadmodum  
Moses ab Abraham ducit primam ætatem præ-  
sentis mundi, ita ducit Ioānes in prima visione: sed  
deinde ducit primam à Christo, & numerat septem  
vsque

usque ad septimam Mosis: item ingressum in septimam distinguit in septem tempora: ut tempus intra tempus ducatur, veluti rota in medio rotæ. Et hoc non sit, ut diuersum ordinem velit ducere à Mosaico. nam in prima visione, ut dixi, in septem cædelabris idem ordo septem ætatum intelligitur, qui positus est à Moïse in libro Genesis. sed ratio habetur trium statuum, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ut enim in statu Patris omnia distinguuntur septem ætatibus, ita in statu Filij sit ab initio sui primi aduentus, usque ad finem septimæ ætatis. ita in statu Spiritus sancti, ab ingressu in septimam ætam usque ad finem, septena distinctio ponitur. atque has distinctiones videbimus in ipsa litera huius libri Apocalypsis. Quantum vero ad mystica attinet, contemplari duo hic licebit in primis: In statu Patris ponit septem ætates, in quibus & status Filij, & status Spiritus sancti comprehendantur: ut intelligamus Filium & Spiritum sanctum esse in Patre, atque Filium & Spiritum sanctum missum. item Filium, dum in suo statu assumit sibi septem ætates, & se medium ponit temporum mundi, & Ecclesiarum, portare in se priora & posteriora, ducere primam, quæ suo statui tribuitur ætas, in primam primi status, in qua Abraham vidit diem Christi. ita secundam baptismi in secundam circumcisionis: similiter tertiam in tertiam: ut persistens in quarta, circūducat medius easdem septem ætates; ut qui sit æternus Deus in eterno Deo Patre. Dū pariter Spiritus sanctus assumit sibi septem tempora, in quæ conducuntur quæ fuerunt septem ætatum mundi, & quæ nuntiata sunt in iisdem septem ætati-

teratibus : concludit & quæ fuerunt totius status Filij, patefit & ipse æternus Deus in Patre & Filio. per quem Pater & Filius etiam egerint omnia omnibus septem ætatibus mundi, non solùm nuntiarint: vt ostensum est cap. 1. Gen. Hæc videntur cognoscenda, vt eorum quæ dicuntur, ordo teneatur, atque interpretatio sese aperiat. Iam ordinē, quantum à nobis fieri poterit, facillimum quæramus, vt omnia quæ in hoc libro dicuntur, distinctè proponantur. Nam quæ à capite primo usque ad duodecimum tractantur, non facilè communi ordine videntur posse distingui, propter rationē tractandi propheticā, & mysteria de Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto. In his autem quæ à capite duodecimo usque ad finem libri narrantur, potest ordo temporum seruari, si materiam de qua agitur intelligas. Agitur enim ibi de ortu, & statu Antichristi, arque de eius progressu, ac interitu, usque dum perueniatur ad Ecclesiam innouatam. Nec erit hic difficultas in ordine, quando rem ipsam tenueris. In undecim autem primis capitibus, vbi de Dō æterno agitur, de Patre, Filio, & Spiritu sancto: atq; scientia & cognitio de ipsis datur in rerum narratione, non facilè, vt dixi, vt hæc percipiantur, communi ordine consequemur. vt ad mysteria perueniatur, ordo Propheticus erit quærendus. Veruntamen quoniam literalis narratio debet retinere suū certum ordinem accommodatum ad communē sensum & modum, ordinem communem prius, & facilem in undecim primis capitibus quæremus moniti ab ipso Domino, qui iussit Ioanni, vt scriberet quæ sunt, & quæ futura sunt: deinde alium diffi- ciliorem

ciliorem attingemus significatum à Ioanne , qui nouit quæ tractabat mysteria. Dicamus igitur primum exponi capite primo maiestatem Christi, atq; eius Euangelium à se prædicatum, & ab Apostolis, & à Paulo : quod idem Euangelium prædicatur in secundo Domini aduentu : deinde exponi capite secúdo & tertio sub septem Ecclesiis Asiaticis, statum Ecclesie à tempore Ioannis usque ad hoc tempus secundi aduentus Domini , atque eius prædicationis repetita: item ab hac usque ad finem perturbationum Gallicarum , quando regnum Dei cōstituetur, quod describitur capite quarto, in quo quidem regno etiam Prophetia aperietur , vt narratur capite quinto. Ut autem ostendatur quomodo Prophetia aperiēda sit, fit capite sexto, septimo, octauo, nono, decimo, & vndeclimo, repetitio eorum quæ acta sunt in toto statu Filij à tempore Ioannis , usque ad innouatam Ecclesiam in secúdo aduentu Domini, secundūm distinctionem, quam dixi, etatum septē. fit & distincta repetitio, & narratio secundūm septem tempora eorum, quæ acta sunt ab initio secundi aduentus Domini usque ad confirmatum regnum Israëliticum. Hic ordo rerū videtur in ipsa litera distinctus , & satis apertus. in his, quæ sequuntur, adhuc minus videtur esse difficultatis . nam capite duodecimo fit redditus ad ortum Papatus, & regni Antichristi etate quarta ducta prima ab Apostolis. capite tertiodecimo narratur progressus Antichristi , & confirmata per Carolum magnum eius tyrannis etate quinta. capite quartodecimo incipit etate sexta fieri apparatus contra Antichristum : mittit Christus Abbatem  
Ioachi-

Ioachimum , & multos alios , qui memorantur à Theleosphoro, qui nuntient expectandum esse aduentum Domini , innouationem oportere fieri. tandem incipit Lutherus in fine , seu circa finem sextæ ætatis , & sequuntur alij prædicatores vbiique repeteret prædicationem Euāgelicam. Adeſt Chriſtus, nec aduertitur , qui mittat falcem post prædicationem quadraginta annorum : percutiat virga ferrea , & iudicet Papatum. Capite 15. & 16. narratur progressus prædicationis , & iudicij virgæ ferreæ . capite 17. describitur Ecclesia Romana cauſa omniū malorum: Papa declaratur Antichriſtus , quod factum fuit in concilio secūdo Tridentino : bella facta contra Euangelicos nuntiantur conuertenda contra Papistas: Roma comburenda, Ecclesia Romana perdenda vbiique , quemadmodum narrarunt Prophetæ . Capite 18. describitur ſeu canitur triumphus narratus à Ieremia cap. 50 , & 51. de Sodoma, & Iororibus, ac de Roma incendio conflagratis, Ecclesiāque Romana deleta. Capite 19. euersio vbiique totius ſtatus Papiftici , & regni Antichriſti. Capite 20. concilium habetur verè Catholicorum & Euangulariorum: Ecclesia conſtituitur totius populi Christiani : bellum pōst oritur impiarum gentium , in quo perdentur, qui oppugnabunt Euangeliū. Capite 21. innouatur & conſtituitur Ecclesia in toto terrarum orbe ; & qualis futura ſit describitur. Capite 22. describitur regnum Dei deinceps futurum in ſtatu Spiritus Sancti; in quo regnabimus cum Christo, vſque dum peracto in hoc mundo Sabbathismo , ducat nos in aduentu ſuo tertio in gloria in cælū . quod regnum,

regnum, & quem statum more Prophetico ita de-  
scribit, ut sit imago rerum futurarum, futuri scili-  
cet seculi in cælis: vbi cū ipso Iesu Christo, & Deo  
Patre vita perfruemur æterna. Moniti in verbis Dei  
factis Ioanni hunc ordinem postulamus, quæ etiam  
simpliciores videtur posse perspicere: alij sunt, qui  
significantur à Ioanne, qui nouit, quænam sibi si-  
gnificata essent mysteria. & primùm in ipsa salu-  
tatione, more Pauli videtur proponere quænam  
dicturus sit, & quo ordine. Dum igitur nuntiat pa-  
cem ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est,  
præter æternā Dei maiestatē significantur tres sta-  
tus in mundo, & in populo Dei: status Patris, status  
Filij, status Spiritus sancti. qui tres status erūt co-  
gnoscendi in quatuor siue quinque primis capiti-  
bus. nam dū proponitur prima visio, in qua Chri-  
sti maiestas, & eius æternum Euangeliū signifi-  
catur, etiam Lex in ea visione. & primus status af-  
sumitur. item quæ ab initio in primo capite Gen-  
fuerunt propoſita de omnibus ætatibus mundi.  
Etenim qui est Dei filius, qui factus est homo, erat,  
& fuit semper in Patre, & Pater in ipso: atque que  
Pater egit, in ipso egit: atque in ipso comportatum  
est epus Patris, & omne semen sanctum ab initio  
mundi usque ad finem mundi. Quando autem ca-  
pite 2, & 3. Ecclesiæ distinguuntur variæ, secundus  
status eiusdem Filij, ac prædicatio Euagelij signifi-  
catur in primis. qui status distinguitur in septem Æta-  
tes ob Spiritum sanctum missum post Christi ascen-  
sum in cælum. nam qui est, & qui erat, venturus  
fuit in Spiritu, qui fuit semper in sua Ecclesia: qui-  
que Deus in secundo suo aduertu apparebit æternus

cum

cum Patre, & Spiritu sancto. atque capite quarto dum conducuntur in statum tertium, quę fuerunt status primi, & secundi, regnum Dei ostenditur cōstitutum, & aperta Prophetia capite quinto nobis in ætatem septimam ingredientibus . & quod regnum Dei Patris eternum fuit, nec fuit cognitum à mūdo, pateat iam in cælestibus, & terrestribus, & inferis creaturis. idque pateat per Dei filium factum hominem, & mortuum pro peccatis nostris, conducentem statum Patris , & suum , & Spiritus sancti in vnum. in quo & patefaciat nobis diuinam maiestatem; atque nos suum regnum faciat in æternum. nam qui est, & qui erat, iccireō fuit venturus, ut hęc prēstaret. simulque quod dicatum fuit de Patre, qui est, & qui erat, & qui venturus est, debuerit patefieri per Christum. de quo, quia idem est cum Patre, itidem dicitur, qui est, & qui erat , & qui venturus est. Itaque ut proposuit verbis illis, qui est, & qui erat, & qui venturus est, tres status; ita illos quinque primis capitibus complexus est. quamuis in his ob ordinem Propheticū cum rebus vniuersi temporis comprehendat, quæ sunt singulorum, & contrā: & propter mysteria assumat in singulis statibus, quæ sunt aliorum statuum : atque inde nascantur alij ordines : de quibus post dicemus . Dum autem nuntiat gratiam, & pacem à septem spiritibus, qui astant ante thronum Dei , prēter spiritum Dei omnia in omnibus omnibus temporibns efficientem , significantur opera Spiritus sancti, quibus septem Ecclesiæ in septem ætibus trium statuū fuerunt constitutæ. quæ opera ostenduntur in verbo Dei , in his quæ

B locutus

locutus est Deus in septeno genere Scripturarum diuinarū, & in his quæ operatus est in seruis suis, ac ministris Iesu Christi in septem ætatibus, quas diximus. de quibus agitur capite quinto, sexto, septimo, & octauo; & præsertim in constituenda septima, de qua agitur deinceps usque ad caput 12. Septenum autem illud genus scripturarum intellico, quæ scripta sunt in Genesi de promissionibus: quæ in quatuor libris Legis, quæ in Prophetis, quæ in Euangeliō, quæ in monumētis Apostolicis, quæ in Apocalypsi, quæ in apertione Prophetiæ. ad Legem, & Prophetiam pertinere intelligo omnes libros veteris Testamenti. post Apostolos si qui fuerunt Prophetæ, patibunt in apertione librorum sacrorum, & Prophetiæ. de alia diuisione scripturarum dicetur in septem sigillis. illud nunc teneamus, seruos Dei cecinisse, & nuntiasse, quæ continentur in septeno genere scripturarum. vbi idem Spiritus intelligitur, & quo distinctæ sunt diuinæ scripturæ, & quo locuti, & operati sunt prædicatores, ministri Christi, & fideles in contentionibus contra tyrannos, & Papatum. Vnde capite quinto contemplabimur verbum Dei per Spiritum sanctum factum in septem ætatibus. Capite sexto, septimo, & octauo, opus Dei, & Christi Iesu factum per eundem Spiritum in septem, seu in omnibus ætatibus mundi. Capite nono, decimo, & undecimo, opus Dei septenum in postrema ætate mundi: in quod conducuntur superiora, quæ antecesserūt, atque Dei verbum iam apertum, quod factum fuit Ecclesiæ ætatibus omnibus superioribus, secundū quod verbū omnia fuerint perfecta per Spiritum sanctum.

sanctum. quod propositum fuit capite quinto, & deinceps expositum, seu apertum, confirmabitur perfectum capite vigesimo primo. Ita videtur proponi nobis contemplanda historia à primo aduentu Domini usque ad secundum. dum meminit septem spirituum, qui sunt in cōspectu throni Dei, ut præterea altiora mysteria de Spiritu sancto significata in his septem spiritibus. Dum autem nuntiatur gratia, & pax à Iesu Christo, teste fideli, & primogenito mortuorum, principi regum terræ: qui amauit nos, & lauit suo sanguine, fecit quæ reges & sacerdotes Dei, significatur contentio quæ fuit in Ecclesia ab ortu Papæ, usque ad status eiusdem euersionem. quod fideles verbum Dei defenderint, se in Christo renatos, in Christi sanguine saluatos, Christum Dominū & Regem voluerint. Papa autem hæc omnia sibi vendicarit, coegeritq; suos, quæ sunt Christi in se recognoscere. quæ tractantur cap. 12, & 13. Capite vero 14. denuntiatur apparatus Christi futurus contra Papam Antichristum: atque mittuntur nuntij multi, qui reuocent Christianos ad Christum: nuntiant instare secundum aduentum Domini, ut innouent vitam. Vbi autem dicitur similis Filio hominis sedere super nubem candidam, indicatur adesse Dominus: indicatur repeti prædicatio sui Euangelij, ut promissum fuit cap. 13. Marci. quod factum fuit per Lutherum, & alios. in qua prædicatione quadraginta annos pugnatum fuit verbo, dum septem Angeli, ut narratur cap. 15, & 16. septem phialas effuderunt. quo tempore cœpta est pugna armorum in Gallia: habitum est secundum concilium Tridentinum,

tinum, in quo Papa cognitus est Antichristus: principes Papistę in regno Gallię pugnarunt cōtra Evangelicos. & hęc cōtinentur cap. 17. in cuius capitatis fine, vt antę dixi, reuocamur ad Prophetas, vt totam pugnā bellicā cognoscamus. Quae cōsequi debent, dicta sunt antę in primo ordine de Roma cōburenda, & de toto statu Papistico euertēdo: de Ecclesia cōstituēda in populo Christiano, ac in toto terrarū orbe. Ergo cōtemplatores dum legent historiā à cap. 12. vīq; ad finē libri, recognoscēt Christum Salvatorē mundi talem, qualē descripsérunt nobis Euāgelistæ, & Apostoli, qui deleat Papatum regnū Antichristi: qui constitutus sit iudex viuorū & mortuorū: cui datum sit regnū mundi: qui cūm aderit in nobis in suo regno, adfuturus sit & Pater, & Spiritus sanctus, in quibus vnum est, ac semper fuit. vt tunc pateat, quod de se ipse dixit: Ego sum a, & o: principiū, & finis. & hęc dicat Dns Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotēs. quod vt de Patre dictum est, qui est, & qui erat, & qui venturus est; idem dicendū sit de Filio, qui est idem cum Patre: atq; tunc videantur quę fuerunt Patris, & Spiritus sancti, ab initio in Filio, & per Filiū conducta in opus perfectū Ecclesiæ, & regni Dei, in quo opere toto declarauit se nobis Pater, Filius, & Spiritus sanctus vñus, & solus, & verus Deus, conducens nos in beatam vitam, faciens nos regale sacerdotium. Et hęc sit secūda ratio ordinis ducta à salutatione. Dixi autē cūm tres status ostēdebam in primis quatuor capitibus, in singulis statibus assumi, quę sunt aliorū statuum: atque inde nasci varios ordines. de qua re pauca adhuc dicā.

Quod

Quod Iesus Christus venerit in medio temporum, atque ei tributus sit secundus status, nullū est dubium. quomodo autē eius opus ingrediatur in statum primum, illumq; in se contrahat, dictum est in initio secūdi ordinis. quomodo item contrahat in se & statum tertium, ex prīmi capitis interpretatione patere potest. quia quæ ibi proponuntur, tribuūtūr statui tertio Spiritus sancti; atq; eadem complectitur in se Christus in prima visione. Vbi autē diximus cap. 1, & 3. significari statū secūdum Filij, significatur & primus. quia septē etates complectuntur tres status, & tres status septem etates. vbi item diximus capite 4. describi teriū statum, ibi & agnus intelligitur occisus ab origine mundi, atq; Euangeliū eius aeternum, ipsumque Deum intuemur rectorem, & administratorem, ac iudicem mundi semper fuisse. Quamobrē hic nascuntur plures ordines, primum quia prima visio tria potest habere loca, su tempora. & hic recurrendū est ad ordines, qui positi sunt in initio Genesis, in verbo Beresith expositi. nam si ponas primā visionē in medio temporū, quando visus fuit filius Dei in carne, tunc filius Dei in medio temporum positus in suū Euangeliū contrahit Legem, & Prophetiā: trahit in suam Ecclesiam, in suū corpus omnes, qui ante fuerunt, & posterunt ab initio usq; ad finem mundi credētes. de qua re dictum est cap. 1. Matt. exhibet se nobis, & secum Patrem, ac Spiritū sanctum. siue trahens in se omnes credētes ab initio, qui fuerunt ad finē mundi usque, particeps eos facit in Patre aeternę vitę, ac Spiritus sancti: efficitq; ut in se habeant Patrem, & Spiritū sanctum. cuius.

rei in Prophetia habetur demonstratio. Hoc igitur ordine trahit Filius Dei in se ipsum statum primū, secundum, & tertium, quasi rota in medio rotæ: quæ circum se vergat primū statum Patris in tertium Spiritus sancti, utrosque concurrentes in unam rotam latissimam. de qua re dictum est cap. I. Ezechielis. atque dum in se trahit quasi in suam rotam statum Patris, & statum Spiritus sancti, tunc exoritur altior contemplatio. vt Christus omnia tempora in se contrahat, & totum mundum corporeum. quæ ratio patet in prima visione. Spiritus autem sancti rota feratur supra cælum, & secum sursum ducat omnes factos spirituales creaturas. Patris rota omnia infinitè in se obtinens suscipiat spirituales factos in Christo. Sin ponatur prima visio in principio temporum, Christus Iesus afferet nobis statum Patris, & suum, & Spiritus sancti. & hinc videbat Abram, & alij, diē Christi, & gauisi sunt. Sin in fine comparata nobis in uno Christo videbimus omnia, quæ ipsius sunt dona, & Patris, & Spiritus sancti: vt ab initio quoque in eodem omnia fuerunt nobis promissa. Si iam Spiritus sanctus obtineat secundum locum, dum Filius primum, aut tertium suscipit, intelligemus tunc Spiritum sanctum operatum esse in Ecclesia, vt coniungeretur illa Christo: & vt in Ecclesia, ita in omnibus qui ante fuerunt, & futuri sunt credentes, operatum fuisse, & idem operaturum. quia vt de Christo est dictum, sic dicendum est de Spiritu sancto, qui contrahit in se omnes credentes ab initio ad finem, mediusque complectens primum statum, & tertium. Et vt Christo dabatur mundus

mundus sensibilis, & Spiritui sancto intelligibilis; sic nunc dabitur intelligibilis Christo, & sensibilis Spiritui sancto. ut in nobis quod carnale est, & temporaneum, per Spiritum Dei sanctum habet spirituale, & aeternum in Christo; qui & corpore ascendit in cælum, ut in ipso & nos spirituales facti, deducamur ad Patrem. cuius regnum describitur in tertio statu, quod dabatur nobis in secundo, & promittebatur in primo. Si Spiritui sancto dabimus primum statum, excurret in secundum & tertium. si dabis tertium, videbis traxisse in se primum & secundum. quod & in primo cap. Genesis est demonstratum. Ut de Filio, & de Spiritu sancto dictum est, sic potest dici de statu Patris. & ex hac varia statuum distributione varij inuenientur ordines. Et quoniam non solum Deum contemplamur in his quæ egit in mundo; sed & in his quæ parauit nobis ante mundum, & datus est post mundum, oriatur alias ordo à praedestinatione ad glorificationem: item ab aeternitate ad aeternitatem. atque ut ante mundum parabatur nobis regnum apud Patrem, sic post mundum habebimus illud aeternum apud Patrem. Sed hi ordines comparati sunt ad altiora mysteria contemplanda. de quibus ordinibus, & mysteriis suis locis tatum dicemus, seu ex ipsis in interpretando tantum assumemus, quantum nobis dabitur, quantumque facere videbitur ad sacram historiam aperiendam.

APOCALYPSIS IOANNIS  
THEOLOGI.

**I**C liber Apocalypsis non debet videri esse alterius Ioannis , quām Apostoli, quōd in inscriptione Ioānes Theologus dicatur . quia in Dionysio Areopagita videimus vocari Theologos, Petrum, Iacobum, Ioannem, Bartholomēum, Gerotheum, & similes, qui altam rerum diuinarum cognitionem habuerunt. vnde & Paulus dicebat se loqui sapientia inter perfectos ; & Ignatius in prima epistola ait se quoque posse differere de cælestibus potestatibus, thronis , dominationibus , & aliis : atque adeò de tribunali diuinæ maiestatis. Siue iam Ioannes vocavit se Theologum, siue vocatus sit ab aliis, quōd in hoc libro contineantur aliqua , quæ pertineant ad altissimam Theologiam, non videmur propter illud verbum Theologi posse affirmare librū hunc non esse Ioannis Apostoli, & Euangelistæ. imò vero & propter hæc, quæ dixi ; & quia dicitur statim, Qui testificatus est verbum Dei , & testimonium Iesu Christi ; omnino Ioannis Apostoli habendus videtur hic liber, vt præterea testimonia patrum.

*Argumentum in primum Caput.*

**A**POCALYPSIS verbum Dei esse ostenditur, vt in illa sciat Ecclesia , quæ futura sunt. Salutatio præponitur : Christus Filius Dei describitur, qui veniens in carne , reconciliavit per sanguinem suum nos Patri, venturus vt iudicet mundum , vbi patebit Deus. atque in yna visione præponitur

ponitur in se creata, formata , & alta Ecclesia omnium temporum, quemadmodū & in se sunt creatā omnia ; fertque quem intuemur complexū cælorum. Veniet ergo iudex viuorum, & mortuorū, ille, in quo omnes Ecclesiæ ab initio sunt conditæ, & administratæ , & à quo sunt eis ministri dati; ne forte Papa videatur aliquo tempore Dominus verus extitisse Ecclesiæ.

*Apocalypsis Iesu Christi.]* Quęcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis, ait Christus. verba, quę ego loquor vobis, à me ipso non loquor: Pater autem in me manens , ipse facit opera. credite mihi, quod ego in Patre, & Pater in me est. Hæc quidem cognoscenda sunt, vt sciamus , nos nihil habere à Patre, nisi in Filio : & quicquid habemus in Filio, habere à Patre. Antequam verbum factum esset caro, id in veteri Testamento significabatur obscurè : sed postquam habitauit in nobis Dei Filius factus homo, quicquid datur nobis à Patre , ostendi debet omne dari à Filio: & quicquid habemus per Filium , ostendi debet haberi à Patre. Quare Apocalypsis , quæ datur nobis à Christo, ostendi debet & data à Patre.

Dicitur verò Apocalypsis Iesu Christi, quia omnia, quæ sunt Patris, sunt Filij. Ioannis autem dicitur, non ea ratione qua dicitur Christi ; sed dicitur Christi , vt possessoris , auctoris , & Domini: Ioannis, vt ministri tractantis, & exhibentis quæ sunt Domini . eadem ratio intelligi debet in Prophetis, quando dicitur: Verbū Ieremia. quod verbum sit Christi expositum per ministrum . Videatur verò mihi præposita hæc inscriptio libri , quæ

nulla posita est in libris antiquorū Prophetarum  
præter nomen Prophetæ , vt attenderemus illud  
quod dixit Christus : Usque ad Ioannem Lex , &  
Prophetæ ergo in aduentu Messię erant perficien-  
da, quæ nuntiata fuerant in Lege , & Prophetis : &  
dū efficerentur, debuerunt illa fieri aperta , & con-  
spicua verè nuntiata . & quoniam quæ nuntiaban-  
tur in Lege , & in Prophetis , erant futura totius  
temporis , vt dictum est in Isaia cap. 46: Annūtiaui  
ab exordio nouissimum , & ab initio quæ nondum  
facta sunt . ergo datur nobis Apocalypsīs , in qua  
continentur futura denuntiata ab initio . vt dum  
eueniunt quæque in hoc libro narrata , sciamus illa  
ab initio fuisse denuntiata : & vt fuerunt denuntiata-  
ta , ita euenisce : atque ita reuelari , aperiri , in aper-  
tum duci , vereque denuntiata ostendi , quæ in vni-  
uersa Prophetia continentur . ordo item , & ratio  
tractationis Propheticę magis patet in hoc libro ,  
quam in aliis . vt propter has causas debuerit hic  
liber vocari Apocalypsīs . Ergo Christiani debue-  
runt singulis temporibus fuisse attenti in his , quæ  
contigerūt in Ecclesia , & in statu populi Christia-  
ni . vt illa recognoscerēt in hoc libro primū , de-  
inde in Lege , & in Prophetis . ac quemadmodum  
fuisserent reuelata antè , quæ erant primi aduentus  
Domini , ita in euentis viderent deinceps in statu  
Filij fideles , quæ essent sibi reuelata . atque nunc  
maxime nos debemus attendere , dum ad finem  
suum adducitur Prophetia , perficiunturque om-  
nia , quæ in hoc libro , & in Lege , ac in Prophetis  
sunt denuntiata futura ætate postrema . & qui scri-  
psit Appcalypsīm Ioannes , reuocat nos ad euenta  
denun-

denuntiata, vt capite decimo, & decimo septimo aduertere licet; atque cap. vigesimoprimo, vbi ait: Factum est; ostendit perfecta, quæ ab initio nuntiata sunt, ac omnia esse reuelata. Verbum Apocalypsis retinendum censeo, vt etiam retinemus nomen Euangelij, & alia. retinendum quoque verbū Reuelatio, quod exprimat velum Mosaicum, & omne integumentum amotum ab oculis nostris. qui hæc verba refugiunt, à me existimabuntur minus Latinè loqui, dum fugiunt maximè significantia, & facta propria Theologiae ab auctoribus præstantissimis, & ab eo, qui velo splendentem Mosis faciem velauit; & qui facit, vt reuelata facie sua intueamur.

*Ut palam faceret seruis suis, que oportet fieri citò.*] Primū illud generatim à nobis tenetri oportere existimo: vt Deus voluit initiò in his, quæ ipse creauit, in his qua per Spiritū sanctū egit, & actu-rus erat usque ad inē mudi, in his quæ locutus est de Filio suo in servis suis omnibus c̄statibus mudi, se cognosci verū, solū, & eternū Deum à suis: sic in fine temporū, siue etiā in cursu, & progressu temporū pariter voluisse confirmare, & repetere eadem quæ proposuit initiò. vt magis ratū, & firmū apud credētes esset, se esse solū Deū, qui crearat mundum, Ecclesiā, & credētes: locutū, & operatū oīa oībus tēporibus per Spiritū suū sanctū in Filio suo Iesu Christo. atq; vt statuit oīa ab initio, ita & ad exitū perduxisse: firmāque & certā esse debere in nobis spē nostrā de nostra oīū, qui credidim⁹, salute. Deinde quonia inter lupos missi erat Apostoli, vt Christus nuntiarat: atq; tyrānica persecutio illa magna trecen-

trecentorum annorum instabat omnibus credentibus , eratque deinde Antichristus proditurus Ecclesiam , & eam deinceps vsque ad secundum adventum Domini miserè vexaturus : vt hæc scirent credentes , ac spe niterentur præmij futuri ex tāto certamine ; datus fuit à Deo Patre , & à Iesu Christo hic liber , in quo viderēt progressum rerum pīj viri , atque essent admoniti de rebus futuris . & iccirco dicitur: Quæ oportet fieri citò . quia in hoc libro nuntiatur persecutio tyrānorū cœpta tempore Apostolorum . dicitur deinde Citò , propter alia , quæ consecuta sunt , & quæ citius euenerunt , quām existimarent Papistæ . nam iudicium citius adfuit , quām ipsi putarint . Vnde Petrus ostendit ipsos deceptos , ac reuocat omnibus in memoriam , Deum non tardare promissa , vt Papistæ , & alij putarunt . quia dies unus apud Deum est sicut mille anni , & mille anni sicut unus dies . De aduentu Domini agens Paulus , ait cap. 10. Hebr. Adhuc modicum , & qui venturus est , veniet . Iacobus cap. 5. scripsit aduentum Domini appropinquare . idem significauit Petrus in prima Epistola cap. 1. vers. 6. & cap. 5. vers. 10. veluti qui ad homines sui temporis scribant , & ad nos sua ratione prophetica . vt illi debuerint nouisse non in fine mundi , sed ante aduenturum Christum : nos vero innouata prædicatione Euangelij , statim visuros , & sensuros vim eius iudicij . Ostendit autem omnia Christus futura Ioanni , vt is nobis illa patefaciat . quæ quidem quamuis in Prophetis contineatur , minus tamen cognoscetur propter rationem tractationis alienam à nostris sensibus , & intelligētia : atq; nouum verbum

verbum debebat dari Ecclesiæ pro ætate quinta mundi. quia verbum Domini non deest in generatione & generationem.

*Et significauit mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.]* Antè dictum est, ut palam faceret, seu ostenderet. hic dicitur, *Et significauit.* vt sciamus, quomodo ostenderet. nam quamvis significare sit certiorem facere, facere ut quis aliquid sciat, tamē Prophetia vocibus variè alludit. & hīc indicatur per signa quædam Christum ostendisse, que oportet fieri, ut res ipsa ostendit. mittitur verò Apocalypsis, & datur per Angelum suum. Dum operatur & agit Deus, ac eius Filius, per Spiritum sanctum agit, & operatur; atque per ministerium Angelorum. Vnde quæ Spiritus sanctus, & Deus agit, dicitur sàpè agere per Angelos: atque ipse Spiritus sanctus significatur in nomine Angeli. ut in salutatione nuntiat Iohannes gratiā, & pacem à septem spiritibus: & ipsi Christus vocatus est Angelus, quod ambo missi int. & tēpore Iohannis iam Apostolis missus fuerat Spiritus sanctus. Dum ergo in Angelo significatur quoque Spiritus sanctus, intelligimus hanc Apocalypsim dari Iohanni à Patre, & Filio, & Spiritu sancto: atque afferri testimonium trium, qui testimonium dant in cælo de veritate huius Prophetiae, ut apud nos quoque sit certissimum id testimoniū. In Osea vidimus ter Dominum repeti, & alibi in Mose, & Prophetis. ut significaretur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. ut ergo tres nuntiabant, ita tres perficiunt, ostendūt, & significant Iohanni, ac seruis suis. & sàpè in hoc libro memorantur Angeli, qui nuntient, & agat à primo

primo aduentu Christi, vsque ad completa opera secundi. Et si quis sit, qui non nouerit hoc in Prophetis, & hic non intelligat in Ioanne, videat causam, quare cap. 19. dicatur Ioannes cecidisse ad pedes Angeli, ut eum adoraret, qui nouerat Angelū non esse adorandum. Et si dicatur non nouisse, debuit nouisse, dum fuit monitus ab Angelo. tamen post admonitionem Angeli, cecidit iterum ut adoraret ad pedes Angeli. vnde visus est Ioannes secunda vice, dum dicitur ut adoraret ad pedes Angeli, qui ostēdebat quæ vidit, voluisse adorare aliū præter Angelum, (vt Abraham, qui tres vidit, & vnum adorauit) Spiritum sanctum scilicet, quem dixit Angelus cap. 19. testimonium Iesu Christi. & hoc testimonium ait esse Spiritum Prophetiæ. vbi patet & Spiritum sanctum à Filio quoque manare; atque nuntiare in Prophetis futura, quæ duo constant nobis ex Petro quoque capite primo, epist. 1, qui ait: Prænūtians ille qui in ipsis erat Spiritus Christi. Vnde ob has causas videtur hic testimonium spiritus esse recognoscendum in Angelo; atque ipse Angelus, in quo sit testimonium Spiritus sancti. Ut autē hoc hic cognosceremus, posita sunt in fine libri illa, quæ legimus de adoratione. vbi ostēditur testimonium spiritus, cum testimonio Patris, & Filij esse recognoscendum. atque & tres testes adjungit Angelus ex creaturis, scilicet, & Ioannem, & eos qui seruant verba libri huius, quique habent idem testimonium Iesu.

*Qui testificatus est verbum Dei, & testimonium Iesu Christi, & quacunq; vidit. ] Hęc verba duplē sententiā videtur habere. ut ita intelligamus: Chri-*

stus

stus significauit cùm misisset seruo suo Ioanni: qui  
Ioānes effecit quod mādatum sibi fuit . testatus est  
verba Dei esse, quæ scripsit in hoc libro, facta sibi à  
Christo per Angelū . & quia omnia sibi ostēsa sunt  
per quædā visa, scripsit, seu testatus est quæcunque  
vidit. Possumus & ita intelligere: Qui scripsit Eu-  
angeliū, & testatus est de verbo Dei factō carne; &  
de his quæ egit, & locutus est Christus; quæq; om-  
nia ipſe vidit; is est, cui allata sunt visa de Ecclesiis  
Asiaticis, quæ tum erāt, & de aliis futuris. Similis  
loquendi modus Ioannis est in fine sui Evangelij,  
vbi ait: Hic est discipulus ille , qui testimoniuū per-  
hibet de his, & scripsit hæc. & scimus quòd verum  
sit testimonium eius . ita in prima Epistola, & ter-  
tia, se testem vocat; & quæ scribit, dicit se testari.  
Ergo testatur Ioannes se accepisse Apocalypsim  
hanc ab Angelo, qui accepit à Christo , Christus  
à Patre: ac à Patre, & à Filio , & à Spiritu san-  
cto , ait datum Ecclesiæ hunc librum : in quo  
continentur quæ se vidit pertinentia , tum ad  
ea quæ erant sui temporis, tum ad alia quæ erant  
consecutura deinceps in Ecclesiis, usque ad Eccle-  
siam innouatam . Hæc mihi videntur significare  
verba illa , quæ in quodam exemplari vidi Græco:  
*Et quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.* Siue iam  
hæc verba sint Ioannis, siue addita in margine ab  
aliquo ad expositionem, videntur exponere illud,  
quæcunque vidi: scilicet de septem Ecclesiis Asia-  
ticis, ut tunc erant: & de his quæ pòst futura erāt  
usque ad nouos cælos creatos, & nouam terram.

*Beatus qui legit, & qui audiūt verba prophetiæ, &  
seruat ea quæ in ea scripta sunt. tēpus enim prope est.*

Quid

Quid verbum hoc *Beatus* nobis signet, dictum est  
in primo Psalmo: quæ ibi dicta sunt, huc assumentur. Existimo autem ego horum verborum hanc  
esse sententiam: ut beatos illos acclamet *Ioannes*,  
qui legerint, siue audierint, & seruarint, quæ in  
hoc libro scribuntur. item hanc: Beatos illos futu-  
ros, qui generatim Prophetiam legerint & in hoc  
libro, & in Prophetis, & in vniuersa Scriptura: au-  
dierint eam, & seruarint quæ in ea scripta sunt.  
dicitur vero, qui legerit; deinde, & qui audierint,  
& seruarint. ut in eo qui legerit, signetur inter-  
pres; quod, ut ait Daniel, Prophetia egeat interpre-  
te: in his autem qui audierint, credentes interpre-  
tationi, & seruantes quæ in Prophetia iubentur.  
Vnde & tertia interpretatio videtur omnino reco-  
gnoscenda. ut in verbo illo *αραγνόσκων*, intelligamus  
non solum eum, qui legit, sed & qui recognoscit  
in euentu rerum, quæ sunt scripta in ipsa Proph-  
etia, siue qui recognoscit in hoc libro, quæ consigna-  
ta sunt in tota Prophetia. & beati sint, qui hanc re-  
uelatam, & interpretatam audierint, & seruarint  
quæ in ea scripta sunt, non solum audierint. Cum  
hoc perfectum fuerit, tunc erit constituta beata  
vita in regno Dei in terris, futura maximè in celis.  
Acclamat igitur *Ioannes* & propter rei magnitu-  
dinem: & quia progredimur, & contendimus ad  
Sabbathismum, ad regnum Dei ac Christi Iesu; in  
quo erimus sacerdotes, & reges, non solum spe,  
sed & actu, rēque ipsa; ut inuitet omnes ad illam  
beatam vitam: & quia ad illum statum contendimus  
beatum, ad quem contenderunt Patres, qui  
legerunt legem datam per *Mosem*, verbum Dei  
datum

datum per Prophetas : & in literis quæ legerunt,  
recognouerunt promissa : perfecerunt illa, quæ si-  
bi locutus est Deus in verbo Propheticō. Quæ au-  
tem illi recognouerunt, audierūt pariter pīj Chri-  
stiani in verbo Euangelico, ac perfecerunt, quæ in  
regno Christi proponuntur perficienda . nam in  
regno Christi, qui legerunt, & recognouerunt pa-  
tres, legent, & recognoscēt illi omnes, qui erunt  
pars regni Dei. audient quæ sibi locutus est Deus  
in Lege, Euangelio, & Prophetis. & quæ recogno-  
uerunt, & audierunt reuelata, & iussa, perficient.  
hæc interpretatio videtur Prophetica, vt est sermo  
Ioānis. Quemadmodum Dauid beatum pronun-  
tiat eum, qui non tenuit iter impiorum, in via non  
stetit peccatorum , nec in cathedra sedid derisorū ;  
ita Ioannes illum inter beatos numerat, qui lege-  
rit, audierit, & perfecerit verba Prophetiæ, in qua  
Prophetia sit Euangelium , & Lex . vt quæ legerit  
sint idem cum Legi , cui addic̄tus est vir pronūtia-  
tus à Daniide beatus quæ audierit idem cum Lege  
iterum, in qua versatur contemplatio, & medita-  
tio eiusdem : quæ perfecerit idem cum fructibus,  
quos indè percipit in obseruatione verbi Dei. Ad-  
ditur: Tempus enim prop̄ est: vt scilicet cō magis  
debeāt omnes attenti esse, vt recognoscant, vt hæc  
Prophetica legant: recognoscant quæ in ea nunti-  
antur, audiant, & perficiant, nam nuntiantur in  
ea, quæ Moses , & Prophetæ scripsérunt de regno  
Israēlitico per Christum restituendo, & de beata  
vita per ipsum præstanta omnibus credentibus.  
prop̄ enim adeſt, vt ingrediantur hi in pugnam  
contra Tyrannos, vt veniant in eorum regna. pri-  
mo

mo quidem non arcu, & equitatu; sed martyrio. & cùm ingredietur Antichristus , erit etiam pugna per martyrium cum ipso usque dum & verbo Dei, & virga ferrea vincatur is magnus aduersarius cum omnibus alienis à fide Euangelica, adsitque omnibus piis victoria, beatissime status, ac beata vita: & hic intelligantur simul, quæ dicta sunt in verbo illo Citò.

*Ioannes septem Ecclesiis , quæ sunt in Asia, gratia vobis, & pax.]* Videtur absurdū, cùm tot fuerint Ecclesiæ in Syria, & in tota Asia, & aliae futuræ essent, aut etiā essent in Europa, & Africa ; vt ad illas tantum septem in Asia minori scripserit. quare existimandum est mysterium inesse in illis septem Eccelesiis : vt per illas, seu sub illis intelligentur etiam omnes, quæ erant futuræ omnibus temporibus . id fecit Ioannes more Prophetico. Sumunt enim Prophetæ locum aliquem , factum aliquod , personam aliquam , vt in his ostendant futura aliqua aliquorum in aliis quibus locis. Sumpsisit vero Ioānes, vt existimo, illas septem Ecclesiis, quæ sunt etiam in finibus minoris Asiae propè Europam, siue ad fines Europæ, vt significaret Ecclesiæ futuras, & cultum Christianum; qui traducendus esset in Europam, & occupatus tādem omnia loca postrema ad Oceanum , siue ad occasum. ab ortu enim duxit Deus opus suum in Ecclesiis per omnes partes orbis ad occasum. hinc Prophetæ memorant sēpè lucem venire nobis ab ortu. Quamobrem cùm nuntiat Ioannes gratiam, & pacem Ecclesiis septē, quæ sint in Asia; intelligo nuntiare omnibus quoque Ecclesiis, quæ erant futuræ usque

vsque ad finem mundi vbiique ratione numeri septeni, de quo pōst dicetur. De gratia autem, & pace, quæ nuntiatur credentibus, dictū est in Paulo.

*Ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.]* Quoniam hīc ingredimur in res obscuras, & difficiles, ac mysteriis plenas, vt his lux aliqua affertur, illa mihi videntur consideranda, quæ hic in usitatis verbis, & figuris dicuntur, quomodo alias ab Apostolis soleant efferri, & nuntiari. videlicet quæ causa sit, quare attributis quibusdam vtatur Ioannes potius, quam nominibus propriis; quibus Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Ecclesia, & quæ horum sunt, consueuerunt appellari. hæc, inquam, considerabimus, dum conabimur interpretari, quid vnumquodque signet eorum, quæ ad aliquid nobis representandum, & demonstrandum ostenduntur Ioanni. Ac primū quidem nemo, vt existimo, dubitare debebit, quin quod ab aliis dictum est: Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & à Domino nostro Iesu Christo: hīc dictū sit, ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à Iesu Christo teste fideli. quare autē additum sit, & à septem spiritibus post dicemus. Quæ deinde hīc de Christo, dicuntur vsq; ad illud, Ego sum & & : iisdē verbis consueuerunt ab Apostolis nuntiari. quæ verò deinceps in toto capite dicuntur, quod sit Christus & & : principium, & finis: primus, & nouissimus: quod ambulet inter septē candelabra: quod eo sit ornatu, & talia: alias dicitur vita, verbū vitæ, lux mundi, lapis angularis faciens vtraque vnum: qui peccata præterita & futurā expiauit: agnus occisus ab origine mundi: semen in quo omnes cre-

dentes salutē consequuntur: Iesus Christus, in quo  
omnes credētes sanctificātur, iustificātur, omni cę-  
lesti benedictione replentur: qui est imago Dei in-  
uisibilis, primogenitus vniuersæ creaturæ: & alia,  
quæ Paulus, & alij in suis Epistolis de Christo, &  
de Ecclesia scripserunt. Cap. 2. & 3. mysticè propo-  
nuntur, quæ Apostoli de Ecclesia rectè constituta  
exposuerunt: quæ in ea esse debuerunt, quæ ab illa  
remouenda cœntuerunt. Capite 6. vsque ad 12. per  
signa quædam ostendit illa Ioannes, quæ alij Apo-  
stoli scripserunt de temporibus futuris. vt Paulus,  
de homine peccati Antichristo, de que aliis recedē-  
tibus à fide, & oppugnantibus fideles. vt Petrus, &  
Iudas de iisdem. quæ cap. 4, & 21, & 22. figuris &  
imaginibus proponit nobis Ioannes, alias ab Apo-  
stolis tractata sunt, & à Paulo de regno Dei spiri-  
tuali, ac de Ecclesia sancta: & quadam ratione fu-  
tura sunt quoq; ab illis ostensa. In hac re nō mul-  
ta verba existimo esse facienda: sed tantum simpli-  
cioribus indicandum, eadem fuisse aliis verbis ex-  
posita ab Apostolis, quæ hic Ioānes tractat: quam-  
uis hic ordo, & series rerum exponatur, & multa  
fiant clariora, multa vberiorem doctrinam affe-  
rant rerum diuinarum, magisque aperiant nobis  
Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, atq; eorum  
opera in Ecclesia, quādo vera, & propria interpre-  
tatio fuerit allata. quam si non perfectè afferemus  
nos, scimus tamen aliquo modo ad illam proprius  
accedere: & quæ tenemus esse exhibenda cœteris,  
qui post nos perfectam, & absolutam interpre-  
tationem allaturi sunt, postquam Ecclesia fuerit in-  
nouata, in seque conduxerit totum orbem. vi-  
dcamus

deamus verò nunc, quare loco à Deo, dictum sit:  
*Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.]* Cùm  
 ea sit Dei magnitudo, vt ab homine percipi non  
 possit; voluit Deus in creatione mundi, & in his,  
 quæ egit ab initio vsq; ad finem mundi, à nobis  
 se Deum omnipotentem cognosci. vnde tam se-  
 pè repetunt Prophetæ, Deum esse illū, qui creauit  
 cælum & terrā: & Deum esse illū, qui agat omnia  
 in omnibus, & sine quo nihil factum sit, quod sit  
 factum; nil fiat sine ipso: nec sit malum in ciuita-  
 te, quod nō faciat Dominus. Et hæc quidem iam  
 ostensa sunt initio. & Prophetæ omnes intueban-  
 tur primū caput Gen. in quo omnia ostenduntur  
 creata à Deo: omnia quæ futura erāt in mundo,  
 fuisse iā ab initio constituta à Deo. imò verò vt tū  
 dicta fuerūt à Deo, ita fuisse apud Deū iam tū fa-  
 cta. Vt verò hæc demonstret Ioannes; ait, Ab eo  
 qui est, & qui erat, & qui venturus est. per eum,  
 qui est; signat, & posuit ante oculos nobis Deū,  
 vt quocūq; tempore fuerit homo, cognoscat ipsum.  
 eis, qui creat omnia, efficiat omnia, quādoqui-  
 dē ipse sit, per quē sint omnia, & vt sint omnia. Et  
 quia additur, Et qui erat: admonemur eum Deū,  
 qui nūc creat, & efficit omnia, fuisse eūdē, qui ab  
 initio creauit oīa, & mundū ipsum; atq; effecerit  
 omnia quæ vñquam fuerūt. & dum adhuc addi-  
 tur, Et qui venturus est, signatur Deus, qui creat,  
 creauit, efficit, & effecit omnia, creature & effe-  
 ctus: deinceps omnia vsq; ad finē mūdi: atq; in  
 his verbis signatur quoq; tres status mūti: status  
 Patris, qui erat ante nos; status Filij, qui nūc est;  
 status Spiritus S. in quē nūc ingredimur, siue in

cuius statum nunc via paratur . & siccīrcō dicitur,  
Et qui venturus est ; ad nos scilicet assumendos in  
suum spirituale regnum. Per eum item, qui est, si-  
gnatur nobis Deus , qui solus verè est : ut dictum  
est in Exod. cap. 3. & in quo sunt omnes, quicun-  
que sunt, & totus mundus. per eum qui erat, signa-  
tur Dei æternitas ante creatum mundum: per eum  
qui venturus est, Dei quoque æternitas post mun-  
dum. dicitur autem: Qui venturus est, ad nos scili-  
cket assumendos in æternam vitam. Ponitur verò  
antè, qui est; post, & qui erat. quia de Deo ratioci-  
natur priùs homo ex his , & de his quæ sibi sunt  
præsentia; post de præteritis, & futuris. & id quo-  
cunque tempore fuerit homo , ut dicebam, quia  
omnibus temporibus dedit Deus verbum suum,  
& opus suum peregit in mortalibus, vnde potuerit  
ab his cognosci: præsertim quando verbum nouū,  
& opus nouum fecit in populo suo. quia in ipso  
verbum Dei, & opus Dei, & eius misericordia non  
deficit in generatione & in generationem. maxi-  
mè autem in euentis rerum antè denuntiatarum,  
quando illa, quæ multò antè denuntiavit , efficit  
Deus, cognoscitur ipse & semper fuisse, & semper  
futurus. Quòd autē sint tres status, ut dicebamus,  
Patris, Filij, & Spiritus sancti, in principio Genesij,  
& alibi sàpè dictum est . & Abbas Ioachimus, ac  
alij, illos probarunt ex opere Patris, ex opere Filij,  
& ex opere Spiritus sancti, atque breui futurum  
est, ut id pateat. Et si secundùm rationem statuum  
tribuitur Filio illud, qui est, ut sit, qui est: & in eo,  
qui est, sint omnia quæ facta sunt, & totus mun-  
dus , ac omnia quæ in eo sunt facta: ergo Filius  
ingre-

ingredietur in id totum, quod prius dabatur Patri: & de ipso quoque dicetur: Qui est, & qui erat, & qui venturus est. vnde factum est, vt infrā dicat Christus: Ego sum a, & o: principium, & finis. atque ei tribuat Ioannes, vt sit, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. Quod autē in Christo sint omnia quæ facta sunt, & totus mundus, prima visio nobis demonstrabit. Vnde propter tres status mundi videmus necessariō primam interpretationem fuisse suscipiendam. & quia Christus est imago Patris, & in ipso sunt condita vniuersa, & portat omnia verbo virtutis suæ, vt videbimus in visione, secunda quoque interpretatio videbitur necessariō esse suscipienda. & hinc ratiocinari poterunt Theologi, quomodo Pater sit in Filio, & Filius in Patre: quomodo Pater tradiderit omnia Filio, & talia multa. nos autē hæc illis relinquentes, interpretationē historicam persequemur: sed antè est hic videndū, quæ causa fuerit, & quænam in dē utilitas oriatur, vt his attributis Ioannes Deū nobis descripserit. primum Dei maiestas conspicitur, & ipse cognoscitur, qui non videtur humanis oculis. deinde contra tyrannos, & Antichristum efferuntur hæc verba de Patre, de Filio, & de Sp̄itu sancto: & simul arguuntur omnes Idololatre, qui creaturas adorarunt: suos falsos Deos: homines viuos, & mortuos. Vnde clamat Prophetia: Qui non fecit cœlū, & terrā, non est Deus: non ergo adorandus. qui non nuntiat futura ab initio, non est Deus: non ergo adorandus. solus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, creauit omnia, effecit omnia, nuntiauit omnia: solus ipse ergo est

Deus; solus ergo ipse est adorandus. atque hinc factum est, vt dictum sit: Non qui est, qui erat, qui venturus est: sed addatur copula, & dicatur: Qui est, & qui erat, & qui venturus est. vt idem intelligatur, qui est, & qui erat, & qui venturus est. quod quidem de nulla creatura dici potest. nam Angeli aliquādo non erant, ita homines. ergo non sunt Dij, ergo non adorandi. vnde de Deo Patre, & de Filio dicitur: Tu idem es semper, & anni tui non deficiunt. hæc omnia vrgent contra impios Prophetæ. vnde dicitur in Isa. cap. 44. Ego primus, & ego nouissimus, & præter me non est Deus. item: Ante me non est formatum quidpiam à Deo alio, etiam post me non erit. Contra invocationem Sanctorum dicitur item in Isa. 63. A seculo est nomen tuum. Quamobrem cùm hæc contra omnes allata sint impios, tum contra Papam Antichristum ait Ioannes de Deo, & de Dei filio: Qui est, & qui erat, & qui venturus est.

*Et à septem spiritibus, qui sunt ante thronū eius.]*  
 Quemadmodum loco Dei Patris dictum est: Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est: ita hīc loco Spiritus sancti dicitur, Et à septē spiritibus, qui sunt ante thronum eius. Suo Spiritu sancto agit Deus omnia in omnibus, & ante conspectū eius sunt semper omnia opera sua ex se ipso procreata. nam voluit Deus suam æternam diuinam essentiam exprimi in verbis illis: Qui est. & qui erat, & qui vēturus est: ipsum esse verum esse, qui nunquam non fuerit, qui nunquam desiturus, nunquā mutationem admissurus sit. ipsum esse esse rerum omnium. quod omnia quæcunque exten-

extent in cælis, & in terris, ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt: fuerint, & futuræ sunt, non solum creata ab ipso ab initio, maximè verò manifestū fecit id Deus in Ecclesia sua in tribus statibus mundi, quando in primo erat creans populum suum sub promissione, & lege: quando in secundo nunc est efficiēs, & formans filios suos in Euangelio: quando in tertio venturus est promissa præstans in aperta Prophetia, eosdem ad imitationem Christi perficiens. voluit quoque Deus omnia opera sua ostendere, & vim magnam suam in his verbis: Et à septem Spiritibus, qui sunt in conspectu eius. Opera sua omnia in hoc mundo ostenduntur in ipsa revolutione temporum, quæ tempora perseverant in ipsa revolutione septenī numeri, ac septem dierum: qui dies veniunt in ætates septem mundi, dum habetur accessus ab angustiis terreni orbis ad amplitudinem cælestium, quorum luminaria cœtimus. in quibus septem gubernatoris distinguunt nō solum maiora, sed & minora tempora. atque ab his cælestibus septem ductoribus temporum fit conscientia ad supercælestes, ad ipsum tandem thronum Dei, ubi duo hinc considerantur, æternitas ipsa magni Dei nostri, qua est sine tempore, & dat tempora, & distinctiones temporum in omnibus quæ infra sunt: item fons virtutum Dei, quas diffundit in omnia quæ creavit: quibusque fiunt, & perficiuntur omnia in supercælestibus, cælestibus, & terrenis, atque adeò in sua Ecclesia. non est iam meum disputare diligenterius de Dei æternitate, & eam comprobare ex septeno numero:

ac ut tempus reuolutum in septenum numerum  
dierum perseverat: magisq; in cœlestibus, vbi re-  
uoluitur tempus ex ætatibus in ætates: vt si altius  
semper cōscendas, peruenias ad æternitatem, vbi  
non sit tempus; sed sine tempore æterna omnia:  
quaæ dent, & distinguant inferioribus tempora.  
Non meum pariter est persequi diuinæ virtutes,  
quaæ à Deo ipso diffunduntur in Angelos, in celos,  
in homines, in omnia hæc inferiora: munera, vi-  
res, & operationes multiplices, & distinctas: om-  
nia commōstrata certa magnaratione in nume-  
ro septeno Angelorum. Ab altioribus ergo absti-  
nens, persistā in munere mihi dato, vt historiam  
sacram percurrendo, exponam generatim opera  
Dei septena septem ætatum mundi in sua Eccle-  
sia. in quibus quidem ætatibus suo Spiritu crea-  
uit, despousauit, coniunxit sibi Deus Ecclesiam.  
creauit in fide Abrahæ, nutriuit in Lege, ornauit  
in Prophetia, despousauit in Euangelio, fidem  
confirmauit in Apocalypsi, nutritiuit spe adhuc per  
nouos Prophetas se ad futurum, ac nuptialia per-  
acturum. venit tandem, & coniunxit eam sibi in  
aperta Prophetia. his verbis exposui septem æta-  
tes mundi. exponat multis modis aliter, qui velit,  
eas, in quibus operatus est Deus suo Spiritu or-  
dine septeno quicquid cōtinetur in diuinis Scri-  
pturis. Esdras, Ecclesiasticus, duodecim Filij  
Jacob, & Prophetæ variè illas ætates significant:  
& Hebrei habuerunt illas consignatas in septē, &  
tribus Sephirot suis. Ut ergo Deus in tribus stati-  
bus mundi in verbo suo ostendit se fuisse, qui statū  
promissionis, & Legis constituit primum, Euan-  
gelij

gelij secundū, Prophetiæ patefactæ tertiu; ita in his septē ætatibus per suum sanctū Spiritū ostendi se operatum omnia in Abrahamo, ac deinceps in eius semine: in statu populi sui cōstituto data Legē, & post deinceps in toto populo Israēlitico, siue Iudicibus, siue Regibus, Ducibus, & administratoribus in illo: in eodē populo ducto in servitutem ei per Prophetas spem libertatis perfectę ostendens, ac promittēs, signaque afferens præstandi promissa: in omnibus credentibus verbo Christi, & prædicationi Euangelicæ: in omnibus persistentibus in eadē fide, dū multi à Christo ad Papā defecerūt: in omnibus, qui nuntios audierūt venturi Christi liberaturi Ecclesiā à Papatu, & ab Antichristo, eamque innouaturi: in omnibus, qui suscepérūt verbum Euangelij, quod nunc secūdō prædicauit Christus in mēbris suis, & Papatū reliquerūt, quiq; in certamine verbi, & armorū pugnārunt fortiter, & pugnant cōtra statū Antichristi. In his septē ætatibus operatus est Deus omnia in omnibus. ac non solū operatus est; sed & ab initio constituit ita omnia agere, atq; hæc omnia nūtiauit; & singulis téporibus, ac ætatibus in Ecclesia per suos ministros significauit. in fine autē quicquid ab initio constituit, tandem peregit, & absoluit. quod indicatur dum dicitur: Qui sunt in cōspectu throni eius. Et si difficile sit de throno Dei loqui, quia tamen sapientia magna Dei, eiusq; virtus patuit in Ecclesia, in Ecclesia quæremus thronū eius. Ac dū dicitur, Cælū esse sedē, terra scabellū pedū eius: atq; in Isa. cap. 6. Dominus sedere super soliū, & simbrię eius replere tem  
plum:

plū: videmur posse dicere, thronū Dei esse Ecclesiā, ab Abraham, sive ab Adamo usque ad finem mundi. nam cælum dictum est sedes Dei: ac sub cælo intelligitur quoque Ecclesia. ergo etiam Ecclesia erit thronus, solium, & sedes Dei. Septem spiritus sunt iam in conspectu throni eius. quia, ut dixi, opera Dei in Ecclesia sua sunt, omnia omnium temporum in eius conspectu futura; & præterita, ut præsentia: quæ acturus est, ut quæ acta sunt: quæ egit, ut quæ iam agit: quod dixit futurum, idem fuit quod factum. neculla vis est, quæ quidquam possit contra ac ille dixit. Et ut res magis pateat, diximus sub cælo intelligi Ecclesiam, quod ab initio scripturæ, & deinceps poterit cuique esse manifestum. dicta verò fuit Ecclesia cælum, non solum quod Deus in ea habitet; sed quia, ut dictum est in initio Genesis, ad creationem mundi assimilata fuit creatio Ecclesie, & omnium actionum, ac operum, quæ erat Deus effecturus in ea omnibus statibus mundi. vnde cap. 48. Isaiae, quæ effecit Deus opera, dicuntur creata. & ut cælum volvit, & distinguit tempora septeno numero, ut sunt in cælo septem gubernatores; ita Ecclesia excursa est per septem tempora à septeno opere Spiritus Dei deducta ad suam perfectionem. Idq; factū est, ut cognoscamus in opere Spiritus Dei in Ecclesia Deum creatorē celi, & terrae. quod tam saepe urgent diuinæ scripturæ: & quod qui creauit ecclesiā, creauerit cælū, & terram: qui cælum, & terram creauit, effecerit omnia omnibus statibus mundi. qui distinxit cælum septem gubernatoribus, & tempus septeno numero, distin-

distinxit & Ecclesiam in septem operibus Spiritus Dei, & in septem ætatibus mundi. & id cùm cap. 1. Gen. sit demonstratum, nunc idem hic à Ioanne ostenditur, qui claudit totam diuinā scripturam. Ut ergo in 1. capite Gen. omnia proponuntur facienda in septem ætatibus mundi; sic nunc confirmantur esse peracta. & idem apud Deum esse principium, ac finem; & omnia, vt diximus, esse apud illum præsentia, & in eius conspectu, tam quæ futura, & quæ olim facta sunt, quam quæ sunt. Et quoniam diximus creationē Ecclesiæ sponsæ Christi assimilatam creationi cæli, & terræ: quam Dei vim ac potentiam, eiūisque opera, & acta in diuinis scripturis vidimus perfecta in Ecclesiis septem ætatum mundi; eandem, & eadem debemus cognoscere in creatione cæli, & terræ; in his sustinendis, regendis, & moderandis: & quicquid in his agitur, & perficitur, omne à Spiritu Dei agi, & perfici: atque omnes creaturas esse in conspectu eius, nec quicquam est ab oculis eius absconditum, vt latére possit. ipse enim est, qui dinumerat omnes stellas, & singulas suo nomine vocat, vt nullus homo, nulla res in terris, nulla cogitatio potest cum latére. Theologi hinc conscendent ipsi ad cælestem fabricam, & eius ordinem: conscendent & ad statum Angelicum, & multa videbunt præter illa, quæ diximus; atque multa ratiocinari poterunt: conscendent & ad ipsam æternam maiestatem Patris, ybi fontem intueantur omnium. nobis non datū est illa tractare; sed hæc tantum notare, quæ ad Ecclesiam pertinent; vt cognoscant omnes in historia sacra ex his, quæ conspiciuntur creata à Deo

Deo, quæ effecta ab eodem in omnibus ætatibus mundi, ipsum solum esse verum Deum, & Iesum Christum solum verum Dominum nostrum, qui suo sancto Spiritu crearint, & effecerint omnia in cælo, in terra, in Ecclesia, & quoduis in quolibet horum. nō autem quemquam aliū esse Deum, nec fuisse, nec futurum. Est & ea ratio quare Ioannes dixerit, non à Spiritu sancto; sed à septem spiritibus, vt scilicet præter vim illam diuini Spiritus operantis omnia in omnibus, & in singulis omnibus ætatibus mundi, vrgeat Ioannes Legem, & doctrinam fuisse in Dei Spiritu recognoscendam, non in motu proprio Papæ, ac libidine tyrannorum: sanctificationē, & iustitiam, & remissionem peccatorum in Deo patre, ac Christo Iesu esse pretendam: veritatem in omnibus controuersiis, nō in illorum infiditia; sed in verbo, quod Deus suo Spiritu locutus est in seruis suis, esse querendam. hic perennis Dei Spiritus, qui lucet in verbo Dei, ac omnibus diuinis Scripturis, agnatus fuit in columna ignis, de qua dictum est in Exod. quæ ibi dicta sunt, huc transferantur. Ergo non Antichristum, non quemquam aliū cognoscere debemus in terris Deum, qui possit facere quicquid velit: vt nunc iactat de se Papa Pius quintus. sed ille est Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est: & qui in septem ætatibus mundi fecit semper, & perfecit tandem omnia, vt constituit ab initio se facturum. Hinc illa veniunt consideranda: Papa est aut vicarius Christi, aut Antichristus; atque horum alterum necessariò est concludendum: Si Papa, & Papatus persistent, omnino Papa est vicarius Christi;

sin ex-

Si expelletur, Antichristus. Et si dicatur commutari posse status eius, ut in Iudeorū sacerdote summo factum fuit sāpē, qui propterea non dictus est aduersarius fuisse Dco; atque mutatio fieri posse status in Ecclesia, ut non sit Papa Antichristus : respondemus: Si fiat mutatio in Ecclesia, illam futuram præter voluntatem Papæ, & contra eius conatus, ergo non erit Deus. deinde si mutatio fiet, non in simile fiet, sed in aliud, in contrariū: si eo supplicio expelletur, quo affecta fuit synagoga & Hierosolymæ, nō iam vicarius; sed Antichristus erit conuictus: qui non sit, qui est, & qui erat, & qui venturus est, non fecit quæcunque voluit, quæcunque iactat se posse: ut cùm voluntas fuerit impedita, & conatus perfracti, contrarius Deo, & Christo Iesu fuerit inuētus. Posita autē est à Spiritu sancto salutatio, quia in primo statu tantum cognoscetur Deus pater omnium, & Filius promittebatur: & cùm venit Filius, tunc nuntiata fuit salus à Patre, & Filio: atque Iesus promittit Spiritum sanctū. & quamvis venerit supra Apostolos, in hisq;, & in alijs, ut etiam ab initio in omnibus credentibus operatus est; tamen eius solemnis aduentus in omnes in toto mundo credentes nondum adfuit. Quia verò scripsit Ioannes quæ pertinebant ad aduentum solemnem Spiritus sancti; & quæ scripsit erant aperienda in illius aduentu tantum Ecclesiae, siccirco existimo nuntiasse gratiā, & pacem à Deo, & à Spiritu sancto, & à Christo Iesu, quod idem nos deinceps videmur debere facere, quibus perspicuus factus sit solemnis aduentus Spiritus sancti, qui ut Christus datus fuit antequā nasceretur

ex Ma-

ex Maria virgine; ita ipse semper operatus est ab initio in omnibus credentibus omnia Dei opera. quiq; cognosci debet esse vnū cum Patre & Filio, vt ab ipso quoq; nūc nuntianda sit salus. pro Spiritu autē sancto posuerit septem Spiritus, vt attendantur omnia quæ antè dicta sunt, & dicentur in toto libro de septeno numero, in quo opus & virtus Dei cognoscatur in omnibus quæ nuntiabantur. vt in omni opere Euangelico virtutem Dei recognoscit Paulus in his qui credunt, & saluantur.

*Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis.]* Positus hīc fuit Spiritus sanctus ante Filiū; quia, vt existimo, & totum cursum temporū, ac ætatum complexus est Spiritus sanctus, vt cap. i. Gen. vidimus, alibi que læpè: & Spiritus sanctus videtur ingressus in statum Filij secundum post Iesu Christi ascensum in cælum: vt ipse quoque comprobari Deus debeat: & quia in secundo aduentu Christus videtur iterum humiliādus, vt crucifigatur iterū in membris suis; fiatque repetitio sui passionis antequām fiat reuelatio de ipsis exfuscitatione in membris suis, vt sit victor Antichristi, & regum impiorum terræ. quæ quidem repetit, & narrat hīc Ioannes ante quām accedit ad narrationem suarum visionū, quasi & reddat causam, quare posuerit Filium tertio loco, & illum proponat in secundo aduentu primū, vt qui passus sit in suo corpore antè, iam patiatur in suis membris: deinde, qui in his resurgat, & clamet: Ego sum  $\alpha$ , &  $\omega$ . hanc existimo esse propriam causam, quare tertio loco salutatio nuntiata sit à Filio. qui attendunt ad communē ordinem hominum, dicerent fortè tertio loco positum Filium,

Filiū, quòd de ipso sequatur longa narratio, & de sua Ecclesia, vt continuatus sit sermo ab eo, quod proponitur de ipso, & deinceps narratur. Quòd autē Iesu Christus sit filius Dei, confitentur omnes qui in Deo manent, vt ait Ioannes. quòd item Iesu sit Christus, nemo negat, nisi Antichristus, & impij. Ac de Iesu Christo Dei filio, non est vt hic plura dicamus, quām quæ dicta sunt ab Apostolis, à quibus omnes fideles instituti sunt. sequitur autem, vt eius attributa videamus, in quibus apud fideles nulla est difficultas. nouerunt enim omnes Christum esse viam, veritatem, & vitam: & omnia quæ audiuit à Patre, aperuisse nobis: atque de Patre testatum esse in suo Euangelio, in seque compleri omnem diuinam Scripturā. quia cap. 5. dicitur Agnus is esse, qui aperiāt librum, & soluat signacula eius: nouerunt & eundem resurrexisse è mortuis, vt excitet nos è mortuis, & ducat in eternam vitam: nouerunt ipsum esse Christum, Messiam, & Regem regum. cuius rei veritatem reuocauit ipse Christus ad hæc tempora, cùm diceret Iudeis: Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli, quando iudicabit mundum, atq; solus in toto mundo Rex regum, & Monarcha habebitur. nouerunt & ipsum nos dilexisse; quòd mortuus sit pro nobis; suo sanguine lauerit peccata nostra. Et si qui sunt, qui minus nouerint, quomodo fecerit nos reges, & sacerdotes Deo, & Patri suo, vt significauit Petrus, noscent in tertio statu; ac experimēto, reque ipsa scient. credunt item fideles ipsum venturum: imò scient nunc venisse, ac cœpisse

opus sui secundi aduentus. quia vt Apostoli ante resurrectionem Christi non nouerunt quid fieret, cum ipse prædicaret, & pateretur, nouerunt verò post aduentum Spiritus sancti; similiter nunc fit. vident omnes opus prædicationis, & bellicam perturbationem: at pauci sciunt Christum iam prædicare, & pugnare: quod noscent post: atque omnis oculus videbit Christū iterum fuisse crucifixum in membris suis: omnesque tribus terræ se accusabunt, & afflictabuntur, cum id nouerint factum ubique terrarum, vt iterum Christus passus sit ab ipsis. Hęc omnes intelligent. verum nō satis est ita intelligere; sed oportet scire hęc attributa ita esse data Christo, vt amota etiam intelligentur ab Antichristo; qui testis est mendax. testatur se Deum, & sedere in cathedra Dei; atque mendax conuincitur in Ezech. cap. 28. testatur se summum Sacerdotem, ac Pótificem maximum: at in Concilio secundo Tridentino sui Episcopi cognouerunt eum Antichristum: testatur se tenere claves regni calorum, qui tenet clauem abyssi: testatur se tenere clavē, & interpretationem sanctę Scripturę, se loqui Euāgelium; & negat eum, qui nos redemit. multa dici possunt, quæ cuique fidelis sunt nota, tribuit sibi Papa facultatem, & potestatem educendi animas ē purgatorio: tribuit sibi principatum in populo Christiano, potestatem remittendi quæcumque peccata: vult omnes magnos, & paruos, atq; adeò Concilium sibi subiici, ac suę tyrannidi: iactat se non subiici legibus: Legem Dei vertit, inuertit ad libidinem, & lucrum: cogit, quos potest, in se iurare, vt quæ Dei

Dei sunt, & Christi Iesu , sua faciat , eius locum occupet : gloriam & honorem , qui vni soli Deo debetur, in se deriuat, nec credit Christum dei-  
Eturum se ex illa tyrannide: sempiternam vult il-  
lam esse in mundo . contra hæc omnia inculcat  
Ioannes attributa Christi. Quia verò multi vide-  
runt, & cognoverunt facinora, & errores Papeos:  
viderunt item multi , & ipsi prælati in Apocalypsi  
nuntiari multa grauia contra se ; nec quicquam  
tamen contra se ne quidem post mille annos esse  
factum, vt deturbarentur è suo statu ; irriserunt  
Ioannem cum sua Apocalypsi , atque in prouer-  
bium verterunt eius verba. nā cùm volunt ostendere  
aliquid non futurum , non euenturum , di-  
cunt esse illud Citò Ioannis. Ioannes verò, cui id  
fuit ostensum , respondit uno verbo , *Etiam*, siue  
certè, siue profectò . quasi dicat : Contradici-  
te, obloquimini , irridete quantum volueritis,  
omnino ac necessario hæc fient: *Amen*. & ita  
fiat, quemadmodum locutus est Dominus, vt pij  
liberentur ab Antichristo , & suscipiant suum re-  
gem Christum; impij autem, ac irrisores perdan-  
tur. In his attributis est præterea aduertéda repe-  
titio: nec dicendum est Hebreos gaudere repeti-  
tionibus : sed mysteria, quātū possumus, cōtem-  
plari oportet. primū dicitur: *Qui est testis fide-  
lis, primogenitus ex mortuis, princeps regum terræ.*  
hæc ita dicuntur de Christo , vt & ad tēpus,  
quo fuit Christus in terris referantur , & ad tres  
status. quando Filius Dei visus fuit in carne, &  
deinceps, de se dictū fuit, quod esset testis fidelis,  
primogenitus mortuorū , princeps regum terræ.

Sed & ita quoq; hæc tria mēbra, seu attributa distinguntur: ut *testis fidelis* dicatur Christus, quia, vt creatio omniū rerum tribuitur Patri; effectio omnium rerum Spiritui sancto; ita omnia verba diuinæ Scripturæ, verbo Dei, & filio Dei tribuantur. atq; ita *testis fidelis* dicatur Filius. quia quicquid locutus est in omnibus diuinis Scripturis, est veritas, & vera cōprobantur euentibus. quod patefiet toti mundo in tertio statu. atq; ita illud, *Testis fidelis*, assumit primū statū, & in Filio Dei declarātur omnia in omnibus diuinis Scripturis vera usq; ad finem tertij status, quod ipse sit Propheta ille vetus promissus cap. 18. Deut. vt Papa falsus. Dum autē dicitur *primogenitus mortuorum*, hoc ad secundum statum refertur, quando Christus mortuus surrexit è mortuis, atque effecit, ut omnes credentes resurrecturi sint in vitam æternam in ipso. *Princeps regum terre* quamvis sit habitus semper à fidelibus, tamen in tertio statu id erit omnibus in toto mundo perspicuum. Et dum vult Ioānes ex his gloriam, & honorem Christo tribuere, repetit eadem quodammodo: atq; nobis quæ Christi sunt ostendit commuuicata, dum ait: *Ei qui dilexit nos, & lanuit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos reges, & sacerdotes Deo, & Patri suo.* Tria & hic dicit, quæ pariter ad secundum statum possunt referri, & deinceps. item ad tres vnumquodque membrum. vt dilectio, qua dilexit nos Filius Dei, intelligatur iam præstita Abrahamo, qui vidit diem Christi, atque deinceps omni eius semini. quæ quidem dilectio maximè fuit perspicua in cius morte, quam sustinuit.

stinuit pro peccatis præteritis quoque & futuris.  
 Quòd autem lauerit nos à peccatis nostris in san-  
 guine suo , cùm id præstitum fuit in eius morte,  
 simul & præterita peccata , vt dixi , lauata sunt.  
 quod significabatur in primo statu in sanguine  
 victimarum:quòd sine sanguine nō fiat remissio.  
 Quòd item fecerit nos reges , & sacerdotes Deo,  
 cùm id dicat Petrus præstitum in secundo statu,  
 significatum tamen fuit in Regibus, Ducibus,&  
 Sacerdotibus primi status, hoc idem ad fideles  
 eiusdem primi status pertinuisse; & in tertio sine  
 vllis vmbbris , & sine contentione cum tyrannis &  
 Antichristo , obtinebitur . Quare ex his tribus  
 membris , & ex tribus superioribus videmus sex  
 attributa data Christo , quæ sunt sex ætatum mun-  
 di. additur septimum attributum , vbi deinde  
 dicitur: *Ecce venit cum nubibus, &c.* Quæ septem  
 attributa respondent septem operibus Spiritus  
 sancti , & tribus statibus. primum , vt cognosca-  
 mus & Filium Dei: ut in fine suæ primæ Epistole  
 ait Ioannes de Christo: Hic est verus Deus, & vi-  
 ta æterna. deinde esse idem cum Patre, & Spi-  
 ritu sancto. tum in Filio dari nobis quæ sunt Pa-  
 tris, & Spiritus sancti. de qua re non est vt plura  
 dicamus. Satis sit sententiam historiæ attigisse.  
 Theologorum erit plura diducere , ac differere,  
 propter hoc autem videtur Ioānes interposuisse  
 honorem , & gloriam dandam Christo , qui sit  
 Deus, & præstiterit quæ dicta sunt. Est item ad-  
 uertendum in eo quod ponitur pro septimo at-  
 tributo : *Ecce venit cum, &c.* distinctū esse in tria  
 mēbra, quòd vēturus sit cum nubibus: quòd vi-

debit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt: quod plangent ipsum omnes tribus terrae: hoc est, ob ea que in ipso contigerunt. Quid per nubes intelligendum sit, existimo indicatum esse nobis initio 14. cap. vbi dicitur: Ecce agnus stas supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. per nubes ergo intelligo prædicatores, ut ostendetur in eodem capite, vbi dicitur: Similis filio hominis sedere super nubem candidam. intelligo & credentes, & pugnantes pro parte Euangelica, ut vidimus cap. 19. Isaiæ. Cum ergo dicitur venturus cum nubibus, significatur Spiritus sanctus, & Christus ipse venturus in Spiritu, qui in præparatoribus nuntiatur. iterum Euangelium, atque virga ferrea curus sit non credentes, & irrisores. hæc contemplare in Luca cap. 21. Cum additur: Et videbit eum omnis oculus; ipse Christus significatur in membris suis aduenisse. Si quid aliud præterea sit intelligendum, euentus docebit. Et cum additur: Et plangent super ipsum, reuocatio indicatur totius mundi ad Christum, & ad unum Deum Patrem omnipotentem, patefactum in Iesu Christo toti mundo. Ut iam concludamus sententiam eorum, que hic de Christo diximus, dum mouit attentionem, & nuntiauit Ioannes adeste Christum, inquiens: Ecce venit cum nubibus; significantur, & attributa illa allata contra Antichristum, & falsæ opiniones quæ fuerunt in multis de Christo, & sunt hoc nostro tempore, esse iam amouedæ, quando ageret Christus virga ferrea, & patefactus fuerit eius aduentus: & qui a multis est cognitus non Deus, nec suscep<sup>vt</sup>

vt Deus, iā cognoscatur, & suscipiatur. vnde ex-clamabit ipse tūc: Ego sum a, & o: & nos attestabimur quōd & verē de se dicat : Ego sum a & o: quōd sit, qui est, & qui erat , & qui venturus est.

*Ego sum a, & o: principium, & finis, dicit Dominus.]* Quōd mysteria in superioribus attributis fuerint consideranda, his verbis monemur, in quibus inducitur Christus Iesus ipse de se concionari, & clamare, vt cūm venit in carne clamabat : Ego sum lux mundi. clamabit igitur in suis prædicato-ribus, & aperiet mysteria, quæ de ipso fuerunt con-signata in sacris literis. sed antequām dicam, quid mihi clamare videatur, hæc tria membra sunt ex-ponenda , vt quidem poterimus, & dabitus. alibi diximus linguam Hebreām tributā statui Circum-cisionis, quæ exponeret quæ sunt Patris: Græcam, quæ sunt Filij: Latinam, quæ sunt Spiritus sancti: nunc igitur dicimus nō solum, quōd scribat Ioannes Græcè; sed quia loquitur de Filio sub mysterio literarum, potissimum uti literis Græcis, & vocare Christū a, & o. dicam igitur hoc membrū a, & o, continere mysterium de Filio: principium & finis, de Spiritu sancto: qui est, & qui erat, & qui ventu-rus est, omnipotens, de Patre : tametsi etiam mu-tua hæc inter ipsos sint, & communia. vt indè co-gnoscamus in Christo donata nobis quæ sunt Pa-tris, & Filij, & Spiritus sancti: in ipso nos habere se, & Patrem, & Spiritum sanctū : se esse in Patre, & in se esse Spiritum sanctū: Patrem, & Spiritum sanctum in se esse: se esse verum Deum cum Patre, & Spiritu sancto. qui cūm & in nobis erit, habebi-mus & nos in ipso vitam æternam. dicimus autem

esse proprium attributum Filij, ut sit  $\alpha$ , &  $\omega$ : quia est verbum Patris, nec recedit à Patre, ut verbum in homine non recedit à ratione hominis. verū non est idem verbū Dei, ut verbum hominis. quod hoc prolatum euaneſcit, ni ſcribatur, illud idem eſt cum eo, cuius eſt verbum. item continent in ſe rationes rerum omnium, quicquid dici, & ſcribi potest. item idem eſt, verbo Dei nuntiari aliquid, & iuberi, ac illud euenire, ac fieri. Quamobrem qui eſt  $\alpha$ , &  $\omega$ , eſt idem cum Patre: in ſe continent omnes ideas, ac formas, omnes naturas, omnes virtutes omnium creaturarum: eſt effector omnium Filius Dei: quicquid eſt rerū omnium in Filio Dei eſt quocunque eſt. proprium attributum Spiritus sancti eſt, ut sit principiū, & finis. quod patere potest ex his, quae dicta ſunt in ſeptem spiritibus, qui ante thronum Dei ſunt. propriū attributum Patris eſt, ut sit, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, ut antea eſt dictum. Ea ratione igitur, qua Filius Dei eſt  $\alpha$ , &  $\omega$ , verbum Patris, contrahit in ſe quod eſt proprium Spiritus sancti, ut sit principiū, & finis. quia quicquid fit, inchoatur, & perficitur per Spiritum sanctum: à Patre id dicitur inchoari, fieri, & perfici in Filio. contrahit & quod eſt Patris omnipotentis propium, ut sit, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens. quia quae in tribus statibus creata extiterunt à Patre, intelliguntur eſſe iuſſa per Filium. itaque ut creare tribuitur Patri, & opus effici Spiritui sancto, ita verbo intelligitur creatum omne, & perfectū. creauit, creat, & creatureſ eſt omnes omnium temporum creatureſ, & opera Pater: efficit, effecit, & effecturus eſt omnia Spiritus

Spiritus sanctus in omnibus; vt perfectio, & virtus in omnibus creatis, & factis vigeat, & agat: sua autem ratio, & forma, & natura propria in omnibus creatis & factis, in omnibus vi certa agentibus existat à Filio, extiterit, & semper futura sit. vt in omni re creata est res certa, certa operatio, & certa natura; nec est res sine certa substantia, certa forma, & certa vi; ita unus Deus est esse rerū omnium, forma rerum omnium, vis & virtus rerum omnium: quod ab ipso sint omnia; ipse à nulla re esse possit, qui est unus aeternus Deus omnia in omnibus. Ergo qui est filius Dei, & forma omnium creaturarum, perstat esse forma ab initio ad finē usque omnium forma præditorū, quae fuerint, sint, & futura sint. Et quia quæcumque forma est in certa re, quæ sit & certa virtute prædita; filius Dei, qui est forma omnium, conducit, & portat omnia creata existens in omnibus, & in singulis forma usque ad finem rerum creandarum: conducit, & portat omnia, & singula certa vi, & virtute donata secundum certam formam à se sumptā. ita Pater quæcumque creat, portat omnia sua certa forma prædita, & virtute: ita Spiritus sanctus est semper agens in omnibus, & singulis creatis, & certa forma donatis. Vt iam una & eadem res non existit, nisi sua materia, forma, & vi propria, ita Deus unus, & idem est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: vt illa tria in nulla re diuulsa cognoscis, & vt ratione distinguis, ita cognoscis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum unum Deum: & unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Ergo cognoscimus filium Dei unum cum Patre, & Spiritu sancto. & ut semper Pater fuit, & Spiritus sanctus,

ita Filius est æternus. vt Pater creauit omnia, Spí-  
ritus sanctus perfecit omnia, omnia formata sunt  
in Christo : & in primis omnes credentes formati  
sunt in Christo filij Dei, regenerati ad obtinendam  
in ipso æternam Dei vitam. Ut verò hæc confide-  
rantur in toto cursu temporum mundi , etiam di-  
stinctè in tribus statibus mundi sunt contemplan-  
da, in Lege, in Euangelio , in aperta Prophetia.  
quomodo distinctè quæ sunt Patris,cognoscantur  
in Lege, quæ sunt Christi,in Euangelio: quæ sunt  
Spiritus sancti,in aperta Prophetia:quomodo item  
quando creabat in promissione, & Lege credentes  
Pater, crearet & sub Euangelio, & aperta Prophetia:  
quomodo dum filios Dei formabat Christus in  
Euāgeliō:quomodo per Euangeliū æternū semper  
& sub promissione, & Lege, itē in aperta Prophetia  
formarit credētes Dei filios: quomodo Spiritus S.  
dū in aperta Prophetia profert fructus Spiritus in  
creatis Dei filiis, protulerit & in omnibus sub Le-  
ge, & Euangelio. Et hīc iterum ducere poterimus  
conclusiones de vno Deo Patre , Filio , & Spiritu  
sancto. & quod maximè est hīc intelligēdū, & agi-  
tur de Christo:vt in ipso cognoscamus nos habere  
Patrē simul, & Filiū, & Spiritū sanctū: atq; eius  
dona nobis ætate septima donata omnia simul. po-  
terimus item de Lege , Euangelio , & aperta Pro-  
phetia multa differere. sed illa nunc potissimum  
colligemus, Filium Dei semper fuisse cum Patre,  
creante omnia in omnibus statibus; cum Spiritu  
sancto efficiente omnia in omnibus statibus & æ-  
tatibus: omnipotentē cū Patre, & Spiritu sancto;  
& iccirco nunc electurum Antichristum, & euer-  
surum

surum totum regnum Satanæ, ut habeamus, quæ diximus bona, Patrem, Filium, & Spiritū sanctum cum suis donis ; cognitionē quam habuerūt Prophetæ, & Apostoli, simus victuri sub eius regno, habituri in ipso vitā æternā, & talia. quæ prædicabit Christus in suis Prædicatoribus de se ipso in innovata Ecclesia, patefaciens se eū, qui sit α, & ω: principiū, & finis: qui est, & qui erat, & qui vēturus est.

*Ego Joannes frater vester, & partic.*] Dum proposituit Apostolus, & Propheta sibi significata esse per Angelum à Christo, quæ oportet fieri citò, data à Patre ipsi Christo Apocalypsi patefacienda seruis Dei, ac Iesu Christi, oportuit necessariò apponere suum nomen, ne tanta Prophetia sine certo authore, & authoritate prodiret, præsertim apud tot acres censores, qui tū, & post extiterunt. Dum deinde, more Apostolico, præponit salutationem hominis legati à Christo, & à Deo patre, in ipsa patefacit, more Apostolico & legati, suum nomen. dum verò nunc incipit narrare, quæ sibi ostensa fuerunt ab Angelo Christi, debuit suum nomen apponere, ut testetur de re quam vidi suis oculis, suis auribus exceptit, cùm propter alias causas, tum quod viderit & suum nomē, & suam Apocalypsim venturam in suspicionē. In Epistolis non legimus eius nomen, nisi Seniores, seu Legati: quod nuntiet, & loquatur quæ predicabant alijs Apostoli, ac eorum discipuli, atque satis ipse earum Epistolarum cognitus fuit author. at dum nuntiat separatim ab aliis Prophetiam magnarum rerum, debuit more Prophetico, nō solū apponere, sed repetere suum nomē. nam Isaias proponit initio suum nomen,

men, inquiens: Visio, quā vidit Isaias filius Amos.  
deinde cap. 2. & 13. idē repetit, & deinceps sēpē,  
Isaiam filium Amos. Ieremias cūm proposuisset,  
Verba Ieremiæ; sēpē repetit in toto libro: Verbum  
quod fuit ad Ieremiam. repetit & Ezechiel nomen  
suum, & in toto libro repetit sibi dici: Fili hominis.  
Oseas dum p̄eponit nomen suum, ter illud repe-  
tit, inquiens: Verbū Domini fuit ad Oseam: Prin-  
cipium sermonis Domini in Osea: Et dixit Domi-  
nus ad Oseam: quæ repetitiones non sine magna  
causa fiunt, dum testimonium certum volunt pro-  
ferre Prophetæ: dum signant ipsi interdū Christū  
p̄ädicantem, interdum Christi ministros futuro-  
rum temporum. verbi causa: Oseas signat p̄æter  
se Christum, dum dicitur, in Osea: & p̄ædicato-  
res nostri temporis, dū repetitur tertio, ad Oseam.  
Ieremias signat Lutherum, & alios sustinētes cer-  
tamen contra Papatum, semper repetētes se loqui  
verbum Dei, verbum æterni Euangeliij. & vt ostendatur  
Christus loqui in illis, repetitur nōmē Iere-  
miæ, qui loquatur verbum sibi factum à Domino.  
vt similiter p̄ædicatores illi intelligantur non sō-  
lūm loqui verbum Dei; sed esse Christum qui lo-  
quatur in ipsis. In Isaia non est ita frequens repeti-  
tio: quia initium Prophetæ Isaiæ signat initium  
p̄ædicationis ductæ à Sauonarola, quā pauci de-  
inde usque ad Lutherum tutati sunt. Vbique in  
Ezechiele repetitur, Filius hominis: quia nunc dū  
bellū geritur, multi ex infimo statu homines nun-  
tiant, quæ narrant Prophetæ de tota perturbatio-  
ne orbis nunc futura. Oseas magna ratione repetit  
ter suum nōmen initio, vt ibi diximus. & similiter  
existim

existimo eadem ratione nunc fieri à Ioanne , vt ter eius nomen sit initò repetitum . primùm præponit nomen suum , dū proponit sibi significata , quæ oportet fieri citò . quæ quidem continentur & in Prophetis , & in Mose . more Prophetico addito suo nomine , nuntiat gratiam , & pacem , vt nuntiauit prædicatio Euangelica . tertio loco addit suum nomen dicturus quæ vidit , & futura : veluti adducat in testimonium Patrem , Filium , & Spiritum sanctum ; scribat quæ Moses , quæ Prophætæ , quæ Christus nuntiarunt : scribat ipse quæ accepit à Christo ; quæ erant exagitanda in Ecclesiis , & disceptanda usque ad secundum aduentū Domini : quæ eventis patefacienda in secundo , quando sustinendæ erūt afflictiones ab Antichristo ; quarum similes sustinuit Ioannes , quando mysterium iniquitatis operari cœperat . vocat enim & se fratrem aliorum , vt ostendat fidelium unitatem in una Ecclesia etiam à primis temporibus : addit simul se participem in afflictione , quæ erat duratura usq; ad interitum Antichristi : se participem in regno Christi , quod visum fuit oppressum , quod occupabit tamen totum terrarum orbem . Dum enim venit Messias , venit regnum promissum in Prophetis . quod cum nouissent Apostoli , dixerunt Christo post eius resurrectionem è mortuis : Domine , quando restitues regnum Israël ? nam rectè cum adesset rex , quæsierunt de restitutione regni Israëlitici . sed locus dandus fuit Antichristo , atq; expectandus secundus aduentus , & tertius status . & iccirco ait Ioannes , se participem in tolerantia , seu in expectatione

tione Iesu Christi. Verba hæc Ioannis sunt facilia, & aperta; sed tamen sèpè in huiusmodi aper-tis verbis solent latèrē mysteria. quare existimo futurū, cùm aderit tempus cōmunionis Sanctorū, vt ex his apertis verbis aliquid mysterij aperiendū sit; & aliqua, quæ erunt eadem cum his, quæ sunt in veteri Testamento de familiis, & nominibus filiorū Israël. noluit Deus aperire initio omnia omnibus; sed fidis seruis suis quibusdam tantum. vulgò verò paulatim secretū suum patefecit. nam Adam cùm initio omnia nouisset, contempnit do-num, & parem se fecit Chrtisto: idem egerunt, & agunt, qui iimitantur primū Adamum. venit Chri-stus, & aperuit thesauros mysteriorum, & sapientiæ, ac scientiæ Dei. quę cùm suscepissent discipuli Apostolorū, contemplerunt multi ex illis donum, & prę se nil faciebant Paulum. & qui principatum appetebant in Ecclesia, non suscipiebant Ioannem Euangelistam. restitit tamen magna vi Paulus: sed quando occubuit, ingressi sunt lupi: ingressi sunt Antichristi, dona contemnētes, & se Chrtostos con-stituentes. prēdicatū est Euangeliū, & ministri adepti donū cognitiōnis Euangelicæ, dum labun-tur tempora, obliuiscuntur quęnam acceperint: sua illa faciunt: non Ministri, sed Theologi volunt appellari; atque principatum quisque in sua Eccle-sia, nec eos qui sunt ex aliis, volunt audire. Itaque fit disiunctio & separatio, vt non sit Ecclesia, sed tyrannis. Christus autē retrahit manū suis donis plenam: illi suum principatum tueri volunt: atque dum quisque ita agit, sparguntur semina magnæ pertur-

perturbationis: in qua parum fidi, & superbi punientur. Hæc dico, non ut quenquam velim reprehendere, qui non possum; sed propter futura tempora: ut omnes caueant arripere sibi quod est Christi, & Ecclesiæ moniti ex pœna de illis sumpta, & de Papatu: ut quisq; agat se ministrum Christi, non autē ipsum Christum. Et ut ad institutum redream, si quid pretermittitur à me in his verbis Ioannis, & in aliis, supplebunt futura tempora, quæ & alia aperient.

*Fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu Christi.]* Qui dixit se fratrem, & participem in afflictione, & tolerantia, ait se fuisse in insula Pathmos propter verbum Dei, & testimonium Iesu Christi. vbi afflictionem ostendit suam præter cætera in relegatione: in qua videtur significare etiam relegationem frattum futuram vsq; ad electionem Antichristi: quod à tyrannis pati deberent profitentes Christum, non sustinendi viuere inter homines: pati deberent à Papatu, & ad deserta loca con fugere, ut dicetur cap. 12. tandem in aduentu Domini duci in captiuitatem Antichristicam. Mos est non solùm Prophetarum; sed & Apostolorum in se quoq;, & in præsenti negotio assūmere futura. ut Paulus 1. Cor. 5. ad vigilantium hortas præsentes, narrat vigilantiā futurorū. ita & aperiūs agit Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, ut interpretatio docebit. Qui tractant verbum Dei verè, & Christum prædicant ut oportet, nec à tyrannis, nec à Papatu sustinentur. ergo oportebit illos esse relegatos, & affligi, vsque dum iterum adsit

adsit Christus liberator ab Antichristis , vt fuit liberator à peccato.

*Fui in Spiritu die Dominico.]* Dies Dominicus memoratur, vt existimo, vt indicetur trālactis sex diebus, sex etatibus datis Esau, septimo die, qui erit Domini, futurum, vt omnes cognoscant visionem , quam primam vidit hic Ioannes , & singula quæ in illa continentur cum tota Prophetia.

*Et audiri vocem post me magnam tanquam tuba dicentis.]* Scripturus futura Ioannes, audit vocem post se : retro se audit Christum loquentem , quæ locutus fuerat in Mose, in Prophetis, in Apostolis, de rebus futuris. magna fuit vox Christi in omnibus Patribus , in quibus locutus est eadem tanquam in tuba producta in magnam longitudinem ; vt indicetur eadem vox Christi in omnibus Patribus , & Prophetis, & Apostolis nuntiasse eadem. idque dicitur , vt omnia quæ tractat Ioannes futura, recognoscantur antè denuntiata ab initio Prophetiæ : atque vt nos conuertamus animum, & aures retrò recognoscentes, & audientes voces omnium Prophetarum , & Apostolorum , qui omnes exposuerint, quæ hactenus vidimus in Ecclesia , & quæ videmus in secundo aduentu Domini perfici.

*Ego sum rō α, & rō ω: primus , & nouissimus.]* Hęc verba, & tota visio quæ sequitur, inueniūtur antè denuntiata, prēdicata, & scripta. vt cap. 44. Isa. inducitur Christus, qui clamet: Ego primus, & ego nouissimus. & antè dixit: Ante me non est formatum quidpiam , & post me non erit. & septem candelabrorum visio cùm alibi, tū cap. 4.

Zachariæ

Zachariæ describitur in candelabro, & septem lucernis. & hæc duo loca allata sunt, in quibus quæ Ioannes vidit, retro se audierit in Prophetis à filio Dei. Repetit verò hic Christus, quæ antè de se dixit; & inducitur contra suum aduersariū Antichristum, & contra tyrannos se Christos facientes, clamare: Ego sum ῥω& ρω: primus, & nouissimus. vt in his duobus membris cōpleteatur omnia quæ scripturus est Ioannes, & illa quæ in Christo sunt, & non possunt esse in Antichristo; vt ostēdet prima visio. Vt literis omnia, quæ extant, significantur; ita forma, & ratio rerum omnium omnium temporum est Dei Filius. itē homo est, qui literas nō uit, qui legit, qui loquitur, qui numerat. omnes autem homines ab initio mundi ad finem usque à filio Dei habent, vt sint rationis participes; vt habeant quæ sint propria hominis; agant, & præstent quæ sint propria hominis. itē qua ratione sunt credentes regenerati filij Dei, agant & præstent quæ sunt filiorum Dei: vt & angelicæ creature à filio Dei habent, quod intelligant, & agant. Quæ forma, quæ ratio est ipsius status Ecclesiæ, & populi Dei totius usque ad hunc deductū, & constitutum in cælis in æterna vita; in Filio Dei solo habetur, & in æternum habebitur. idque factum est per æternum Euangelium prædicatum primis parentibus, & deinceps omnibus omnium seculorum credentibus. in quo æterno Euangeliō creati, formati, & perfecti sumus facti filij Dei; quemadmodum per eundem Iesum Christū creata, & formata, & perfecta sunt & quæ in cælis sunt, & quæ in terris, visibilia & inuisibilia, per ciudem sanguinem sunt

omnia reconciliata. Estq; ipse primus, & nouissimus, in quo omnes credentes sunt prædestinati, & glorificati: in quo nati sunt omnes fideles, & perducti in æternam vitam: ipse est initium omnis creaturæ , & finis: extra ipsum nulli sunt vita prædicti, vita filiorum Dei prædicti: in ipso est æterna vita, cuius participes sunt omnes , qui illam adepturi sunt. ipse semper viuit; nec vt cæteri homines, qui singulis æstatibus occumbunt. vnde de ipso dicitur: Vita eius vita omnium seculorum: priusquam mótes fierent, aut fundaretur terra, & orbis; à seculo, & vsque in seculum ipse est Deus. Si iam ipse est Deus, & ita vita Christi est omnium seculorum; estque ipse Sacerdos, & Rex æternus noster: nihil est, vt Papa, vt tyrannus assumat sibi Sacerdotium, & Pontificatum eius, qui manet in æternum: eius regis regnum, qui manet in æternum: assumat sibi creationem, & formationem, & perfectionem fideliū: tribuat sibi expiationem, & remissionem peccatorum, & talia, quæ in solo Christo habētur: assumat sibi administrationem, & constitutionem status populi Dei certis suis legibus, institutis, & cultu constabilitam; quæ debent fieri tantum secundum præscriptum diuini verbi. sunt enim hæc eius qui cōdidit mundum, è se creauit omnes , in se contrahit omnes; nec quisquam ante se fuit, cui primatus debeatur: nec quisquam post ipsum erit, qui possit ei succedere. iccirco Papa, & tyrannus nihil habebunt commune cum Christo, nec quicquam quod Christi sit, sibi deberi videatur. non audietur ille, qui dixit in corde suo : Non mouebor à genera-

neratione in generationem.

*Quod vides, scribe in libro; & mitte septem Ecclesiis.]* Scribuntur hæc de Christo audita, & visa à Ioanne in Euāgelio, & in Prophetis; & nūc voce, ac figura ostēla sunt ei nostra causa: vt Deus noster cognoscatur à nobis Deus verus, Christus cognoscatur Dei filius: quia Deus est, qui nuntiat ab initio futura. Scribuntur hæc vt respondeant iis, quæ scripta sunt in veteri Testamento iam à principio Genesis: & vt hæc sint cōclusio omniū diuinarum Scripturarum. de septem Ecclesiis dictum est antè: & cap. 2. ac 3. dicetur.

*Et conuersus sum, ut viderem vocem que, &c.]* Ego existimo hīc personā Ioannis ponī etiā pro his qui se secuti sunt, & pro nobis, qui ingredimur in tertiu statū. & si id firmū sit, patebit ratio trinæ, quam dixi, repetitionis nominis Ioannis, & Oſex. dum autē intelligimus tēpus, quādo Ioannes hēc audiuit, monemur esse audiēdos Prophetarē, & Euangeliū: in quibus narrantur quæ sunt statu tertij, & secūdi aduentus Iesu Christi. nam vox quā post se audiuit, signat vocē Christi, Apostolorum, & Prophetarum: & ob id conuersus dicitur, ut videat vocem quæ secum loquebatur: ut videat, & legat quæ scripta sunt de Christo, & quæ narrarūt Prophetē. fit verò mutatio auditus ad visum. quia audierat vocem Euangelij, & viderat legendō voces Prophetarum. ac dum audit vocem post se, id videtur intelligēdum & secundūm locum, & secundūm tempus. secundūm locum, dum ab ortu ad occasum versus ducebatur Euāgelium, ab Asia in Europam traducebatur

cultus Christi. secundum tempus, quod à primo aduentu Christi in carne ad secundum in Spiritu properabatur. ponitur & persona Ioannis pro nobis, qui dum properamus in tertium statum, audimus magnam vocem Christi, prædicationem eius secundò repetitam Euangelij tanquam tubæ: quod in membris & prædictoribus suis prædicet iam Christus. Et dum post nos intuemur ad Euangelium, & Prophetiam, conspicimus & videmus, quæ nunc dicuntur, & fiunt in Euangeliō, & Prophetia, & Christum & & o: primum, & nouissimum, qui quadā figura hīc describitur nobis. repetitur verò, Et cōuersus; vt signetur, quod dixi, & Apostolū vidisse, vt is cui hæc ostendebat: & nos videre, qui hoc tēpore cōuertimus in his quæ audimus oculos ad Euangeliū, & ad Prophetas.

*Vidi septem candelabra aurea.* ] Assumamus verba superiora, vt omnia in vnam sententiam conducantur. audiuit vocem post se Ioannes magnam tanquam tubæ, vt moneremur de futuris, & præsentibus, magnam esse in Euangeliō, & in Prophetis vocem verbi Dei, eamque tanquam tubæ. tuba hæc in longum valde protenditur. ergo retro nos longè audiendæ sunt voces verbi Dei usque ad ultima principia, ad primum cap. Gen. & iam inde verbum Dei in tuba Mosis protensa ad Prophetas, & ad Apostolos, sonare quæ sunt Patris, quæ Filij, quæ Spiritus sancti, in omnibus èstatibus, & Ecclesiis, usque ad illa quæ sunt finis mundi, & futuri seculi, & æternitatis: atque Christum esse & & o: qui hæc canat, esse primum, & nouissimum, verbum èternum Patris, in quo creata,

creata , & reconciliata sunt omnia Deo patri , & salute donatus homo: in quo Christo sunt omnes prædestinati credētes: in quo & vita viuent æterna : nec in yllo alio inuenitur salus dum omnia durant secula: quia nec ante ipsum fuit alius, nec post ipsum erit: nec cantus & sonos suæ tubæ destitit fundere , nec esse semen sanctum in sua Ecclesia à primo eius ortu, vñq; ad nouas eius nuptias in secundo aduentu. vnde cognoscamus dū durauit mundus, in nullo alio fuisse salutem , & perennem vitam, & administrationem , ac constitutionem Ecclesiarum: affectionem omnium, & dominatum mundi. imò verò vt videamus ipsum Dei verbum portare mundum omnibus seculis , attendamus quidnam viderit Ioannes: *Vidi, inquit, septem candelabra aurea.* nō repetam hīc quid alij interpretes dixerint . nec si vellem, possem . quia habeo tantùm ipsa Biblia, quæ in captiuitate circunfero . nec succurrit, si quid legerim, quæ alij scrips̄int, censeo esse cognoscenda. ego quæ Deus dat in peregrinatione, illa affero, illa propono. prætermittens ergo quæ ab aliis dicta sunt, solùm in hac prima visione contemplabor, quæ antè dicta sunt: atque omnia , vt posterò, in vnam, vt dixi, conducam sententiam. Septem candelabra sunt septē Ecclesiæ septem ætatum mundi, prima fuit Abrahæ , ac eius familiæ: secunda Mosis , & status cōstituti populi Israëli- ci: tertia Regum, & Prophetarum : quarta Apostolorum, & credentium Euangeliō: quinta mulieris ductę in desertum, & eius seminis recedentis à Papismo: sexta nouorum Prophetarum præ-

dicantium innouationē, & expectationē secundi aduentus Domini: quo tempore fuit illa magna persecutio Albigeriorum: in septimam nunc nos ingredimur. Secundūm suam quandam rationē, quę cognoscetur in Genesi, veniunt credētes ante Abramum usque ad Adamum, in numerum seu locum septē candelabrorū aureorum. Signatæ autem sunt Ecclesiæ in candelabris aureis: quod suscepitæ sint in corpus Christi, & donatae luce verbi Dei perenī, ac eterna vita: in hisq; Ecclesiis omnibus c̄statibus lux Dei, & verbū Dei & opus extiterit. Nec verò solū signat hæc septem candelabra Ecclesiæ omnium c̄tatum; sed & septem planetas, nam opus Ecclesiæ harum septem ætatum describitur in opere fabricationis vniuersi: vt vidimus cap. I. Gen. vnde & breuiores h̄ic erimus: quia quæ ibi dicta sunt, transferenda erunt huc omnia. tempora quoque Ecclesiæ distincta sunt secundūm tempus vniuersi, & secundūm cōuer-sionem septem dierum. vt indicetur eundē esse, qui creauit mundum, cælum, & terram; & qui creauit ac effecit omnia in mundo omnibus seculis: & qui distinxit cœlos septem gubernatoribus, & secundūm hos iussit conuerstiones temporum fieri; diuisit & c̄states mundi, ac distinxit tempora Ecclesiæ numero septeno. deinde vide-mus in naturis rerum, in animantibus, in plantis, in lapidibus, in mineralibus, signasse Deum quæ sunt sui operis in Ecclesiis. vt hinc quoq; cognoscamus eundem esse saluatorem nostrū, qui omnia in terris creauerit: & qui creauit omnia in terris, esse eundem qui saluat nos, & perficit nos in vi-

tam

tam æternam, quæ est in ipso Dei filio. Sed de his rebus oportet quoque vidisse, quæ dicta sunt in libris Mosis. Ita enim debemus contéplari Christum, ut non solum illum Dominum cognoscamus Ecclesiæ, & creatorem illius in seipso; sed & totius mundi: quem fert quoque sua virtute, & regit sua omnipotenti potestate. Altius vult adhuc nos concendere loānes, qui antè dixit, Et à septem Spiritibus, qui astant ante thronū Dei. vt cognoscamus non solum ordines Angelicos in Christo Iesu consistere, & sustineri; sed feramur altius ad thronum Dei, & contemplemur diuinæ virtutes, thesauros diuinitatis in Christo Iesu habitare. quod confirmat Paulus, qui illuc fuit raptus. Et hīc videtur dari item aditus ad cōtempplandum Deum altissimum, potentissimum, & æternum, sumptis his quæ sunt Ecclesiæ, & inferioris mundi, tanquam vmbbris: deinde his quæ sunt cœlestis constitutionis, & ordinis, tanquam figuris: tum his quæ sunt supra hos cœlos Angelicis virtutibus, tanquam formis: hinc excitari in mente lumen, quo septem lumina in domo Dei altissimi ante suum thronum lustret; videat magna, & æterna Dei, in quibus beatetur. Verū has contemplationes relinquemus Theologis, & Ierotheis, qui erunt in constituta Ecclesia innouata totius orbis. quæ ad historiam Legis pertinent, ut haec tenus fecimus, persequemur: ac simili in Ecclesia, & in mundo Christum nostrū contemplabimur. quia hēc duo historia sacra coniungit, vt non solum verbis filij Dei credamus; sed eadem comprobata cognoscamus per illa, quæ egit in

omnibus ætatibus mundi: & item per omnia, seu in omnibus quæ creauit in mundo. Ergo ad verba Dei, quæ locutus est Filius sua magna tuba, vt dictum est, adiungemus hæc duo: omnia quæ fecit Iesus Christus in sua Ecclesia; & creationem vniuersi. atque in his ipsum intueamur sustinere omnia in seipso, omnia efficere ipsum. ac dum omnia ei tribuimus, intelligimus secum esse Patrem, & Spiritum sanctum, vt suprà dictum est.

*Et in medio septem candelabrorū aureorum similem Filio hominis.] Qualis & quantus exurgat is, qui visus fuit in humilitate Christus Iesus, hic licet videre. nam conspicitur iam in medio septē candelabrorum aureorum. Venit quidem filius Dei in medio temporū, & complectitur in se septem Ecclesias ab Abraham & ab Adamo, vsq; ad postremos homines. is, inquam, in quo omnes sunt creati: qui omnibus dat lucē, & vitam; atque suo sanguine eos mūdat. Ut verò hoc oculis cernas, quod dictu videtur admirabile, intuere solem in medio cæli positum, quomodo sua luce illuminet totum complexum mūdi; attingat quasque extremas partes cæli, quasque vastæ terræ. si vis solis peruenit ad extrema quæque; si etiam sub terris vim vitæ naturalis, & virium magnarū dat rebus, quomodo non magis hæc faciet, qui creauit solem, & qui soli dedit immensam lucem, & virtutem, & qui est lux mundi? si sol vestit sua luce omnem circumferentiam, seu complexum mūdi, quare non vestiet mulierem, hoc est Ecclesiam suā, Christus se ipso: vestiuit quidem: nam visa est à Ioanne vestita sole. quare non faciet ipsam auream, in qua & accendit lumen*

lumen vitæ suæ? imò verò faciliùs in se contrahit  
 Christus Ecclesiam fidelium omnium temporum,  
 qui in medio cælorum, quos creauit, astans, ipsos  
 sustinet: vim quā illis dedit, in illis eam sustentat  
 perpetuò. quid si ascendamus supra cælos, & præ  
 magnitudine eorum, quæ circum se fert, paruum  
 quid videamus hanc immensitatem cælorum, ne  
 dicam amplam terram? quid si ipsum cum Patre,  
 & Spiritu sancto intueamur? nū videbimus quod  
 ait Prophetæ, ipsum tribus digitis appendere ter-  
 ram, vola manus continere omnia maria, palmo  
 mēsurare cælum? sed hęc relinquamus Theologis:  
 videamus nos quę oculis cernuntur. Cap. i. Gen.  
 eodem Dei verbo cognouimus, & creatum mun-  
 dum, & effecta omnia in mundo. Vt ergo Christus  
 est in medio eorū, quos creauit regnum suū, est in  
 medio suę Ecclesię, ita est in medio mundi, & om-  
 nium creaturarum quę sunt in mundo. vt vestit  
 Ecclesiā se ipso, & ea ipse vestitur; ita vestit cælum  
 lumine suo: ac vestitur cælo, quod circum se fert.  
 vt virtutibus suis ornat Ecclesiam, ita quęcunque  
 adsunt celi & terre, ac omnibus rebus creatis, in  
 his illa à se impressit Christus. vt tandem in se por-  
 tat Ecclesiam omnium fidelium; ita in se fert com-  
 plexum vniuersi, & sustentat suę omnipotenti vi  
 omnibus seculis. Vt commutationes & varios sta-  
 tus adduxit Christus in mundo, & in sua Ecclesia;  
 vt verbum suum non defuit; opus suū non defuit;  
 misericordia sua non defuit in omnibus, & singu-  
 lis ætatibus, & temporibus: ita extiterunt conuer-  
 siones cælestes, motus, & cursus. Et hīc cogno-  
 scatur in toto verbo Dei, quę egit singula omnibus

temporibus in sua Ecclesia: cognoscantur in omni  
historia quæ acta sunt in mundo cum ostentis in  
caelo visis . & vt medium quoque , in quo ambulat  
Christus, consideremus; aduertimus filium Dei in  
medio temporum attulisse hortum paradisi in Ec-  
clesiam Apostolicam, quando factus homo Dei fi-  
lius, obtulit se victimā pro peccatis mundi: qui fuit  
arbor in medio paradisi sita , quam ausa fuit Eua  
& Adā attingere : qui erit nobis arbor vitæ in me-  
dio paradisi Dei, è qua licebit edere postrema ætate  
mundi: vt cap. secundo dicetur. & hic tu contem-  
plare Christum in prisco mundo ambulare inter  
septem candelabra: vide in mundo in quo dixit Pe-  
trus se esse, Christū pariter ambulare inter septem  
candelabra: in medio mundi celi noui, & terrę no-  
uę cognosce simul Christū ambulare inter septem  
candelabra. siue considera Christū in mūdo medio  
cōplecti & priscū mūdum, & nouū, in quo regna-  
bit iustitia : poteris, vt dicebam in argumēto libri,  
& in rotas ingredi tanquā in rotationē cælestē , &  
contrex̄tare tuis manibus ubique magnitudinē Fi-  
lij hominis, & eius opus: quod quidē ne plura repe-  
tā, patēre tibi poterit in vniuersa scriptura diuina.

*Vestitum podere.]* Quod in hac veste signetur  
sanctificatio, qua Iesus Christus sanctificauit Ec-  
clesiam suam, & membra sua ; vt infrà cap. 19. di-  
cūtur exercitus qui sunt in caelo , sequi eum in al-  
bis, & byssino candenti ac mundo ornati, facilè est  
aduertere. sed id nō satis est: oportet & nosse, quare  
dicantur exercitus, qui sunt in caelo, sequi Christū  
byssō ornati. Ergo per hanc vestē Christi demissam  
ad pedes, significātur omnes sanctificati in vna Ec-  
clesia

clesia omnium credentium, qui fuerunt, & erunt,  
a primo usque ad postremum omnibus ætatibus  
mundi. deinde cum exercitus, qui sunt in cælo, di-  
cantur sequi Christū, debemus simul cognoscere  
Christum nostrum ferre super se, sustinere, & re-  
gere totum complexum magni orbis, & cæli, &  
terræ. & quando in claro cælo videmus carentem  
aërem in immensitate vniuersi, debemus cognosce-  
re filium Dei Christum Iesum, qui è se tātam mo-  
lem claritatis produxerit, ea se vestierit, vt in eius  
vestitu & habitu eius magnitudinē & pulchritudi-  
nē intueamur. debemus & intelligere, quomodo  
nomine cæli Ecclesia illa, quæ ab initio mundi ad  
finem usque complectitur omnes credentes, sit ap-  
pellata, & cum cælo comparata: quomodo exerci-  
tus, qui sunt in cælo, sint illæ duocedim tribus Is-  
raël, vt statim dicemus, autæ ad numerum stella-  
rum quæ sunt in cælo. Vestis hęc ergo Christi est  
complexus omnium fidelium in septem Ecclesiis  
septem etatum mundi in vnam Ecclesiam sanctificata  
Spiritu sanctificationis: & est complexus cæli  
vniuersi. quod idem sit filius Dei, qui sanctificat, &  
in suum corpus complectitur omnes omnium æ-  
tatum credentes; ac qui sua immensa claritate illu-  
minat totum complexum cælorū, & portat vi sua  
immensa. deinde & qui portat totum complexum  
cælorū, & in illis vim omnem operatur, is est, qui  
assumit omnes credentes in suum corpus, ac Spi-  
ritu suo sanctificat. secundum autē hanc sententiam,  
Celum est sedes eius, terra scabellum pedum eius-  
dem. vt intelligas, qui infideat in cælis, regnare in  
Ecclesia: & qui premit terram pedibus, punire ter-  
renos

renos homines. Hæc eadem consideranda erunt in  
veste Aaronis , in qua tintinabula , & mala granata  
in postrema ora vestis , signant ultimam & postre-  
mam ætatem mundi. in qua magis dilatatur vestis  
Christi , & complectitur totum terrarum orbem:  
quando vbiique erūt mala granata , & tintinabula:  
hoc est , in toto terratum orbe erunt Ecclesiæ , &  
prædicatio Euangelica: nulla alia religio audietur:  
non lex alia , & norma videndi , quām Euangelica.  
Erunt hæc eadem consideranda in eo , quod ait  
**I**saías cap.6. Vidi Dominum sedētem super solium  
excelsum , & sublime; atque fimbriæ eius replebāt  
templum. est ibi eadem sententia.

*Et præcinctum ad mamillas Zona aurea.* ] Qui ve-  
nit in media ætate mundi , assumpsit ad se duode-  
cim Apostolos , quos lacte sui Euangelijs pauit. ex  
corde suo emisit lac Euangelijs Christus Iesus: latus  
eius fuit apertum , & exiuit sanguis , & aqua : san-  
guis , ex quo sunt expiata peccata nostra; aqua , qua  
Spiritu Christi viuificati sumus , vt simus ex eius  
corpo. vnde Apostoli , qui osculati sunt latus  
**C**hristi , simul cum Christo mortem sustinuerunt ,  
resurrecturi in æternam vitam in ipso. idem passi  
sunt , qui secundò prædicauerūt Euangelium cum  
ei credentibus. sed mors hæc dicit in vitam , & fa-  
cit ne ledamur à morte secunda . nam dum adhe-  
serunt lateri Christi , & ad cor osculati sunt , hau-  
serunt vitam patiēdo , & sapientiam & intelligen-  
tiā. In ordinem duodecim Apostolorum veniunt  
& duodecim Prophetę , in eandem zonam ingre-  
diētes , vt dicemus. hi & lacte sapientiæ & intelli-  
gentię biberunt , deducti in medium septem can-  
dela-

delabrorum aureorum . vt & in his quasi oculis  
cernerent lumen Christi in ipso Christo lumi-  
ne à Patre prodeunte , & illuminante omnes ve-  
nientes in hunc mundum : respicerent præterita,  
prospicerent futura in eodem Christo ferente in  
se omnia , veluti ab eius capite totum corpus ad  
pedes usque lustrarent , fierent ipsi in fonte lumi-  
nis lux , eaque in vitam æternam ducerentur , pasti  
dulcedine , caritatis prodeunte è latere Christi pro  
nobis confossi . Lux auté sapientiæ , & intelligen-  
tiæ , & vitæ diffunditur in horum prædicatione  
quatenus Euangeliū est éternum , ad priores & ad  
postiores , qui sunt vestis Christi , seu facti cor-  
pus Christi : cooperati , & ornati sunt iustitia Chri-  
sti , & sanctificati : ad Patres scilicet , ad quos Chri-  
stus vergit caput : & ad posteros , ad quos ferun-  
tur pedes : vt omnes in unam vitam Christi ingre-  
diantur , eiusque æternæ vitæ fiant participes . ad  
priores autem , & ad posteriores ita fertur Euan-  
gelium , eius lac , & lux : vt & primi , Abraham , &  
Moses , atque postremi in innouata Ecclesia ean-  
dem copiā vitæ , & sapientiæ percepérint in æter-  
no illis à Spiritu Christi proposito , & donato  
Euangelio , quod figura statim patebit . Ut verò  
Christus proponitur complecti omnes omnium  
seculorum fideles in suum corpus , impios pedi-  
bus ignitis sub terris premere : sic vestitus celo  
proponitur , ac circa sui corporis medium ambire  
Zodiacus . vt hic Zodiacus in quo sunt duodecim  
signa , & domus , respondeat capitibus duodecim  
tribuum . vt in Zodiacum veniant medio tempo-  
re , siue , vt ita dicamus , in equinoctio duodecim

Apostoli, vbi & duodecim Prophetæ locum ha-  
beant. quatenus enim linea dissectus est Zodia-  
cus, quæque domus diuiditur: atque duæ partes  
in quaque domo fiunt. quia tandem & Apostoli  
inueniuntur Prophetæ, vt vidimus in illorum do-  
ctrina, & Prophetæ Apostoli. siue dicamus Apo-  
stolos obtinere mediū locū, vbi est equinoctiū:  
capita duodecim tribuū superiorē, vbi Sol ascen-  
dit ad Aquilonem; Prophetas inferiorem ad Au-  
strum. nam in Esd.lib. 4. cap. 1. & 2. ad futuri di-  
cuntur Prophetæ in innouanda Ecclesia. Ut igi-  
tur Sol fertur per Zodiacum ab Aquilone, seu  
à Cancro ad Austrum, seu ad Capricornum;  
ita prædicatio ducta fuit à Mose, ab Apostolis ad  
tempus prædicationis repetitę Euangeliij in toto  
mundo. Et vt stellę in cęlo perducuntur usque ad  
Septentriones, seu ad polum, ita prædicatio & do-  
num Euangeliij fertur ad septem promissiones, ad  
Abrahamū, circa cuius fidem, & septē promissio-  
nes vergitur totum cęlum Ecclesię, ducto eius ini-  
tio ab Adamo. & vt perductintur item stellę ad al-  
terum polum, ita comportabūtur omnia quę sunt  
promissionum, Legis, Prophetię, & tandem eter-  
num Euangelium ad seculum nouum, ad Sabba-  
thium, ad regnum Dei, ad statū Spiritus sancti;  
cuius similis null⁹ adhuc fuit visus ab hominibus.  
Stellę deinde quę sunt in unoquoque climate, à po-  
lo ad polū distinctæ secundūm vnamquaque do-  
mum signorum in Zodiaco, signant fideles in una-  
quaque tribu. quorum distributio tribus modis  
distincta est in sacris literis, vt videbimus cap. 7.  
Septem stellæ erraticæ, seu planetæ, signant septem  
Eccle-

Ecclesiæ septem ætatum mundi, in quibus fuit  
commutatio, donec peruentum sit ad septimam,  
in qua peruentum sit ad magnam coniunctionem  
septem planetarum: vbi finis futurus sit cōtentio-  
num & pugnæ Iacobi cum Esau: Sabbathismus ad-  
futurus sit perpetuus sine vlla commutatione. quia  
solus Dominus circum se fert ambitum & orbem  
cælorum: constringit omnes status mundi sub suo  
ductu, & imperio; regnabitque solus rex regum,  
depulsis filiis Esau pugnacibus, & tyrānis: qui qui-  
dem non sunt stellæ in cælo Ecclesiæ coacti in duo-  
decim domibus Israëliticis: qui non sunt signati in  
libro Christi, non concorporati in magno nostro  
Christo. qui autē veniunt in Christo in numerum  
stellarum, quamuis propter varias commutatio-  
nes & perturbationes variè fuerint iactati in tem-  
pestate maris fluctuantium impiorum, tamen in  
Christo fuerūt, vt stellæ in cælo non erraticæ. quod  
patebit ætate septima, quando sanctorū fiet com-  
munio. De Zona hac, quam vidit Ioannes, plura  
dici possunt: sed quia illa sunt exposita cap. 39. E-  
xodi, vbi agitur de pectorale Aaronis, ac de 12. la-  
pidibus; quæ ibi dicta sunt, erunt huc assumenda.

*Caput autem eius, & capilli erant candidi velut  
lana alba, tanquam nix. ] Si in veste sua comple-  
tebatur Christus Ecclesiæ omnium seculorū,  
in qua contineretur suum corpus: si ambitum cæ-  
lorū; ergo in capite altiora spectare debebimus;  
atque supra cælos erit consendendum, ad An-  
gelicos ordines, ad superas intelligentias: quæ &  
ipse creatæ in Christo Iesu inueniuntur portari in  
ipso, & sustineri. Et quia nos quoque participes*

in eo

in eo sumus mentis, & intelligentiæ; maximæque  
hac re distamus ab omnibus creaturis, quæ sunt  
sub cælo: ergo secundum hanc magis inueniemur  
in Christo Iesu creati. Et postquam lux mentis ab  
ipso acceptæ fuit per Satan obtenebrata, nosque  
in mortem deuoluti, per eundem Christum fuit  
diuinum lumen in illa accensum; cum Angelicis  
Spiritibus consolatio instaurata, & communi-  
catio intelligentiæ præstata, & participatio æter-  
næ vitæ donata nobis, ut illis: in Christum sumus  
tandem deducti. cum quod ipse factus homo, &  
suscepto corpore nostro, corpora in se contraxit,  
qui omnia ferat, & sustineat, tum maximè quod  
ipse æternum Dei verbū, omnes intelligentias à  
se fonte diductas, in se sustineat, portet, & æter-  
nas in se faciat; nosque suo Spiritu absorptos in se  
trahit, & beat in æternum. Vnde & in hoc mun-  
do Spiritu sancto in Christi corpus fideles mer-  
gente, & inuoluēte, tanquam in immensum ma-  
re suæ magnitudinis, perditur in ipsis quod car-  
nale & Satanicum est: suntque Spiritu viuentes,  
mente innouata Dei verbo, & illustrata, ac cum  
illo consentiente Spiritu filij Dei Spiritui nostro  
iuncto: ut Spiritus tantu sapiat in nobis, illi pareat  
ad illius nutu omnia in nobis suscipiantur, &  
peragatur. sit Christus mens vna omniū nostrū  
credētum, cui spiritus omnium nostrū, ut dixi,  
pareat, quemadmodū parent singula membra suo  
capiti. tunc fit, quod ait Apostolus, ut conuersatio  
nostra sit in cælis: communis nobis sit consuetudo  
cum Angelicis spiritibus: quæ Christi sunt, sapia-  
mus, nō quæ super terram. optemus, meditemur,  
studcamus,

studeamus, persequamur quæ sunt supra cælos. tunc vita nostra dicitur abscondita in Christo, vt nec sapiamus quæ sunt mundi præsentis, nec agamus. Multa huiuscmodi dicuntur ab Apostolis, ducta è rebus mysticis mysterio cōsignata in antiquis scripturis. quæ quidem quomodo ab illis sint indè eruta, patefiet in innouata Ecclesia. Quia iam quæ antè dicta sunt de septem candelabris, de veste demissa ad pedes, de zona, de capite, certo ordine sunt dicta, etiam certo ordine, quæ restant de capite, dicentur. Et quia caput deinde dicitur, & capilli candidi, primū intelligitur nihil inquinatum vnquam fuisse in capite, in quo etiam Angeli, non solum homines mundantur: nil nisi sanctum in eo, qui omnes sanctificat. mundificatio autem, & sanctificatio signantur in candore capillorū. nam virtutes, & emanationes capitis Christi, in homines, & in Angelos signatae in capillis albis, sunt candidæ, sunt Filij Dei, sunt Spiritus sancti. tanquam lana alba, vt nix, dicitur candor ille, qui assimilatur lanæ albæ veluti niui, vt alludatur ad agnum, & ad aquam, & Mannam: vt duo dona intelligantur manare à Christo capite in suam Ecclesiam. alterum, quod immolatus sit pro nobis, & lauerit nos à peccatis nostris sanguine suo: altero, quo potiti sumus vita æterna; seu per baptismum donato Spiritu sancto reuocati sumus in nouam vitam, incorporati in Christo, vt in se viuamus in æternum. quæ duo vt semper recordemur, atq; à filio Dei expectemus, & imploremus perpetuò: & vt pignus habeamus ipsum hæc da-

re, & efficere in nobis; ac præstaturū vt in se simus tandem redempti, in se sanctificati; in cœna Dominica sunt etiam ab ipso Iesu Christo consignata. Ergo in capite, & capillis candidis cognoscimus, & quicquid præditum est intelligentia, cōtineri; vt in eius corpore continebantur omnia, quæ corpore essent prædicta. vt suo corpore complectebatur ambitum cælorum, atque numerum completum electorum; similiter capite complectitur Angelos omnes, cum omnibus suis ordinibus; in eorumque societatem, & æternitatem revocat fideles, quos suo sanguine redemit à morte, & suo Spiritu restituit in spiritualem vitam aequalitatem. Et h̄c mirum est, quod vt in sua candēti veste Ecclesiam omnium seculorum sanctificauit & ornauit; item complexum & ambitum mundi, quod & in cælis corporeis debeat esse Spiritus, & ministri facientes verbum Dei; sic sui capitib⁹ candore, & sui sanguinis effusione, & Spiritus vivificatione etiam Angelos expiauerit, atque in æterna vita confirmauerit. Quę quidem vt in hac visione, & in mystica multorum locorum interpretatione videmus, ita eadem confirmat nobis Paulus, qui sèpè repetit, se loqui quę mysteriis fuerunt abscondita à seculo: atque in Epistola ad Col. ait, Patrem per Christum reconciliasse sibi omnia; & purificasse per sanguinem crucis eius siue quę in terris, siue quę in cælis sunt: vt per cūdem creata sunt omnia, extant & consistunt omnia. Vnde videmus in hac, quam attulimus, interpretatione huius visionis Ioannis, demonstrationem habeti corum, quæ in illo capite epist. ad

Col.

Col. visa sunt admirabilia quibusdā . cuius quidem demonstrationis , & aliarum quæ in sacris literis haberi possunt, illa initia sunt præter cætera tenenda: vt primūm videoas ostensum tibi esse in historia sacra ab initio, & singulis etatibus Deum nuntiasse omnia futura , quæq; ipse aucturus erat: deinde vt perspicias omnia quæ aucturus erat , & egit Deus in mundo, cōstituta fuisse in creatione mundi ; & mundum secundūm illa , quæ peragenda & efficienda erant, creatum, & distinctum: & quæ deinde facta sunt, & euenerūt, secundūm rationem creati, & constituti mundi euensis, atque peracta esse omnia. quæ cūm tenentur, multa & magna possunt ex his colligi. vt in hac visione nullam creaturam posse saluare hominem , nisi filium Dei, qui suscepit carnem nostram: eadēque potentia, & diuina virtute redemptū hominem, qua cuncta , & mundus creatus est. omnia in peccato Adæ fuisse commaculata: siue nil posse consistere ante Deum, quod non inueniatur impurum, ni in Christo sit sanctificatum. de qua re & in Mose dictum est. Præter hæc autē quæ diximus de Angelis, & fidelibus reuocatis ad Angelorum societatem, & vitam; significatur & emanationes virtutum in singulis fidelibus in alias fides. quæ virtutes ductæ à Christo signabantur in zona , vt & in duodecim lapidibus positis ad pectus Aaronis. Vt ergo Christus dedit se totum nobis: vt diffunduntur sua dona in quemque fidem, ita debet quisque quicquid est in se intelligentiæ, facultatis, studij, & caritatis, conferre & diducere in corpus Christi , in consociationem,

quæ est nobis cū omnibus membris Christi , vt  
in corpore quodq; membrum seruit alteri mem-  
bro, ac mutuò sibi seruiunt. & h̄c significatur il-  
la caritas, quæ non quærit qua sua sunt ; sed quæ  
aliorum : spiritualis illa affectio , qua Christus  
& Deus Pater nos dilexit.

*Et oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius.  
similes chalcolibano. ] Non solum complectitur  
Christus in suum corpus omnes omnium secu-  
lorum fideles: non solum ambitum vniuersi in se  
comprehendit , & portat: non solum Angelicos  
ordines ; sed & in ipsam infinitatem , & immen-  
sitatem diuinitatis ascendit . ibi idem est in ipsa  
quatenus est Dens. atq; vt nihil restet, quod ipse  
in se non complectatur , & attingat; penetrat &  
infima loca terræ , & ibi punit fontes. nam oculi  
eius, quòd sint tanquam flamma ignis, quæ sur-  
sum ascendit, ad Patrē peruenit, qui habitat ignē  
inaccesibilem ; qui ignis consumens est. Et cū  
ostendit se idem cum Patre, tiam ostendit omne  
iudicium sibi datum, vt iudicet vniuersum mun-  
dum, viuos & mortuos: & non solum vt iudicet;  
sed & vt puniat, & affligat, & premat in eternum  
in inferno. quod signant pedes similes aurichal-  
co veluti in camino ardenti . & h̄c exprimitur  
vis magni iudicij. Et dum ita proponuntur oculi  
tanquam flamma ignis, & pedes similes aurichal-  
co, significatur quoque iudicium ab initio tem-  
porum usq; ad finem temporum datum Christo:  
significatur simul eum, qui est & & principium,  
& finis omnium , ab initio temporum ad finem  
temporum, in sua diuinitate cōsistentem pertin-  
gere*

gerē non solum extrema eorum, quę sunt, & existunt; sed & premere inferna, & in pœna cōtine-re fontes, ut dicebam.

*Et vox illius tanquam vox aquarum multarum, & tenebat in dextera sua stellas septem.]* Quę ha-ctenus dicta sunt, patet in prædicatione: prædicabuntur nunc tandem in vniuerso mundo: prædicabuntur quę Deus locutus est per os omnium Prophetarum ab initio, in quibus Prophetis fuit, ut ait Petrus, Spiritus Christi. Vnde vox eius dicitur tanquam aquarum multarum, ut nunc vidimus in Germania, Gallia, Italia, & in aliis provinciis, innumerā multitudinem idem verbum Deiloqui, quod locutus est ipse Christus, quando venit in carne: quod ante hunc aduentū locutus est in Mose, & in Prophetis: quod locutus est in Apostolis, in Apocalypsi, in Doctoribus, in nouis Prophetis, & prædicatoribus, signatis his omnibus in septem stellis. quia quod verbū eternum locuti sunt ministri Christi in statu Legis, & in statu Euangeli, nunc quoq; in repetita prædicatione Euangeli loquuntur, & loquentur deinceps. simulq; quod verbum acceptum à ministris locutus est populus sub Circuncisione, sub Baptismo, & nunc in magno conflitu cōtra Papatū, deinceps pariter prædicabitur in statu Spiritus sancti, in his, & in illis omnibus locutus inuenitur Christus. nam in septem stellis intelliguntur omnes ministri verbi, qui fuerunt septem ætatibus, seu omnibus ætatibus mudi: de quibus ætatibus antè dictum est: in multitudine aquarū omnes in Ecclesia illarum septē ætatum creden-

tes: & deinde in vno concilio loquentes voluntatem Dei , & quæ sunt verbi Dei facti Ecclesiæ singulis septem æstatibus . in primis vero cognoscimus Christum loqui in omnibus credentibus, dum secundò adeat: atque suos ministros tantum loqui , quantum in his ipse loquitur , quæ sunt diuini verbi. hinc dicebat Petrus, Deum locutum per os suorum Prophetarum : Spiritum Christi fuisse in Prophetis. Paulus ait in se loqui Christū: Christus: Non enim vos estis qui loquimini.

*Et de ore eius gladius ex utraq[ue] parte acutus existebat.]* Hęc verba exponit ipse Ioānes cap. 19. quod gladius sit is, quo percutiuntur gentes: hoc est illi, qui nō credunt Euāgelio. in quam condemnationem veniunt omnes & qui fuerunt ante Christum, & tempore Euāgeliij, ac deinceps impij, qui nec Christo , nec Apostolis prædicantibus crediderunt: & qui irriserunt prædicationem repetitam Euāgeliij, & monita Prophetarum. ob quam rem dicitur, *gladius ex utraq[ue] parte acutus;* quod condemet Christus & eos qui fuerunt ante, & eos qui fuerunt post suum aduentū: item qui non crediderunt Euāgeliō , & qui non crediderunt prædicationi Prophetarum. item, acutus dicitur ex utraque parte , quia iudicium incipit à domo Dei, vt percutiat eos qui sunt à dextris primū, deinde à sinistris utraq[ue]; morte plectuntur Antichristi & Euāgeliō aeterno non credentes. acutus & erit ex utraque parte , quia interficit in piis quod carnale est, separans, dividens, penetrans usque ad divisionem animę, ac spiritus: vt vivat, & dominetur, quod sit Spiritus; impios, & Antichristum

christum interficit , & perdit verbo , & ferro , vt  
intereant.

*Et facies eius sicut Sol lucet in potentia sua.]* seu  
in magna vi sua. Postquam punierit impios Chri-  
stus, percusserit reges se non suscipientes virga fer-  
rea : calcauerit torcular vini furoris, & ire Dei om-  
nipotentis , videbitur tunc facies eius ; apparebit  
ipse qualis , & quantus sit Dei filius in cælo , & in  
terra, omnibus seculis & temporibus. tunc amoti  
erunt omnes tyranni, & Antichristus. ipse conspi-  
cietur solus regnator in cælo , & in terra rex regum:  
tunc omnis tempestas perturbationum , quæ fuit  
præteritis seculis impiorum, & Antichristi: omnes  
tenebrae errorum, & persecutionis Egyptiacæ euā-  
nescēt, & erunt depulsæ . quies erit & otium, &  
status beatus in terris constituto in toto orbe ter-  
rarum Dei regno ac Christi Iesu. Et hæc quidem  
omnia signantur in facie Christi sicut sole lucentे  
in potentia sua . tota potestas & potentia Christi  
tunc cōspicietur, qui antè visus fuit in humilitate:  
conspicietur & in membris suis constitutis in suo  
regno , seu regnantibus. Et quamvis post Eccle-  
siam innouatam Christus omnibus cōspiciendus,  
ac cognoscendus sit talis , qualis descriptus est in  
hac visione Ioannis : atque tunc certa eius salus,  
quam nobis promisit, conspicua futura sit omni-  
bus: nec erit iam dubitatio de æterna vita secum  
obtinēda in cœlis : tamen vt hæc Ioanni ostēsa sunt  
conspicienda; sic fuerunt monstrata ceteris Apo-  
stolis: & faciem huiuscmodi viderunt Christi , si-  
cūt solem lucere in potentia sua: certi fuerunt de  
liberatione, de regno Christi constituendo, de præ-

dicatione rēnouāda, de iudicio, & supplicio sumēdo de impiis: de potentia & potestate Christi , de eius toto opere in salute electis suis præstanta , de eius magnitudine, ac diuinitate. quę omnia aduer- ti possunt in Epistolis Pauli, Petri , & Ioannis : vt facile quiuis ex Prophetica interpretatione videre poterit. Diem Christi vidi Abraham quoque & alijs Patres, Prophetæ , & Moses , non solū primi aduentus, sed & secundi. videbimus & nos faciem Christi ita vt dictum est , quando reuelatus fuerit Filius hominis, vt ipse ait.

*Et cùm vidissēm eñ, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus.]* Cecidit ad pedes Iesu Ioannes tanquam mortuus, quia vt existimō, cùm apparuerit ei Christus talis, qualem descripsit , etiam apparuit ei vt iudex puniturus Papatū iudicio cœpto à suis . senserit verò Ioannes iudicium in se Domini , ante quem nemo consistere per se possit. significarit & nos omnes, qui inueniemur in perturbatione magna, & tempestate concitata à Papatu & impiis, in qua erit quisque in magno timore & horrore . vt enim cùm dabatur Lex , populus corruebat ; ita multò magis quādo per Legem iudicabimur, corruemus horrore perterriti & perculsi. quod tēpus significatur in pedibus Christi. tunc cùm fiet iudicium, ad pedes Christi prosternebant se pij, depreca- buntur, vt qua misericordia liberati sunt à peccato , liberentur quoq; è magna tempestate, & iudi- cio. quod dum faciemus, sua dextera seruabit nos Christus, ostendet magnam potentiam suam libe- rando nos primūm à peccatis, deinde ab Antichri- sto, dabit animum, monebit ne timeamus: in me- moriam

moriām reuocabit, se esse primū & nouissimum: ipsū esse ante omnes creaturas, & post se neminem futurum: ipsum esse eundem, qui ab initio egerit omnia in populo suo: qui adduxerit diluuium; deicerit turrim Babel; igne consumperit ciuitates Sodomorum, & Gomorr̄eorum; percusserit Pharaonem; ac alia egerit in sacra historia memorata: liberarit à Satana, à peccato, morte æterna, & inferno. qui idem nunc sit nos liberatus; nec quisquam futurus sit post ipsum vñquam, qui nos ad se reuocet, nos perdat. quæ quidē potuimus intueri in toto hac viüone prima Ioannis, vt confirmentur nūc animi nostri, & non timeamus intuendo cum misericordia magnam potētiam nostri Christi. Et quamvis stragem magnam piorū facturus sit Papatus, tamen superuicturi sunt qui erunt Christi. vt enim ipse mortuus est, deinde fuit viuus in secula seculorum; idem efficiet, & præstabit in membris suis. In his verbis cùm sit conclusio eorū quæ dicta sunt in visione, etiā monemus fuisse addita, vt cognoscamus nos soluatos in magno iudicio Christi. item tum, vt initio dictum est, ad concludendam omnem diuinam scripturam, tum ad arguendum Papam, & Papatum. nam verba illa: Ego sum primus, & nouissimus: quæ in se contrahunt quicquid continetur in visione memorata, reuocant nos ad cap. 40, 41, 42, 43, & 44, Isa. in quibus capitibus huiusmodi sententiæ cōtra Papā, & Papatum omnino afferruntur, dum tempus prædicationis à Lutherō, vsq; ad bellum Gallicanum narratur. Cap. enim 40. illa concionatur Isaias, quæ dicta sunt à nobis in interpretatione septem can-

declarorum, in quorum medio erat similis Filio hominis, vestitus podere, dum ostendit Isaia verbum Domini æternum creasse omnia ab initio, sedere super spheram, extendere cælos, creare fines & terminos terræ; non deficere, ut homines. Cap. 41. ait Dominus: Ego Dominus, primus, & nouissimus. contra Papistas aiunt Prophetæ: Priora quæ sunt annuntiate, & futura prædicite. item: Nuntiate quæ futura sunt in posterum, & sciemus quòd Dij estis. Cap. 43. clamat Dominus: Ante me non est formatum quicquam à Deo alio, & post me non erit. ego creo Ista: I rex vester. Cap. 44: Ego primus, & ego nouissimus, & præter me non est Deus. si aduertantur quæ in illis quinque capitibus Isaiae, & in aliis locis dicuntur, recognoscetur tota nostra interpretatio in hoc primum caput Apocalypsis. Si prætereat aduertatur, quare omnia illa dicta sint, & quodnam tempus respiciant, videbimus allata omnia ad statum Papisticum arguendum, & ut confirmetur prædicatio Lutheri, & aliorum. Quare ut ibi disputat contra Papatum Isaias, ita in hoc cap. 1. Apocalypsis, in quo, quæ dicta sunt apud Isaiam, ob oculos proponuntur, & sententiaz repetuntur, erunt contra Papatum recognoscenda omnia fuisse ostensa allatis vniuersalibus sententiis complectentibus quæ sunt vniuersæ Scripturæ, & concludentibus vniuersum opus Christi in omnibus seculis. Dicamus igitur, nihil esse quòd Papa constituat se Deum in terris, se parem Christo faciat. quia præter illa, quæ dicta sunt in verbis illis, Qui est, & qui erat, & qui venturus est: item de septem spiritibus, qui sunt ante thronum Dei, de Iesu

Iesu Christo, ac eius attributis ; h̄ic quoque argui-  
tur, quod non sit vestitus podere ambulans inter  
septem candelabra: hoc est, nihil habeat ex his quae  
sunt Christi. non enim portat Papa cælum, & Ec-  
clesiam: non creauit , non constituit Prophetas, &  
Apostolos: non tenuit quae nouerunt Prophetæ, &  
Apostoli: non lauit suo sanguine peccata : non dat  
vitam æternam: non liberat sc̄ à morte: non est iu-  
dex viuorum & mortuorum : non est qui loquitur  
in fidelibus, & prædicatoribus. cum ignomina ergo  
& dedecore perdetur cū omnibus suis, atque Christus  
regnabit solus summus Sacerdos Rex regum.  
pluribus hæc dici potuerunt : sed ad interpretatio-  
nem contendentes , hæc aliis copiosius tractanda  
relinquamus.

*Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet  
fieri post hæc.] Iubetur ergo Ioannes scribere, quæ  
vidit, & quæ sunt, & quæ futura sunt. primùm quia  
confuevit Deus , vt ostenderet se verum Deum,  
repitere in omnibus ætatibus, quæ ab initio nun-  
tiauit vsque ad finem: d nunc quoque facit. post  
prædicatum Euangeliū, & constitutam doctrinam  
Apostolicam, nuntiauit quæ futura sunt; assumptis  
præsentibus, & præteritis. nam in his quæ vidit Io-  
annes, præterita quoque continetur. omnibus de-  
inde temporibus fuerunt vsque ad repetitam præ-  
dicationem, qui, quæ prædicata sunt in Prophetis,  
in memoriam reuocarūt : vt Hermas, Methodius,  
Rabanus, & plurimi alij, vt in tertio statu, & in fi-  
ne Prophetæ versabuntur homines in recogno-  
scendis rebus omnibus præteritis in diuinis scri-  
pturis. Iubet Christus & Ioānem scribere, vtcōtra  
Papatum*

Papatum extet (antequam esse oriatur) quidnam  
cōtra eius impietatem disputandum sit nobis ab  
īpso Christo relictum, nō tantūm à Prophetis, &  
Apostolis: atque vt sui sint moniti de omnibus  
euentis, & non perturbentur, nō admirentur tan-  
quam de rebus non expectatis, non cadant ani-  
mis, non desperēt de promissa salute. Si interpre-  
tateris tantūm secundūm literam, diceres breui-  
ter, Christum iussisse Ioanni, vt scriberet quæ vi-  
dit, visionem scilicet de simili Filio hominis am-  
bulante inter septē candelabra: scriberet quæ sunt,  
scilicet quæ erant tunc in septem Ecclesiis Asia-  
ticis: scriberet quæ futura sunt, scilicet post Ec-  
clesias illas usq; ad cælos nouos, & terrā nouam.

*Mysterium septem stellarum.*] Hæc & reliqua  
sunt tantè exposita. & tamen h̄c separatim intel-  
ligere debemus quoque quæcunque, & quales-  
cunque erunt Ecclesiæ, & ministri: futurum vt hi  
in illis existant per Christum; nec quicquā euen-  
turum, præter eius præscriptum, ac sine eius per-  
missu. vt & ministri, & Ecclesiæ persistendum  
sibi statuant in fide & opere: non perturbentur,  
nō dimoueantur loco, dum perturbationem vi-  
derint concitata m̄agnumq; peragi iudicium.

*Argumentum in caput 2, & 3.*

V T C H R I S T V s patefiat Dominus & admi-  
nistrator omnium Ecclesiærum omnium tempo-  
rum, vniuersæ illæ sub numero septeno compre-  
henduntur; atque quales quique eultus in ipsis  
fuerit tempore Ioannis, ac futurus esset deinceps,  
denuntiatur à Christo ipso: in cuius manu sunt  
omnes futuri in illis ministri; ipseque inter illas  
ambulat.

ambulat. simul monentur omnes in illis futuri credentes, quæ agere, quæque cauere debeant, propositis præmiis certis, & pœna.

*Argumentum aliud.*

C A P I T E superiori comprehēsa est ipsa Prophetia in Patre, Filio, & Spiritu sancto: Status Ecclesiæ, & cursus ipsius mundani temporis: atq; in verbo Christi Iesu ostensa est creata, & deportata Ecclesia omnium temporum, quemadmodū quæ sunt mundani téporis; quæ sunt ipsius complexus huius aspectabilis cœli, quæque in ipso continentur, per eundem sunt effecta, in eodem consistunt, ab eodem feruntur. Ut autem hæc de Christo cognoscamus Saluatore nostro, & quem habituri sumus Regem regum sempiternū, & beatam vitam nostram, allata est visio illa pri-  
mi capit is: item ut ratio Prophetica teneretur, in qua vniuersa omnium téporum comprehenduntur, proponūtur postrema, media, & prima: item ut quæ tradita sunt per Mosem, & omnes Prophe tas, conducerentur in vnam summam: item quia venturus erat Papa Antichristus, qui se Deum ac Christū faceret, ostensus est in illa visione Christus talis, ut nec Papa, nec tyranns ullus videri possit cum ipso cōparandus. comprehenduntur verò in illa visione omnia tempora, ne Papa suo tempore putet se habere aliquid præstatiū, quām alij ministri Ecclesiæ & regni Dei aliis temporibus habuerint. his iam duobus capitibus quæ sequuntur, agitur de eadem Ecclesia ipsa creata in Christo, saluata in Christo, & deduc̄ta à Christo ab initio temporum ad finem temporum. ut quæ capite

capite primo summatim dicta sunt, h̄ic secundūm etates temporum describantur, vsque dum illa ad suum complemētum perueniat, & in beatam vitam. quod complementū, & beata vita, & status, eodem secundo & tertio capite proponitur, atque quarto describitur in regno Dei constituto, ac in aperta Prophetia.

*Angele Ephesina Ecclesia scribe.]* Mos notus est Prophetarum, vt sumpto certo tempore, certo negotio, certa historia, & homine, siue hominibus; in his narrantes, & confirmantes præsentia, nuntiāt futura, assumptis etiam prioribus, seu primis. eandem rationem sequitur h̄ic Ioannes. nam expositurus quæ erant euētura in toto statu secundo post Christi ascensum in cælum, assumit Ecclesiā in minori Asia: & in his describit futura in Ecclesiis Christianorū. Et mihi videtur (vt initio dicebam) sumere has Ecclesiās minoris Asiæ, quod vergant versus occasum, & sint finitimæ Europæ: vergant & ad Septētrionem, ad quam partem posita sit Europa: in quam debuit ingredi Euangelium, ac deduci Ecclesia Christi. Videntur vero assumi septem Ecclesiāe, vt secundūm rationem Propheticā agatur, quemadmodum vidimus in Mose, atque adeo in ipso primo capite Gen. opera Dei in Ecclesia distinguui numero septeno: vt sub illo numero cognoscantur, & intelligantur quæ agit Deus suo sancto Spiritu: deinde vt in tractatione secundūm rationē septeni numeri assumātur in præsentibus præterita, & futura secundūm varia tempora, in quibus similia contigerunt. verbi causa: vt cùm agit de Ecclesia Ephesina, quam primam ponit, si-  
gnetur

gnetur tempus illius Ecclesiæ, quando Ioannes scripsit hunc librum: item tempus consequēs, quo comprehendebatur prima ætas septē numerando usque ad secundum aduentum Domini: agatur simul de Ecclesia status Circumcisionis prima, in his quæ similia, seu eadem dicamus, contigerunt: agatur & de Ecclesia cœpta innouari in secūdo aduētu Domini. quod autem dixi de prima, idem intelligendum est de aliis: atque ita in vna narratione certi temporis præsentis tria longioris temporis assumuntur, seu ètates. ètas prima discipulorum Apostolorum numerando septem ab Apostolis ad secundum aduentum Domini narratur: in quam conducitur prima ètas Circumcisionis numerando septem ab Abrahamo ad secundū aduentum Domini; & in qua describitur primum tempus ingressio[n]is in ètatem septimam, ac secundi aduentus Domini, dum ètas hæc septima diducitur in septem tempora, in quorum postremo adducitur regnum Dei sine vlla mutatione deinceps futura noui status. Itaque in narratione status Ecclesiæ Ephesinæ contemplabimus simul & Ecclesiam, in qua viguerunt discipuli Apostolorū: & illam quæ fuit filiorum Iacob, atque nostrum tempus, quando primū cœpta est repeti prædicatio Christi nunc in suo secundo aduentu. his propositis iam verba Apostoli contemplemur. *Angelo Ephesina Ecclesiæ scribe.*] Scribitur Angelo, quia per ministros suos impertivit semper Deus verbum suum Ecclesiæ. atque filio Dei Christo Iesu datum est à Patre, vt idem ac ipse agat. vnde & panem diuidebat, & tradebat discipulis, qui illum multitudini distribuerent.

rent. similiter nunc hic ministris scribuntur, quæ sunt Ecclesiæ. per certos enim ministros verbum nouum facit Deus Ecclesiæ: vt per Abrahamum, per Mosem, per Prophetas, per Apostolos, per Ioannē. facturus fuit Christus per alios deinceps, vt fecit per doctores primos Græcos, & Latinos; per Concilia: fecit & per Prophetas, vt Hermam, Methodium, & si qui fuerunt alij, per Rabanum Monachum, & si qui fuerunt alij ætate quinta: per quam plurimos alios qui fuerunt ætate sexta: inter quos Frater Robertus repetit frequenter, ad se factum verbum Domini: & quæ nuntiauit, iam videmus euenire. tandem nunc per Lutherum, & alios, quotquot vidimus nostro tempore verbum Dei nuntiantes. Quę verò scribuntur ministris, narrat deinde Ioānes. quorum summam videmur posse contemplari in ipsis nominibus septem Ecclesiastū, quibus scribitur. Ut enim optabilia sunt quę optat Christus in Ephesiis, ita desideratur in iisdem, vt ducant rationem illorum, qui sunt diligendi & optandi. Cùm probarentur multa in filiis Jacob, in his desiderabatur maior aliquando in patrem reuerentia, & dilectio ac caritas erga Ioseph, ac Beniamin. Cùm probata fuit prædicatio in Luthero, & primus congressus contra Papatum, desiderabatur vt Christus cognosceretur in omnibus, & singulis suis membris: caritas extaret erga credentes, mutuus amor, ac coitio omnium in eādem vñā Ecclesiā. In Smirnensibus suavis fuit odor apud Deum oblatio suorum corporum pro testanda veritate Euangelica: vt fuit Hebraeorum à Pharaone interfectorum pro tuenda religione: vt fuit homi-

hominum combustorum nunc in confitendo  
 veritatē prædicationis Euangelicæ. Pergamensis Ec-  
 clesia venit in periculum , quando ducitur in hor-  
 tum voluptatis: Episcopus Romanus induit⁹r ve-  
 ste rubea . quemadmodum Salomon , & qui eum  
 secuti sunt Reges tempore Prophetarum , venerūt  
 in negotium Satanę ; venerunt etiam tempore se-  
 cundi aduentus Domini in negotium Satanę Pa-  
 pę , & Imperatores , & Reges , & Principes qui susce-  
 perunt bellū contra Euangelicos: Concilia emen-  
 tita habuerunt ; se Deos fecerunt . in quod nego-  
 tium venerunt aliqui Euangelium profitentes fa-  
 cti imitatores Papistarum , se quoque Christos fa-  
 ciendo . Thyatira Ecclesia laborat , dum cogitur  
 seruire Papę factō Antichristo victō à Satana vt  
 Adamus . h̄c victi fuerunt Scribe , & Pharisæi , di-  
 centes : Non habemus Regem , nisi Cæsarē . & h̄c  
 quarta ætas ductō initio primæ ab Abrahamo ve-  
 nit in quartam ductō initio à tempore Aposto-  
 lorū . vnde non ultrā assumemus ætatem aliquā  
 Circumcisōnis in narrāndis tribus Ecclesiis , quæ  
 sequuntur . nostro tempore aucta fuit seruitus Eu-  
 angelicorum , & Christianorum , quando Caro-  
 lus quintus duxit captiuos Ducem Saxoniæ , &  
 Lantgrauium ; atque persecutus est Euangelicos  
 in Germania: prodieruntque decreta concilij pri-  
 mi Tridentini mentita confessa Romæ . in Pro-  
 uincia Galliæ in gratiam Papę trudicidantur , qui  
 appellati sunt Valdenses , viri , mulieres , infantes ,  
 exusto solo , & arboribus , cum vigintiquinq; op-  
 pidis , seu pagis . Ferdinandus trucidat & ipse Euā-  
 gelicos : ac dum infinitā videt fieri carnificinam ,

horrenstantam cædem, ab ea destitit. Sardi relin-  
q' iūt primam prædicationem principium iucun-  
ditatis, & canticum latitiae, quando ætate quinta  
cogútur Christiani per Catolum magnum ado-  
rare Papam : & Principes Papistæ quinto tempo-  
re bella cœnt cōtra Euangelicos in Gallia , vt hos  
subjiciant Papæ. Philadelphia pugnat pro fratri-  
bus; coitio fit fratrū: Albigerienses, qui dicti sunt,  
vbique student, & conantur restituere cultum  
Euangelicū, & Ecclesiam Apostolicam . tota æta-  
te sexta sunt Prophetæ hortantes omnes ad inno-  
vationem , atque nuntiantes instare aduentum  
Domini, vt quisque sit paratus ad eum suscipien-  
dum . sexto tempore , quando excitatur magna  
perturbatio, mittit Christus exteras nationes, quæ  
pugnēt pro populo suo, & quæ ingrediantur cre-  
dentes in locum nō credentium: ad sunt qui ape-  
riant secundum aduentum Domini adesse, & pa-  
rare regnum Israëliticum . Laodicensis Ecclesia  
septimam ætatem , & septimum tempus ducit in  
iudiciū futurū deinceps temper in regno Israëli-  
tico. Hæc initio proposuimus , vt summa rerum  
dicēdarum, & ordo teneatur. vnde pauciora ver-  
ba erunt nobis facienda : & faciliùs quisque, co-  
gnita historia rerum gestarū , poterit quæ à Pro-  
pheta narrantur, percipere.

*Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua:  
qui ambulat in medio septem candelabrum.] Quia  
certo ordine septem Ecclesiæ capite hoc secundo  
& tertio assumuntur; & certo ordine septem si-  
gnacula cap. 5, & certo ordine septem Angeli cum  
septem tubis cap. 8: vt scilicet in exponendis re-  
bus*

bus habeatur ratio Patris omnipotentis creatoris  
cæli & terræ, qui cognoscatur creasse Ecclesiam  
omnium temporū, ut qui creavit semper omnia:  
habeatur ratio Filij, qui venit ut præstaret pro-  
missa à Patre, aperiret Scripturas: habeatur ratio  
Spiritus sancti, per quem Pater, & Filius effe-  
rint omnia. quia hæc, inquam, ita se habent, o-  
portebit attendere, qua ratione verba ponantur.  
nam in visione primi capit is in Christo posuimus  
omnia; per quem, & in quo existunt omnia, &  
ipsa omnium temporū Ecclesia. Verum quia Fi-  
lius est in Patre, quæ vni tribuuntur, tributa sunt  
sua ratione in singulis alteri: & in uno Deo co-  
gnoscendus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.  
Ergo cùm in Christo posuerimus omnia existere,  
& per ipsum consistere, in Patre hæc simul intel-  
liguntur posita. Ut autem habeatur præterea di-  
stinctio personarum, diuersa tribuuntur Patri, Fi-  
lio, & Spiritui sancto. ut hic capite 2, & 3.  
quia creatio tribuitur P. tri, fit prima enumeratio  
septem Ecclesiæ: quia deinde forma, & exem-  
plar rerum omnium prodit in actum per Chri-  
stum, ipsi tribuitur apertio librorum, solutio se-  
ptem sigillorū, ac perfectio rerum omnium: quia  
tertio loco Pater, & verbum efficiunt omnia per  
Spiritum sanctum; ipsa effectio, & operatio tri-  
buitur Spiritui sancto efficienti omnia in Ange-  
lis, & in ministris Dei. Ut autem teneatur hæc di-  
stinctio personarum, proponuntur septem Eccle-  
siæ, septem sigilla, septem Angeli cum septem tu-  
bis. quæ distinctio in initio libri fuit posita, ubi  
Apocalypsis Iesu Christi data ei à Patre per An-

gelum mittitur Ioanni patefacienda seruis Dei.  
Quia verò Pater est in Filio, & Filius in Patre, vt  
ait Christus ipse, & omnia sibi data esse à Patre,  
& quæ Patris sunt, sua esse; quamvis hīc agatur de  
Ecclesia creata à Patre; tamen ita loquitur Chri-  
stus, vt per se quoque sit creata, & alta, & perfe-  
cta, & administrata. vnde ait septem stellas, in  
quibus intelliguntur omnes ministri dati omni-  
bus temporibus ad Ecclesiam perficiendam per  
nouum verbum (vt antè diximus) se tenere ma-  
nibus suis. vt verbum, quod factum est omnibus  
temporibus Ecclesiæ per ministros, sit factum per  
ipsum Dei Filium, qui semper fuerit. dicitur &  
ambulare in medio septem candelabrorū aureo-  
rum, qui peregerit secundūm verbū suum omnia  
in Ecclesia omnium temporum mundi, vt æter-  
nus cum Patre cognoscatur. ergo dum septies in-  
nouatum est verbum Domini Ecclesiæ, semper pa-  
rendum fuit verbo Dei æterno, nam attributa hæc  
assumit sibi Christus, dum scribit Ecclesiæ Ephesi-  
næ, vt faciunt homines in imperio, ac munere pu-  
blico cōstituti: qui quæ sibi accedunt dignitates, &  
munera, eorum describunt nomina in his scriptis,  
in quibus publico edicto aliqua vetant, & iubent.  
simulq; in his attributis videtur Christus velle esse  
signata, quæ scribit Ecclesiæ Ephesinæ; quæ debeat  
parere Apostolis, quos ipse misit: atque ministri  
sciant, quicquid sunt, esse per Christum. vt dice-  
bat Paulus: Quid est Paulus, quid Apollo, nisi  
ministri per quos credidistis? item monemur,  
ipsum Christum esse, qui suo Spiritu agat omnia  
in omnibus: vt nec Iudæus, nec Gentilis veniens

in Ecclesiam Christi , debeat gloriari in ceremoniis suis , & in operibus suis mortuis.

*Scio operatua.*] Hęc debent esse aperta ex Epistolis Pauli : in quibus vidimus eius contentioneum cum Iudaeis , & Gentibus malis Christianis : qui ceremoniis , Lege , operibus , libero suo arbitrio , viribus humanis se saluari , ac omnia consequi voluerunt . Apostoli , & veri discipuli Apostolorū contra hos contenderunt , certarunt , & passi sunt multa ; sustinuerunt multa , ne opus Christi dissolueretur , & vt Ecclesiæ perseuerarent .

*Sed habeo aduersum te pauca , quod caritatē pri-  
mam.*] Caritas prima descripta est in fine capitulis  
secundi Act. & alibi in eodem libro , à qua pau-  
latim fuit recessum . Caritas adhuc prima intelligitur  
Patrum , qui vespri accedebant ad portas  
ciuitatis , expectantes peregrinos , vt eos hospitio  
fusciperent . quod cūm studerent agere , euenit eis  
vt Angelos , quemadmodum ait Paulus Hebr. 13 ,  
hospitio fusciperent . quid si iam tum aliquid no-  
uerant ex illo monitu Christi : Hospes fui , & col-  
legisti me ? Ioannes in suis Epistolis reuocat nos  
ad caritatem , quam habuimus à principio : quām-  
que in fine ait Christus cap. 25. Matth. se in quo-  
uis nostrūm recognitum . illud Christi : Quod  
vni ex minimis his fecistis , mihi fecistis ; semper  
fuit efficiendum . & qui non audierunt , audient ,  
& intelligent , quando iudicium peragetur .

*Itaque memor esto unde excideris.*] Si caritas  
nūquam excidit , vt ait Paulus 1. Cor. 13. dum ali-  
qua alia desunt ; ergo ab ea nunquam fuit rece-  
dendum . Veruntamen si aliquando recessum sit ,

Statim restituatur, & retineatur, quod sine ea non futurus sis Christi, & Dei Patris. vnde sequitur:

*Sin minus, veniam tibi citò, & mouebo cānd.*] Id quod factum est. atque laus, quæ fuit Ecclesiae in Asia, delata fuit in Europam.

*Sed hoc habes, quod odisti facta Nicolitarum.]* In facto Nicolitarum significantur desertores primæ caritatis, & desertores suarum Ecclesiarū. quia caritas non tantum requiritur, ut sis benefic̄us in quendam egētem; sed & ut simul completere omnes simul fideles summo amore, & ipsum corpus Ecclesiae. in primis id minister in ea agat. veri discipuli Apostolorum soliti semper fuerunt de suis Ecclesiis: eas non sinebat corrumpi ab aliis, non male administrari: non ferebant malos, & pseudoapostolos: curam earum tanquam suarum vxorum gerebant: suum opus & munus in sua Ecclesia quisque præstabat, illam non deserebat, non confundebat, alias non perturbabat: quod alii stamenet commodum, non omittebat. Hic ad hęc pertinentia colligi ex historia posterunt illa, quæ fuerunt ætatis Apostolorum, ac discipulorum.

*Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.]* Hoc mihi videtur simile illi: Qui habet aures audiendi, audiat: qui potest intelligere, intelligat. seu labore, studete, ut intelligatis. quisque sciat, me non tā de Iudæis præsentibus, quam de Papistis futuris, & aliis locutum. suo tempore quisque sit attentus, ut intelligat quæ ad se pertinēbunt. similiter & hic Ioannes videtur dicere: *Qui habet aurem, qui habet Spiritum, rationem loquendi*

loquendi Spiritus in Prophetia, audiat, & atten-  
dat, quidnam his verbis intelligendum sit; non  
solū scilicet præsentis temporis historiam; sed  
& eorum qui fuerunt in prima Ecclesia constitu-  
ta in promissionibus Abrahæ, & in his Ecclesiis,  
quæ post has Asiaticas futuræ sunt. Vnde cùm lo-  
catus sit vni Ecclesiæ Ephesiorum, ait, quid Spi-  
ritus dicat Ecclesiis. & idem dicitur deinceps in  
omnibus. vt in vna Ecclesia vnius loci, & vnius  
temporis, plura loca & tempora intelligentur: &  
omnes semper Ecclesiæ, in quibus cadé, & simi-  
lia cōtingant. Ergo hīc assumamus & Ecclesiam  
eorum, qui fuerūt sub promissionibus; & Eccle-  
sias quæ post Apostolos consecutæ sunt, vsque ad  
secundum aduentum Domini: & quas vidimus  
hoc nostro tempore in repetita prædicatione Eu-  
angelij. In prima ætate promissionis fuerunt lau-  
de digna in Abrahamo, Isaaco, & Iacobo. susti-  
nuerunt hi certamina contra impios, & aduersa-  
rios. Iacob patienter tulit iras fratris, seruitutem  
soceri, & talia filij Iacob multa præclarè; sed illud  
minimè, quòd oderunt Iosephum, & Beniamin:  
caritas quorūdam ipsorum versa fuit in inuidiā,  
& odium. factum Ruben omnino malum; quod  
vidimus in Genesi plusquam Nicolaiticum. Si-  
mile autem certamen fuit Lutheri, & aliorū cum  
Ecclesiasticis Papistis, quod fuit Apostolorū cum  
his, qui doctrinæ Euangelicæ aduersabantur.  
fuit illud quidē de Cœlibatu, de Ecclesia, de Do-  
ctrina. quod verò fuit certamen piorum cum Pa-  
patu, ab huius initio ad hoc vsque tempus, histo-  
ria quemq; docere potest: atque nos cap. 6. huius

libri, & deinceps videbimus. In his autem quæ sunt nostri temporis consistétes, cùm laudata sit doctrina in nouis nostris prædicatoribus; quam Lutherus, & alij prædicarunt de Iustificatione: sitque eadem, quæ patrum, vt cuique patere potest antiquos patres, & antiqua Concilia legenti, caritas tamen in iisdem multis, & in populo fuit desiderata. híc vellem alium ista narrare. id satis sit dixisse. vulgò omnes nunc verè usurpare illud Christi: Et caritas refrigerescit multorum. Videtur híc Ioannes requirere, vt in quibus esset eadem doctrina Euāgelica, & professio fidei, in illos mores Apostolico mutua caritas extaret. atque esset seruatum illud Mosis: Eadem lex ciuis, & peregrini, peregrini, & ciuis. quod quidem videtur esse seruatum in admodū paucis. Et quoniam dicebamus caritatem non tantum requiri, vt sis beneficus in certos aliquos egētes; sed maximè, & in primis, vt flagrans illa extet semper in totū corpus ipsius Ecclesiæ; ad eandem caritatē mihi videtur fuisse reuocandū illud, quod principes Euangelici in suis prouinciis domini & pacati, debuerint curam gesisse de Euangelicis, qui in aliis prouinciis opprimebantur, & necabantur, & si non híc, in Ecclesiā omnino existimo non fuisse seruatam caritatem. nam Luthero prædicante, statim surrexit magna vndique multitudo veritatem complectiū, & virorum doctorum, qui errata viderent, dum fuerunt primę contētiones de religione. nec fuit tunc coacta Ecclesia, non auditī singuli intelligentes: sed quisque vt sibi videbatur in sua diœcesi egit. hinc contentio extiit inter eos, qui defecerant à

Papatu;

Papatu; hinc orta dissidia, hinc ductæ tot hereses,  
 tot Ecclesiæ inter se dissidentes, tot Christi. Prete-  
 reà dum inter eos, qui eandem doctrinam de Iusti-  
 ficatione suscepissent, essent diuersæ sententiæ in  
 interpretandis verbis illis: Hoc est corpus meum;  
 non tamē dirimerunt societatem amatores Ecclæ  
 Christi: coibamus simul, ad eandem cœnam ac-  
 cedebamus. Ego iuuenis fugiens vim Inquisitorū,  
 qui me in Italia persequebantur, veni Argentora-  
 tum, susceptus hospitio à Ioanne Sturmio rectore  
 Academiæ. ibi fuit quoque illa varietas sententia-  
 rum: veruntamen ad eandem mensam accedeba-  
 mus, nil meditantes nisi nostram omnium con-  
 iunctionem in Christo in vnam Ecclesiam. senior,  
 Basileæ ad communem cœnam accessi: vbi erant  
 primi ministri vnam sententiam retinentes, & alij  
 ministri aliam. & ego aperui ibi meam sententiam,  
 exponendo factum Eliæ in suo sacrificio, dum sibi  
 esset contéctio cū sacerdotibus Baal. nec à Sulcero,  
 qui porrigebat mihi panem, fui reprehensus; sed  
 me caritate Christianæ complectebatur. & tunc  
 ibi, & antè si fuit varietas sententiæ, non fuit ani-  
 morum disiunctio, ac caritatis dissolutio. Et ut  
 mihi quidem videtur, potuissent multi abstinerent  
 ab hac contentione, quæ disiungit fratrem à fra-  
 tre; dissoluit, & dissipat Ecclesiæ; cōcitat discor-  
 dias, & lites, quas videmus aduersari caritati, &  
 ipsi cœnae Dominicæ: in qua augetur caritas, pax,  
 & coniunctio membrorum Christi inter se cum  
 Christo. Quando quærentibus Apostolis de lo-  
 co vbi paranda esset cœna, dixit Christus: Ite in vr-  
 bem, inuenietis hominē feretem lageniam aquæ,

sequimini eum. & quocunque introierit, dicite patrifamilias: Magister dicit, ubi est diuersorum ubi Pascha cum Discipulis meis edam? mihi videtur fuisse expositum institutum superiorum ministrorum, qui fuerunt ante concilium primum Tridentinum: qui statuerunt non esse contendendum; sed communem debere esse Cœnam eorum, qui eandem doctrinam de Iustificatione suscepissent. nam dum quaerunt Discipuli de loco, significari videtur contentio de Cœna Domini eorum, qui idem Euangeliū profitentur. dum autem ait Christus: Ite in urbem ad quendam; nec nomine alicuius profert; monet & nos ne nominemus alicuius nomen: ne dicamus nos edere cœnā Lutheri, Caluini, aut alterius; sed ipsius Christi: ne sint propriæ cœnæ, ut monet Paulus. Et dum inuenitur homō ferens amphoram aquæ, significatur ille accedere ad Cœnam, pertinere ad Cœnam Domini, qui tulerit secum promissa in Baptismo; fidem, quod sit factus Christi, iustificatus sit in Christo. nomina subtiliter, ut dixi; Christus appellatur Magister, alij Discipuli. Magister dicitur edere Pascha cum Discipulis suis, ut omnino amoueantur cœnæ privatorum, tacentium varias sententias. quod tibi promittitur in Baptismo, datur tibi in Cœna: & quod promisisti tu in Baptismo, promittis & in Cœna: suscepta fide in Baptismo, eadem magis ac magis aucta & confirmata, accidis ad Cœnam: non quod plus sapias, non quod plura mysteria noueris. factum illud Apostolorum, & iussum Christi mihi videatur maximè ad nos pertinere: ut etiam reprehensione

sio Pauli, vbi reprehendit Corinthios edētes cœnas proprias. nam dixit similes hæreses & cōtentiones futuras inter nos . Vnde non moneo ego, sed rogo omnes & Papistas, & quosquis alios profitentes Euangelium , vt attendant quidnam sibi velit Moses, quando ait Num.9, ver.12: Non relinquetis ex eo usque manè; neque os confringetis ex eo. attendant,inquam, quid signetur, dum dicitur, ex eo nil relinquēdum usque manè : item dum os prohibetur frangi. vt quidem sentio, non solūm dictum est, os non frangi, quod ossa Christi non fuerint fracta; sed & propter aliud, quod & ad Hebraeos tunc , & ad nos nunc pertineat. Si hæc duo fuissent intellecta, vt ego quidem sentio, non tot dissidia inter nos, sed una Cœna, una Ecclesia fuisset, & nos omnes unū in ipsa. quod vt fiat , & restituatur prima caritas , Deum patrem, ac Dominum nostrum Iesum Christum precor.

*Itaque memor esto.]* Ut multa alia, hoc lectum fuit, & per cursum, siue sine attentione præteritū. vnde factum est vt candelabrum , hoc est, gloria Euangeliū sit translata; in aliquibus lumē doctrinæ sit imminutum: quia spiritu cœpimus, & carne consumimus . hic non plura dicam. quando attulerit finem Christus perturbationum, patebit in Ecclesia à se constituta translatio candelabrum, quæ fuerit, & quibus in locis . petoque ego vt magis corrigamus errata, suppleamus quæ desunt, erigamus collapsa ; quam à me exigatur, vt singulos lapsus memorem , & futuros nuntiem.

*Sed hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarum.]* Ecclesiasticorum Romanorum, qui vt ab uxori- bus

bus abhorrent, ita curam Ecclesiarum abjiciunt.

*Vincenti dabo edere de ligno vita, quod est in paradiſo Dei.]* Lignum vitæ est vita Filij Dei, qui est in Patre. Ergo patres primi, Abraham, Isaac, & Iacob, & huius duodecim filij; quorum, qui exciderant è caritate, exixerūt se, & correxerūt errata, ut ostendunt eorum testamenta; vicerunt, atq; vixerunt in ea spe, ut ederent de ligno vitæ. ita qui itidem vicerunt tēpore Apostolorum, & pōst, & tandem nostro tempore, participes erunt eiusdem vi-  
ctorię, & honorum: vincendo scilicet in sustinēdo  
pugnā contra aduersarios: superando afflictiones,  
incommoda, & difficultates: infrēnando cupidita-  
tes malas. quæ agere, est muneris cuiusque profi-  
tentis se esse è numero credentium in Christi Ec-  
clesia, ipsam caritatem nunquam deferendo. Qui  
hæc præstabunt, dabit eis Deus vitam, quæ est in  
Filio; siue Filius eis dabit quę habet à Patre. paradiſus est status beatus, & vita beata, quam dat nobis  
Pater in Filio. Ergo qui vicerit, & perseuerauerit  
vsque in finem, saluus erit: oſtinebit ut in Christo  
ſulcipiatur à Patre in eternam vitam. Hic oriri vi-  
detur difficultas, quod cap. 2. Gen. vetitū ſit edere  
de ligno, quod est in medio paradiſi: hīc autē  
promittatur eius cibus. quæ difficultas ita vi-  
detur tolli: quòd aliud ſit edere per ſe, aliud datū,  
ut edas. aliud eſt ſi edas, & percipiās fructus alieni  
agri, aut horti; aliud ſi donentur tibi, ut edas,  
& ſiſ particeps. illud non oportet, hoc licet. ita  
cap. 2. Gen. edere deligno quod eſt in medio pa-  
radisi, eſt, quæ Christi ſunt ſibi tribuere, ac ſua fa-  
cere propria. hīc autē edere, eſt, donatū à Christo  
accipere,

accipere, & recognoscere . ideoque rectè haberi ,  
& perpetuum possideri, rectè acceptum.

*Et Angelo ecclesie Smirnensi scribe: Hec dicit pri-*  
*mus , & nouissimus.] Quia de ætate secunda post*  
*Apostolos agitur, quando inundauit persecutio*  
*tyrannorum contra Christianos : & iecircò dicta*  
*est ètas illa martyrum, sacrificiū corporum quorū*  
*& odor redolet apud Patrem : dat sibi Christus*  
*ea attributa , quibus ostendit se quoque passum ,*  
*& mortuum ; & tamen viuere, ac in se esse æternā*  
*vitam ; qua priuabit imperfectores, illamque tra-*  
*det iis qui pro suo nomine passi , aut mortui fue-*  
*tint . qui enim primus est & nouissimus , maior*  
*est illis qui creati sunt aliquando , & moriuntur .*  
*qui est perennis, perpetua & æterna vita; qui mor-*  
*tuus, quando voluit resurrexit, & vixit; is poterit,*  
*quos voluerit, æterna vita donare, & quos volue-*  
*rit illa priuare. Scio opera tua, in prædicatione Eu-*  
*angelij : afflictionem , & quòd persecutionem su-*  
*stineas, dolores, verbera, ignominiā , & mortem:*  
*ac paupertatem , sustinies direptionem bonorum.*  
*Sed dines es: ut mortui in Christo obtinent æter-*  
*nam vitam, ita qui nudi facti sunt propter ipsum ,*  
*ipsius divitias possidebunt. Et blasphemias eorum*  
*qui se dicunt Iudaos esse , & non sunt ; sed Synagoga*  
*Satane. Hoc non videtur referendum ad Gentes*  
*que essent alienè à nomine Iude. ergo videtur esse*  
*nomen vniuersi generis positū pro omnibus profi-*  
*tentibus religionem, qui nomine religionis perse-*  
*quentur profitentem veram religionem , ac vocat*  
*hæreticum . hic in primis arguuntur Iudæi , qui*  
*persecuti sunt Apostolos, & Apostolorum discipu-*  
*los,*

los, hōsque hāreticos appellauerunt: & ex genti-  
bus, qui suscepérūt Baptissimum, fuerunt pertur-  
batores verē doctrinæ, atque negotium præbentes  
Ecclesiis. In populo Iſraēlitico fuerunt Iannes &  
Iambres Moſi aduersantes: Datan, & Abiron, &  
Maria. Dū progesſus facit prædicatio nostro tem-  
pore, ac post primas contétiōnes Ecclesiasticorum  
cum Lutherō Papa promulgat Lutherum hāre-  
ticum; Inquisitiō insūrgit crudelis contra creden-  
tes prædicationi, Principes follicitantur ad bellum  
ſuscipiendum contra Euangelicos, & ad omnes  
necandos. & hāc historia doceat. Inter profitentes  
quoque Euangelium fuerunt diſſidia. hāc & per-  
ſecutiō Papistarum huiusmodi laborem, afflīctio-  
nes, & paupertatem attulerūt, vt ſcriptis compre-  
hendere non possis, quæ paſſi hoc tempore ſint cre-  
dentes. vnde ſi perſecutiō Pharaonica, Neronis, &  
aliorum tyrannorum fuit infinita, vt vniuerſa  
non potuerit tradi literis, vt Deus ſolus totam no-  
uerit; etiam noſtra non potuit narrari. de qua dixit  
quoque Deus: Scio opera tua.

*Nihil horum timeas.*] Hortatio eſt ad martyres,  
vt ſuſtineant, quod & alij paſſuri ſint eadem: futu-  
rū vt fideles & ab Ecclesiasticis nō minora ſint paſ-  
ſuri, quam antè paſſi fuerint à tyrannis. & id tri-  
buitur satanæ propter Antichristum, in quo agit  
satan, qui dicitur miſſurus aliquod in carcerem,  
vt ſcilicet occidantur. Hortatio ergo cūm ſit ad  
martyres, fuit quoq; ad nos, qui ſimilia paſſi nunc  
ſumus. vt verò pateret hoc, quod dixi, de Martyri-  
bus antiquis, & nostri temporis, dicitur afflīctio  
duratura decem dics. fuit perſecutiō martyrum a-  
liquot

liquot centenis annorum : ergo in decem diebus tempus mysticè intelligitur. & hic monemur, quæ de uno loco, & tempore dicuntur, transferenda esse ad alia tempora. quamobrem in his decem diebus existimo significari tempus totum , quo pij ab impiis patiuntur. possumus autem multis modis distinguere hoc tempus: vt si ducas initium ab Abel, & Cain ; ac numeres tempus ab Abel ad Enochū iustum , ab hoc ad Noë , à Noë ad Abrahamum, erūt tria tempora . septem numerabis ab Abrahamo usque ad initium ætatis septimæ , quando erit finis afflictionū in populo Christiano : & ita erunt decem; aliter in septem ætatibus, & tribus statibus mundi habebis decem. aliter numerabis septem ætates, seu tempora à Christo usque ad regnum Iudaëticum cœptum , & ad Angelum descendētem de cælo , qui dicitur cap. 18. & Angelūstantem in Sole cap. 19. & Angelum habentē clauem abyssi ligantem Satanam, & falsum Prophetam , atque afferētem finem afflictionum : & ita erunt decem. possumus , & debemus reuocare hos decem dies etiam ad postrema tempora, quando cœpta est predicatio Euangelica. atque illa distinguere secundū rationem dictam in Mose in decem plagis. nam similis persecutio fuit in Ægypto quando paruuli Hebræi aquis mergebantur, reliqui dura præmebantur feruitute . caput secundum & tertium Ieremiæ faciunt vt credam hanc interpretationem quoque esse propriam. & hanc distinctionē denarij infrà inueniemus consignatam in septem bestiis, & tribus buffonibus. vt numeres tempus Leonis decimi, Adriani, Clementis, Pauli tertij, Iulij, Pauli quarti,

quarti, Pij quarti: si addes his Pium quintū , Gre-  
gorium 13. & alium post hunc futurum, erunt de-  
cem. illud verbū Decimatio, sive Decima, in fine  
sexti capitī Isaiæ videbitur idē significare, si quis  
attendant illius capitī totam sententiam. Dicuntur  
autem dies, & non noctes: quia lux Euangelica, &  
Prophetica claruit, & patefecit hanc bestiam, quæ  
habita est homo, cùm essent tenebræ; apparuerit  
Antichristus, qui visus sit vicarius Christi. Quòd  
verò post tempus martyrum innouata fuerit per-  
secutio per Papam, & Ecclesiasticos factos impias  
gentes, vt prius fuerant, & deteriores, ostendebat  
Christus in eo, qui liberatus à spiritu immundo, a-  
lios septem suscepit nequiores primo. Antiqua  
iam persecutio post constitutum Papatum reuoca-  
ta contra p̄tos in Ecclesia Christi, & diducta usque  
ad hæc tempora secundi aduentus Domini, aucta  
valdè fuit secundo tempore prædicationis, quando  
extra Saxoniam longè, lateq̄ue se dilatabat. nam  
Papa, & Papistæ conspicientes prædicationem per-  
uadere quasque regiones, ignem, ferrum, aquam,  
venenum, & omne genus mortis contra Euange-  
licos adhibendum esse putauerunt. quanta fuerit  
persecutio, vexatio, afflictio, mors, vt dicebam,  
scit ipse Deus. Qui fuerunt fideles antè, & nunc;  
qui tutati sunt veritatē verbi Dei, & Euangeliū,  
corona æternæ vitæ, quæ est in Christo, donabun-  
tur. Et hæc ita videntur fuissè interpretanda. quia  
& hic dicitur: *Qui habet aures audiendi, audiat*  
*quid spiritus dicat Ecclesiis.* non enim dicitur Ec-  
clesię Smirnensi; sed Ecclesiis; vt ad omnes referri  
debeant, quæ in una dicuntur. quando similia seu  
recte

recte, siue perpetam fieri, & existere inueniuntur.  
de morte secunda nihil est quod dicamus: quia  
cap. 20. ait Ioanes, esse infernum, & stagnū ignis,  
in quod cōjiciendi sint omnes aduersantes Chri-  
sto, non credentes Euangelio, ac persequentes  
Euangelicos.

*Et Angelo Pergamensis ecclie scribe: Hac dicit  
qui habet gladium ex vtraque, &c.] Quid per hūc  
gladium signetur, aperit Ioannes cap. 19. Gentes  
scilicet à Christo percutiendas; Reges virga ferrea  
conterendos, & quæ sequuntur. Per Gentes non  
intelligendi sunt hīc solum Turcae, & similes; sed  
Papa, & Papismus, & illi qui facti sunt Gentes,  
viventes ut Gentes, non ut Christiani; sapientes  
quæ sunt Gentium, non quæ populi Dei. & hoc  
vidimus cap. 63. Isaiae: cap. 9. Ierem. cap. 16. Ezecl.  
Affertur hīc hoc attributum Christi; quodq; is scri-  
bi, quæ dicentur, mandet; qui habet gladium ex  
vtraque parte acutum. quia in memoriam reu-  
tatur tempus præteritum captivitatis Babyloni-  
cæ, quando percussit Deus exercituum bello re-  
ges Israëlitæ, & populum: quod se facturum per  
Prophetas antè minatus fuerat: quia quæ signifi-  
catur & episcopus Romanus adeptus otium, ade-  
ptus eam potestatem quæ Ecclesia, quæ Christo  
erat danda; & qua erat constituenda Ecclesia, ut  
per hanc omnis status populi Christiani secundū  
legem Dei administraretur; atque in hac volun-  
tas Dei in rebus omnibus cognosceretur, idque  
ficeret, non constituto in ea tyranno episcopo Ro-  
mano, & tyrannis aliis, & Prælatis, qui loqueren-  
tur, & agerent quæ libido suaderet: sed ex mem-*

bris Christi quæreretur quicquam in ipsis caput loqueretur. contrā egerunt Papa, & Prælati. acceperunt libenter authoritatem, & potestatem, & bona Ecclesiæ: atque contemptis membris Christi, & capite Christo, Antichristi facti sunt: opus & negotiū satanæ, & Antichristi fecerunt Ecclesiastici, non autem Christi. De hac re dictū est alibi sēpē, & cap. 2. Oſeæ. Christus autem nunc monet illos, & ait se esse iudicē, qui venturus sit in suo secundo aduentu pugnaturus contra ipſos verbō repetita prædicatione Euangelij: pugnaturus ferro, vindicaturus, & puniturus Papatum, & omnes impios, ac proditores: daturus fidis suis seruis, ut infrā dicetur, in anna absconditum, & dona quę nemo nouit, niſi qui accipit. Præterea quoniam parta liberatione à tyrannis Ecclesiastici adducebantur in regnum Christi, in paradisum voluptatis; ac statim deficiebant à Christo, ut in Thyatirensi Ecclesia dicitur: atque more Adami peccabant, ut dicetur cap. 6. in quarto sigillo, pœna ostenditur in gladio ex utraque parte acuto. quod priuandus fuerit Papa dignitate Ecclesiastica, & politica: oculus ei eruendus, & brachium percutiendum. ut dicitur cap. 11. Zach. stabitq; Angelus ad portam paradisi, ne Papa ultrā in illum ingrediatur.

*Scio opera tua, & quod ibi habites ubi est sedes Satanae, & tenes nomen meum, &c.] Hic loquitur Christus suis fidis seruis, qui subduxerunt se ab Episcopo Romano, & maluerunt inglorij, & obscurè, & pauperrimè viuere, quam Romæ & alibi sibi potestatem, & authoritatem aliquam cum Papistis vendicare in Ecclesia. Quam vero peccatit*

tit siue Syluester Papa, siue alius post Sylvestrum, cognoscetur in innouata Ecclesia. quia ducetur tunc cōparatio à statu Ecclesiae innouatae ad statum Ecclesiasticum, qui fuit post Sylvestru. quod hic status habitus sit secundum Christum, & doctrinam Apostolicam constitutus, & tamen cognoscetur in Ecclesia innouata fuisse in eo sedes Satanæ : quia ibi assumpit Papa quod erat Ecclesiae, & Christi. atque ita intelligitur ipse, & alij Episcopi qui idem egerūt in suis diœcesis, negasse Christum, nec retinuisse nōmē Christi. hoc est, non retinuisse Christū Caput, Regem, & Dominum : sed loco Christi intrusisse, & exhibuisse se ipsos populo Christiano. hinc factum est, vt multi veritatē Apostolicæ doctrinæ, & pium cultum retinentes, deseruerint vrbes, non tam antē propter persecutionem tyrannorum, quām quod post tyrannicum imperium abhoruerint à luxu qui fuit in Ecclesiasticis, à quibus se exemerunt: ut ipsi nec aliis imperarent, nec alij quām Christo inferuissent.

*Et in diebus meis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satan, &c.]* Hic mihi videatur assumere tempus, more Prophetico, quod cōsecutur erat post Sylvestrum Episcopum: atq; intelligi tempus totum, quo de primatu Ecclesiae, seu de Episcopo Romano fuit contentio in populo Christiano, vt historiæ tradunt: & quo tempore Papa tyrannidem exercuit. vt ita dicatur: non solum vos discipuli Apostolorū in ecclesia Pergamensi retinuistis me saluatorem mundi, & ab Euangelio meo non recessistis: non solum tēpore Sylvestri,

aut statim post fidi mei non defecerunt à me, & ab Euangeliō meo; sed nec deinceps fidi item mei recedent à me, & à fide prima Apostolica. nam cùm Papa constituerit, cùm firmarit suam tyrānidem, dum illa durabit, sient fide mei Antipapæ, tuebuntur meum nomen, & meum Euangeliū suo sanguine. *In diebus meis.* quando ego obtinui in Italia victoriā in morte meorum martyrum, obtinui principatum, atque mihi dabatur regnum, & administratio.

*Antipas testis meus fidelis.* qui nullum alium Papam, quām me Dominum voluerunt, se Antipapas constituerūt, occisi sunt, vbi tu habitas. nolo dicere in Ecclesia mea, quia iam non est Ecclesia mea, vbi tu habitas, vbi omnes appellamini Christiani sub Papatu; sed est infernus, & locus vbi iam non ego, sed Satanās habitat. hoc idē cognosce in Osea cap. 2.

*Sed habeo aduersus te panca,* quia habes illic tenentes doctrinā Balaam.] Ex his qui remoti erāt ab administratione tyrannica, à Papæorum luxu, illi reprehēduntur, qui Papam non arguebant: eius autoritatem, ac potestatē sua sentētia comprobabant: vti Balaam, qui docebat Balac regem vendicare sibi benedictionem Domini, & illius regnum confirmabat.

*Vt mitterent offendiculum coram filiis Israël,* & ederēt ex his quæ simulachris, &c.] Hoc est, vt facerent vt Balac adoraretur: & quæ sacrificia exhibenda essent Deo, Balaco Papæ offerrentur. Ita fuerunt multi doctores, & pietatem profitentes, qui Papam Deum in terris esse affirmarunt: quod Dci,

Dei ac Christi Iesu fuit, Papæ adscripsérunt; ac fecerunt vt simplices in populo Christiano offendérint, ac Antichristum pro Christo habuerint. *Et fornicarentur.* prædicarunt cœlibatum, abstinuerūt ab vxoribus, & fornicati sunt. desceruerūt Episcopi suas Ecclesias, vt cum Papa fornicarentur; vt illi adessent, relicto Christo; & similia, qui Christo seruire debauerunt, efficerunt vt totus populus fornicaretur variè sub Papatu: mercedem Balaam securi sunt: multa multi appetiuerūt, amplos fructus Ecclesiasticos, atque curam Ecclesiarum aliis reliquerunt, qui lucrū sestantes peccata populi ederūt, eum retinentes in multiplici idolatria: concionatores pariter ad amplam mercedem intenderunt animum, & hæc Deus odit, vt odit facta Nicolitarum. *Similiter pœnitentiam age.* hæc aperta sunt. *Et pugnabo cum illis.* Vt Christus pugnabit gladio oris sui, condemnabit in sua prædicatione Euāgelica, & percutiet Papatum in suo aduentu; itidem iudicabit eos, qui Papam & Papatū sua prædicatione comprobarint. In Osea cap. 2. ait Deus: Contendite cum matre vestra, quod nō sit vxor mea. hoc Antipapæ fecerunt: contrà egerunt adulatores Papæ Ecclesiam Romanam fulcientes. *Qui habet aurum,* &c. Exemplum quod adducitur Balaami, ostédit & ad Israélitas nos debere mentem conuertere, qui eadem egerunt, quando Datan, & Abiton concitabantur contra Mosem & Aaron: quando Madianitarum scelus adorauerūt: quando Balaam id egit, quod hic meminit Christus. hæc quomodo cōueniant cum Papatu, ac fuerint

Prophetia nostri temporis, vidimus in libris Mo-  
sis. quare non sunt iam repetenda, sed satis sit lo-  
cum attigisse. conuertendi sunt & ad nostra tem-  
pora oculi, & historia cognoscenda, quid egerit  
Papa, & Papatus tempore tertio prædicationis,  
quando Anglia suscepit prædicationem Euange-  
licam: siue potius quando habitum fuit primum  
concilium Tridentinum. historia extat quanta  
molitus sit Papa per suis ministros, per Cardina-  
les, per nuntios, ut prætermittam occisione quæ  
fiebat Euangelicorum, ut dictum est in Ecclesia  
Smitnensi. quanti extiterint scriptores, quot pre-  
dicatores excitati præmiis à Papa Paulo tertio  
Fernesio, qui contrà quām sentirent, confirma-  
runt Papatum, & eum defendeunt, ut Balaam  
Balac. qui adepti Cardinalatus, Episcopatus, &  
alias dignitates, Papæ asseclæ faēti sunt, cum Pa-  
pa fornicati sunt. Copiosius ista sunt exposita in  
Mose: & de concilio primo Tridentino multa ibi  
dicta sunt, & dicetur cap. 17. hīc videretur quæ-  
renda causa, quare è secūda ætate sumatur exem-  
plum impietatis, quod erat sumendum è tertia.  
sed de hac re dicetur statim in ecclesia Thyatiræ.

*Vincenti dabo edere ex manna abscondito.]* In  
manna abscondito existimo signari præmium,  
quod dabit Christus suis: quæ præmia Papa, &  
Ecclesia Romana recusarunt. præmium Papæ vi-  
debatur, & manibus tenebatur. erant præmio af-  
fecti Ecclesiastici constituti in dignitate, ac fruen-  
tes fructibus copiosis. at Christus dat manna, &  
illud absconditum; quia iam non appetet, dum  
vita nostra abscondita est in Christo. sed appa-  
rebit

rebit pōst, cūm in tertio statu dabitur possessio,  
& regnum Christi fidelibus, atque in cælis vita  
æternā Christi, quæ est apud Patrem. *Et dabo illis*  
*calculum candidum, & in cal.* Existimo signari in  
hoc calculo virtutem, & donum singulare Spiri-  
tus sancti, quod datur singulis membris Christi,  
ac in illis imprimitur, vt in æternum in ipsis sit,  
& sit ipsis simul pignus æternæ vitæ in cælis apud  
Patrem. item gaudium, ac statum, quem quiuis  
pius habiturus sit in Christo, & à Christo itidem  
apud Patrem. item gaudiū, & sensum, quem ha-  
biturus sit fidelis apud Deum suæ beatitudinis in  
sua coniunctione cum Christo Iesu, & Deo patre  
in cælis. qui sensus diuini muneris, & participa-  
tionis caritatis Christi ac Dei patris, verbis expri-  
mi non possit. Ergo quæ oculus non vidit, nec  
auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, dabit  
Christus se diligentibus.

*Et Angelo Ecclesiæ Thyatiræsis scribe: Hæc dicit.]*  
Tertia ætas ab Apostolis fuit Ecclesiæ liberatæ à ty-  
rannis, quando Roma & alibi multis in locis fuit  
libera professio Euangeliæ, ac nominis Christiani.  
quarta fuit defectionis Episcopi Romani, & Eccle-  
siæ Romanæ à Christo. Et quia facti domini statim  
defecerunt Ecclesiastici Romæ, ac propè nullum  
tempus intercessit à dominatu adepto, & à defe-  
ctione; idcirco tercia & quarta ætas non habent  
multum discriminis; & aliquando pro eadem una  
ambæ capiuntur. atque idem videtur esse tempus  
cum tempore quo Adamus permanxit in paradyso;  
modicum scilicet. & defectio Papæ, & Ecclesiæ  
Romanæ videtur esse peccatum Adæ. de quo, quia

cap. 12. dicetut, hic non multa verba faciam. Quia  
 iā tertia & quarta ætas propè pro eadē capiuntur,  
 quod quæ scripta sunt Ecclesiæ Pergamensi, & hic  
 Thyatirenſi, sunt propè eadē. nam ibi Papa, & Pa-  
 patus significabatur in primis, hic Ecclesiastici, &  
 Prelati cū ipso facientes significantur, & præsertim  
 Inquisitio, cuius fuit figura Iezabel illa quæ perse-  
 quebatur Prophetas Domini. & hāc Inquisitionē  
 intelligo quæ cœpta sit Romæ, quæq; accersiuit il-  
 luc & Merlinū Britanū anno 500. à natali Domi-  
 ni, & semper est auēta: & nūc omne virus, & sœui-  
 tiam fundit, & exercet in Euangelicos. Ergo in hi-  
 storia temporis illius Iezabelis extitit & Eliæ con-  
 tentio cū fæcerdotibus Baal. qui Baal signabat Pa-  
 pam Iezabelis maritum, hoc est Inquisitionis, quæ  
 fuit in Ecclesia Romana. Intelligendū est ergo tem-  
 pus Papæ, & Prælatorū, quādō cœperunt percutie-  
 re eos, qui ausi fuissent quidquam cōtra se hisce-  
 re, ac cōtra suos errores & vitia. assumitur & tem-  
 pus nostrū in primis, quando Paulus quartus Ca-  
 raffa auxit quantum potiū vim inquisitoriam.  
 Et illud non videtur prætereundum, quod di-  
 cūtum est in Ecclesia Pergamensi de Balaam ac  
 Balac, atque hic de Iezabele. nam cūm in ec-  
 clesia Pergamēsi ageretur de tertia ætate, ducēdo  
 initium secūdūm Apocalypsim à tempore Aposto-  
 rum, videbatur sumendum simile à tertia ætate  
 Mosaica ducta ab Abrahamo, quæ fuit Prophe-  
 tarum. item cūm in hac Thyatirenſi agatur de  
 quarta ætate ducta prima ab Apostolis; videba-  
 tur & hīc fuisse adducendum exemplum ab Ec-  
 clesia prima Apostolica errati similis in Ecclesia  
 Thyatirensi.

Thyatirenſi, quarta enim ætas Mosaica, quæ fuit Christi, & Apostolorum, respondit quartæ initio ducto ab Ecclesia Apostolica coacta à Christo. Ac cùm ætates debuissent venire in idem, in vnā, vt esset sacerdotium Christi, & regnū Christi dictum Israëliticū in populo Christiano: ecce Papa facit ſe ſumnum ſacerdotem, & regem loco Christi; factusq; est Antichristus: atque omnino omnia contraria Christo allata ſunt in populum Dei à Papa. Quia iam nō fuit in Christo niſi bonum, atque ab Apostolis nil impie constitutum, non potuit Ioannes ex Ecclesia Apostolica prima ſumere exemplum insignis mali futuri in Papa. Sumpſit ergo pro ætate quarta post Apostolos ex ætate superiori tertia, quæ fuit Prophetarum, exemplū impij facti Iezabelis, & Achab, & Sacerdotum Baal. Sumpſit & pro ætate tertia ab Apostolis ex ætate secunda, quæ fuit Legis, exemplū impietatis Balaam, & Balac. & id non ſine certa ratione videtur factum, quia vt præteream quæ dixi, nil mali fuiffe affumendum ē prima Ecclesia Apostolica, Elias veniebat cum Christo, & arguebat Scribas, & Pharisaeos progeniem viperarum, vt olim Sacerdotes Baal. item Moses pater Prophetarum, potuit venire in ætatem tertiam Prophetarū: similiaq;, ac propè eadem ſunt, quæ de Balac, & Balaam tépore Moſis, atq; de ſacerdotibus Baal, & Iezabele tépore Eliæ narrantur.

*Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius, &c.] Hic ponitur filius Dei, vt ſciant Papistæ, & Inquisitores contra quæ bellū ſuscepterint. Primū Papa, cuiusnam fue-*

tit proditor: noscat quando sibi vendicauit pos-  
sessione vineæ, & regni Christi: noscat cuiusnam  
nomen nunc apud te, & Inquisitores, & impios  
alios sit nomen scandalosum: noscant cum habe-  
re oculos tanquam Hammam Ignis, qui habitet  
ignem inaccessibilem, qui sit Deus qui videat eo-  
rum immania, & occulta consilia contrasse, &  
sua membra; fraudes, & dolos, quibus vtuntur  
quotidie: qui sit eos iudicaturus, & puniturus:  
qui eos iā iudicauerit, atq; demersurus sit ad tar-  
tara, & ibi suis pedibus pressurus, vt indē nunquā  
resurgat: quemadmodum premit eterno suo iu-  
dicio Diabolum cum omnibus malis spiritibus.

*Noui opera tua.]* Loquitur quidē his qui erant  
Thyatiræ; sed & qui antē imitati sunt Eliam, lau-  
dantur. item qui eadem hoc tempore egerunt,  
quique venerunt in medium rerum omniū cer-  
tamen contra Antichristum; non destiterunt ab  
opere caritatis, non à labore: non defecerunt, su-  
stинuerunt vsque ad finem quæque aduersa.

*Sed habeo aduersus te pauca.]* Verūm vt tempo-  
re Eliæ multi in magnis tenebris errarunt, & ma-  
ritus Iezabelis maximè: item in Asia post Apo-  
stolos, aut etiam tempore Apostolorum: item to-  
to tempore Papatus; ita nunc magnus est error  
multorum, & præsertim Principum, vt etiam an-  
tē: magnus & quorundam virorum doctorum,  
qui sustinent Inquisitionem, atque ei non resi-  
stunt vi, & doctrina dū sibi vendicat ipsa doctri-  
nam Euangelicam, & Propheticam: præscribit  
prædicatoribus quidnam cōcionari debeant, eos  
cogit docere impietatem præter scelus ipsum in-  
quisi-

quisitorium: decipit, & vim facit omnibus seruis Christi, & cultum huic præstare studentibus.

*Fornicari, & edere ex his quæ simulachris immolantur.]* Hæc fornicatio significat assumere sibi Papam dominum, eadem cum eo sentire, eadem cum eo agere. edere ex his quæ simulachris immolantur, est participem fieri idolatriæ Papisticæ in inquisitione, & in omni eorum impietate.

*Et dedi illi tempus, ut pænitentiam ageret, &c.]* Quadragesimos annos noni Prophetæ monuerunt Ecclesiasticos: quadraginta annos nunc prædicatum est Euangelium, nec unquam voluerunt recedere ab inquisitione, à fornicatione: hoc est, semper persistenter facere cum Papa, & agere ipsi personas principum: cum Papis, cum Regibus, cum tyrannis contendere contra Christū, & eius membra. *Ecce ego mittam eam in lectū.* Ut permitit haec tenus Papam, & Papæos, ita nunc permitit Christus Ecclesiasticos cum Principibus agere impiè, & crudeliter in sua membra, ut puniantur, & perdantur in magna perturbatione futura. nec sit deinceps, qui in eorum locum succedat: atque in ipsis appareat iudiciū, & in superiores Papæos. ut tandem cognoscatur Christus iudex viuorum, & mortuorum.

*Vobis autem dico, & ceteris qui Thyatiræ.]* Dum dicitur Vobis, & Ceteris, multis significatur verba fieri. Ego igitur existimo dici omnibus piis, qui fuerunt tototēpore Papatus ab illo initio, quando Ecclesiastici cœperunt deserere munus suum, ac deficere à Christo. & hic cognoscenda erit historia eorum, quæ egerunt Ecclesiastici in retinenda sua tyran-

tyrānide, in sua vita turpi, vsque ad nostra tempora. Qui ergo non suscepérunt doctrinam Papisticam, non consenserunt cum Ecclesiasticis illis; ac refugerunt turpe in vitam, & errores; nec tamen cognouerunt profunditatem Satanæ, quod omnino Ecclesia Romana esset regnum Antichristi, ut cognouit Petrarca, Bocatius, & alij: vt omittam Bernardum, & certos Doctores, monétur vt persistant ipsi in fide & opere expectando aduentū Domini. *Quemadmodum dicunt.* Illi, inquam, qui nouerunt profunditatem Satanæ, dixerunt Ecclesiam Romanā esse Babylon; vt vocauit eam Petrarca, Auaram Babyloniam: Bernardus, statum Antichristū. & ita tempore nostro conimannis vox est omnium, qui sapiunt, Papam esse Antichristū. & ipsi Papæ Episcopi in secundo concilio Tridentino, vt infra dicam, pronuntiarunt Papam Antichristū. *Non imponam vobis aliud pondus, tamen id.* Toto ergo tempore Papatus, & maximè hoc tempore, debuimus sustinere aduersa, persistere in doctrina Euangelica suscepta, & in mutua caritate, vt quoque præceptum fuit cap. 3. *Ose: nec debuimus plura exquirere, & perturbari dum durauit impietas Papistica; dum fuerunt hæreses; dum ignoratio multarum rerum, & præsertim exitus status Babylonici; & nunc præser-*tim quādo dicimus illud Psa. 74. *Signa nostra nō vidimus; iam non est Propheta, & non est nobiscum qui sciat quousque.* opus fuit expectare vt Christus innouaret prædicationē Euangelicam; quod & fecit: virga ferrea puniret Antichristum, & eius imitatores; quod facit: aperiret scripturas, & in-

& innouaret Ecclesiam, & totum statum sui regni. Et qui vicerit, & custodierit usque ad finem opera mea, dabo ei, &c. Concluditur sermo, ut qui usque ad finem sustinuerit, siue contendere contra Papatum, siue non facere cum Papatu: atque perfiditer agere quæ præcepta sunt in Euangelio, futurus sit ille in regno Christi, ut Lucifer propè Solem cum manè surgit. nam in stella, Num. 24. signatur regnum Christi. ut intelligas Euagelicos futuros ministros in regno Christi, quando fiet illud Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gētes hæreditatem tuam, & possessionem tuam finesterę. reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

*Qui habet aurem, audiat quid.*] Locutus est spiritus Domini: ut quemadmodum tempore Eliæ debuerunt pij perseverare in prædicatione Eliæ contra scelus Iezabelis, & sacerdotum Baal; ita perseverarent qui erant ex Ecclesia Thyatirensi, abducere se ab his qui tyrannidē in Ecclesia affectabant, à Christo deficiebant ad tyrannos: cultū quem Christo & Deo patri tribuere debebāt, conuerterant in se, & in tyrannos. Quæ iam hos monuit, multò magis voluit esse monitos omnes pios, qui fuerunt toto tempore Papatus: ac maximè nos, qui suimus deducti in postremos conatus Satanæ in Papa, & in Inquisitoribus, & in tyrannis impiis, & in omnibus oppressis à malis spiritibus, certantis & ubique belligeratis contra suscipientes æternum Dei & Christi Iesu Euangeliū.

*Caput 3.*

*Et Angelo Ecclesia, quæ est Sardis, scribe: Quæ habet,*

*babet, &c.]* Hic quinta ætas describitur, quando tyrannis Papæa fuit confirmata, & roborata per Carolum magnum: & tunc paucissimi fuerūt qui non susciperent characterem bestiæ, ut dicetur capite 13. describitur & quintum tempus prædicationis Euangelicæ. ac tempore quidē Ioannis idem quodāmodo videtur fuisse in Sardis. idem, ut existimo, cùm Iosias rex deturbasset idololatriā apud Iudæos: pauci tunc fuerunt qui piūm cultum Deo præstarent, cùm propè omnes valde pīj sibi videarentur. sed dicamus de quinta ætate, quod tunc omnes propè sibi videbantur viui, esse in vero Dei cultu adorādo Papam, ac ceremoniis & cultu carnali se inuoluendo: erant verò mortui; quod illæ ætas fuerit tributa bestiis, ut vidimus cap. i. Gen. ita erat tunc homines mortui delictis & peccatis, sine Christo, sine spiritu, ac veluti rationis expertes: sine aliquo insigni ministro, qui verbum Dei proponeret, reuocaret homines ad piūm cultum. Verūm multò apertiūs loquitur Christus nobis, qui sumus in quinto tempore prædicationis, quando pugnatur in Gallia, & certi ministri contendūt ut primas obtineant in doctrina: certæ Ecclesiæ contendunt ut aliæ sibi pareant. interea doctrina exagitata non augetur, sed minuitur: spiritus qui fuit, reuocatur ad carnē. historia temporis est nota. multi disputationibus, & scriptis exagitant & perturbant Ecclesiæ, & credentes: quidam in certis Ecclesiæ voluerunt alios omnes esse hereticos, qui secum non sentirent, & facerent. alij Papæ, alij ecclesiæ Romanæ multis in locis visæ sunt. sibi tribuunt nomen Ecclesiæ veræ, & Ecclesia vera inuenta

uenta est ibi mortua; quod quotidie consiperetur prima prædicatio mori. Ait ergo nobis Christus, qui hoc quinto tempore sumus: Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. Christus ille, quem prædicatis, est is, qui requirit spiritum perennem in cultu suo, qui requirit prædicatores verbi constantes. vos vero spiritu cœpistis, & carne consumastis. ut progressus in prædicatione facere debuistis, languetis in ea, & paulatim eam sinitis ruere, quam extruxerant qui fuerunt ante vos constates prædicatores. moneo vos me habere septem spiritus Dei; atque dare, & auferre posse spiritum, quando voluero; qui in omnibus ætatibus mundi dedi ego spiritum Dei omnibus, qui illius fuerunt participes. nisi ad ea quæ Spiritus sunt vos conuerteritis, priuabo vos omnino Dei spiritu. quod ne faciam, precantur qui sapiunt, & dicunt: Ei Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. in omnibus ætatibus mundi Spiritum quæsiui in omni cultu Deo prestito siue in Lege, siue in Euangelio. moneo vos me habere septem Angelos. hoc est, omnes ministri verbi, qui fuerunt omnibus ætatibus mundi, à me fuisse constitutos; eosque constantes optauit. vos si remittitis de prima prædicatione, & de diligentia, & pietate, potestatem habeo alios in locum vestri constituendi.

*Scio opera tua.] Tu Papista, tu qui profiteris meū Euāgelium, & antè, & nunc, & omni tempore adsum, & video quid occulte, quid palam à vobis agatur. nouit Christus omnia, & punit; ac iudicium incipit à domo Dei. Habet nomen, quod vinas. Fama est esse apud vos cultum Dei, & prædicationē;*

& ic-

& iccirco vos ad æternam meam vitam destinatos.  
*Et mortuus es.* Res aliter se habet in multis. cultus  
 meus non est apud vos : facitis vos Christos : vos,  
 non autem me, prædicatis . dixi vobis me habere  
 septem spiritus Dei: in mea prædicatione omnium  
 ætatum semper prædicatum esse cultum spiritus,  
 & non carnem . dixi vobis me habere septem An-  
 gelos; qui fuerunt ministri verbi : me, inquam, &  
 non se, prædicarunt , vt vos facitis. De Cœna Do-  
 mini , in qua spiritus Christi similiter sumitur, &  
 inde efficiuntur eius corpus, combibiti omnes, vt ait  
 Paulus , per Spiritum sanctum in corpus Christi:  
 vt vivamus Spiritu, & seruiamus ac pareamus ca-  
 piti nostro; alibi sæpè dictum est, & Psal. 19. de se-  
 pteno Spiritu, de quo loquitur hic Christus. In his  
 verbis filij Dei erit attendendum iudicium eius per-  
 actum in Gallia in cœde Euangelicorum , de qua  
 dictum est cap. 9. Ezech. attendendum erit dein-  
 ceps in omnibus, quos amouebit Christus ne per-  
 ueniant ad suum regnum, in quod non sint perue-  
 turi male in suo munere se gerentes , & in Chri-  
 stum, & in Spiritum sanctum peccantes.

*Esto vigilans.* in his quæ pertinent ad Cœnam  
 Dominicam; & ne quis faciat se Christum. Et con-  
 firmare reliqua quæ moritura erant . Prædicatio quo-  
 que doctrinæ Euangelicæ de Iustificatione antè  
 prædicata exagitatur varie: imagines retinentur:  
 ceremoniæ & mores Papistici reuocatūr paulatim:  
 quæ fuerunt priorum Patrum, siue Apostolorum,  
 siue nunc instaurantium prædicationem Apostoli-  
 cam, intermoriuntur; vt caritatem præteream, quæ  
 nimium frigescit. unde fit yt non inueniam opera

*una plena coram Deo meo.* Et hæc quidem non de omnibus, sed de multis dicta sunt. *In mente erga habe qualiter acceperis, & audieris.* Recordamini prædicatores, qui perturbatis nunc Ecclesias, & conscientias credentium, ac reuocatis Papatum; quam doctrinam meam acceperitis antè per meos prædicatores, & quid audieritis per eosdem. *Et seruia.* seruate quæ accepistis, & audiuitis ab illis. *Et age pœnitentiam.* quod ab illorum prædicatione, vita, & Spiritu recesseritis. *Si ergo non vigilaueris.* Minatur Christus se pœnam in eos allaturum cùm non putabunt. Vidi mus iam Christum nunc Gallos, nunc Hispanos, nunc Venetos subito adoriri. Vidi mus cædes vniuersales: vidi mus & ex principibus, & ex populo multos venisse in periculum, in manus hostium: nunc ignem, nunc gladium, nunc pestem sustulisse è medio repente securos, & sibi omnia secunda pollicentes. maiora imminent in magna perturbatione, in qua omnes inuolueruntur. *Habes pauca nomina in Sardis.* hoc est, hoc tempore dum perturbationes in Gallia, & Belgico vigent, sunt tamen aliqui qui non recesserūt à prædicatione, à studio religionis rectè sentientes, & operantes: ut pauci fuerunt ætate quinta, qui non fecerunt cum Papa. *Qui vicerit, sic vestietur.* qui persevererabūt in doctrina, in vita, in Spiritu, iustificabuntur à Christo, non delebuntur de libro viæ: non morientur in subitis cædibus, vt eueniet his qui defecerunt: persistent in regno Dei defensi à Christo. *Qui habet aurem.* Monemur vt hæc diligenter expendātur, quæ loquitur Spiritus sanctus & Sardis, & Papistis, qui haec tenus fuerunt, & no-

bis nunc expectatibus magnam perturbationem;  
& iudicium.

*Et Angelo Philadelphiensis Ecclesia scribe: Hac dicit Sanctus.* Sermo est ad Philadelphientes, hoc est, ad illos paucos, qui paulò antè dicti sunt non in quinauisse vestimenta sua, non defecisse à doctrina suscepta, à vita Euangelica non recessisse, nec à spiritu piorum Patrum. & mirum videtur, quod loquatur h̄c tantum ad eos qui persistunt in suo cultu, non arguat reliquos qui defecerunt, qui perperam egerunt, ut vidimus in superioribus Ecclesiis. dicam quod videtur. In cæde Gallicana anno 1572. 24. Augusti, visus est Christus iudiciū suum satis insigniter ostendisse, præsertim noua stella in cælo visa illud attenstante. vnde de illa cæde loquens Christus cap. 1. Amos, ait: Super tribus sceleribus, super quatuor non conuertam. quasi cœpto iudicio suo videatur iam non disceptare causam; sed iudiciū peragere. vnde non alioquitur ultrā malos tanquam iam iudicatos, alioquitur verò suos, quibus præstaturus sit promissa in diuino verbo. Ergo sexta ætate noui Prophetæ mittuntur, qui nuntient tota illa ætate expectandum esse Dominum, qui allaturus sit breui pœnas, & præmia. item sexto tempore à Prophetis antiquis magna perturbatio ostenditur adesse; quam expectantes pij, parant se ut ex illa possint euadere, ac obtainere diuinæ promissiones. Vnde sexto tempore post cædem illam Gallicanam visa est multitudo ex omni genere hominum esse talis, qualis describitur cap. 7. Micheæ, & alibi in aliis Prophetis. vt Deus visus sit accensus ira, ac para-

paratus tantummodo ad pœnas sumēdas de peccatoribus, & perditis hominibus, quos à se reiecerit. solū loquatur his qui perseuerarunt, vt sui essent. *Hec dicit Sanctus.* Mihi ergo videtur Christus reuocare suis in memoriā illa quæ promisit in Prophetis, quando liberauit populum suum à seruitute Nabuchodonozoris: atque illa cōfirmauit Ecclesiæ per nouos Prophetas, vt Iochimum, & alios, vsque ad Lutherum: vt parati sint omnes ad illa nunc suscipienda post perturbationem magnam peractam. Sanctus, & Verax dicitur, qui nunc hīc, & in Prophetis loquitur Christus: vt firma promissio habeatur à nobis, qui nunc dum fiunt vniuersales cædes, dubitamus, hæsitamus, omnia extimescimus: quia Sanctus, qui firmus est, & non mutatur; quiq[ue] nō potest mentiri, promittit. ergo idem est quod promittitur, ac si illud promissum esset præstitum. liberabitur omnino à Papatu, ac liberi in regno Christi erimus. promittit deinde qui habet clauē David: is qui potest, cui data est omnis potestas in cælo & in terra: qui amo uet reges, & constituit; euertit, & erigit regna: contra quem nec Papistica, nec Satanica vis quicquam potest; nec cælum, nec terra, nec supera, nec infera. *Nou i opera tua.* Multi tempore Albigeriorum mutarunt vitam, & post vsque ad prædicationem: item in fine, seu circa finem ætatis sextæ, & in ingressu in septimam: ad quam aperiet aditum ampliorem magna perturbatio: spero per concilium Galliarum, & alia deinceps magnam futuram emendationem in pluribus morum, ac vitæ; doctrinamq[ue] puriorē

pariter futuram . & hæc tamen extabunt in mul-  
tis piis dum exorietur magna perturbatio . *Ecce  
dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest clau-  
dere.* His qui perstiterint esse Christi, paratus est  
aditus ad victoriam, ad salutem, ad obtainendum  
regnum Christi , ut regnent cum Christo . nulla  
creatura est nec in cælo , nec in terra , quæ possit  
impedire quod Deus statuit, quod Christus agit.  
ergo ostium est apertum. non secus obtenturi su-  
mus regnum Christi , ac si iam illud obtainuerimus,  
ac in illud ingressi simus. *Quia exiguum habes po-  
tentiam.* Quam exiguum habuerint potentiam  
Euangelici , quando excitata fuerit magna per-  
turbatio, historia docere poterit : item quot col-  
lectæ opes Papistarū contra ipsos . tunc Christus  
sua magna potētia aperiet nobis aditum ad suum  
regnum, inuitis omnibus tyrannis : atque subji-  
cientur Euangelicis vēturi illorum regna . & hīc  
significatur illa contentio quæ extitit de nomine  
Catholici, quod sibi vendicat Papistæ, dum sunt  
Antibaptiste, & oppugnatores verè Catholicorū.  
*Quoniam seruasti verbum tolerantiae meæ.* in cultu  
Christi permanserunt, sustinendo afflictiones, &  
& iudicium Domini. *Et ego seruabo te ab hora  
tentationis.* A perturbatione illa magna liberabit  
Christus suos, quam inducit super vniuersam ter-  
ram, vt omnes credētes probentur, & non creden-  
tes iudicentur. & hīc apparet de quonam tem-  
pore sit sermo, atque propriam esse allatam inter-  
pretationem.

*Ecce venio citò; tene quod habes, & nemo accipiat  
coronam tuam.* Quāuis Christus videatur nobis  
tarda,

tardare, dum tota ætate sexta non potuerunt fideles emergere: & nunc dum versamur in tempestate bellica, in contentioue infinita digladiamur multis modis, pollicetur tamen se venturū Christus, ac liberaturum nos à tot malis. interea monemur ut persistamus in fide, & caritatis opere; in doctrina Euangelica susceptra; non plura quaeramus, quām quæ per prædicationem Euangelicam repetitam sunt nobis data: ne ab ea declinemus, vt factum est antè à multis, qui à Deo sunt reieoti. aliis dedit quæ ipfi habuerunt; vt dictum est de cādelabro translato. Cap. 3. Osea similiter datur hordeum, & argentum. iubemur his expectare secundum aduētum Domini, locus ille videatur, & cum hoc cōferatur. Illud citò non est prætereundū, quin aduertamus quæ de eo dicta sunt in Epistola 2. ad Thes. dum loquitur hīc Christus nobis, quasi sit hoc tēpore sextæ ætatis inter nos, & clamet se citò allaturum magnam tempestatē, & iudicium; nec hoc dilaturum vsque ad postremam tubam.

*Qui vicerit, faciam illum columnam in tēplo Dei. Qui perseverauerit vsque in finem sustinere certamē, nec defecerit, erit in innouata Ecclesia tanquam columnā; persistet in ea, nec dimouebitur, vt amotus fuerit Papa; vt multi apostasiam facientes ab Euangēlio. Et scribam super eum nomen Dei mei. Erit filius Dei in regno suo: erit innouatus in Ecclesia innouata: erit in corpore Christi constabilius. de nomine nouo Christi de quo fit mētio in Prophetis; ac de nouo nomine quo appellabimur in innouata Ecclesia, tempus aperiet*

hæc, & alia. in fine libri agitur de Ecclesia, quæ  
descenderit è cælo. quæ ibi dicuntur, ea obtine-  
bunt, qui perducentur ad illud tempus victores  
Antichristi, & afflictionum. *Qui habet aurem.* Ad  
nos maximè pertinet hæc audire, quæ Spiritus  
sanctus loquitur fidelibus, qui erūt tempore ma-  
gnæ perturbationis.

*Et Angelo Laodicensum ecclesia scribe: Hac dicit Amen.* Hic describitur septimum tempus repeti-  
tæ prædicationis Euangelicæ, quando peracto iu-  
dicio insigni ad vallem Iosaphat, de quo est dictu  
in Ioël, præstabuntur promissa in tota Prophetia:  
fiet distincțio inter verè pios, & simulatos, iudi-  
cio Dei adhuc singula loca peruadente. verè pij  
obtinebunt palmam, & præmia promissa: alij ej-  
cientur. Interponit Ioannes tanquam parenthe-  
sini Amen, ut veritas ostendatur omnis Proph-  
etiæ iam adduci, & compleri: verè fieri, ac præstari  
omnia promissa. & hoc maximè vult Deus, ut  
attendamus, & ut nos quoq; testemur. Sequitur:  
*Testis fidelis, & verax, principium creature Dei.*  
Ut intelligamus illud Amen, dum attendimus  
quid nobis signetur in his tribus attributis. nam  
in Teste fidei cognosco Christum prædicare nūc  
secundò suum Euangeliū, atque aduenisse nūc  
secundò (ut promisit) & præstare, quæ locutus est  
nūc per suos prædicatores, & ministros: ut in Te-  
ste fidei intelligamus quicquid locutus est Chri-  
stus in suo secundo aduentu, dum autem dicitur  
Verax, intelligo prædicationem sui primi aduen-  
tus, & quæcumque ipse nuntiavit futura, & Apo-  
stoli, & alij usque ad tempus Lutheri. quæ omnia  
euene-

euenerint, ut nuntiauit, quemadmodum & vera  
 fuit doctrina sua Euangelica. Quod autem dica-  
 tur Principium creaturæ Dei, indicari videtur pri-  
 mū, ipsum esse primum, & nouissimum, ut antè  
 dictum est, omnes in Ecclesia fuisse in ipso ab ini-  
 tio temporis ad finem temporis : deinde veritas  
 quoque in ipso signatur verbi Dei denuntiati ab  
 initio, quod ipse sit initium creaturæ Dei. initio  
 in creaturis denuntiata sunt omnia futura, ut vi-  
 dimus capite primo Genesis: atq; deinceps in to-  
 to Mose, & in Prophetis. nam in rebus creatis, &  
 effectis; in hominibus, ac in rebus aliis describū-  
 tur res futuræ postremorum temporū. atque cum  
 Christus sit principium; atque, ut ait Paulus, pri-  
 mogenitus omnis creaturæ, quæ in rebus creatis  
 denuntiata sunt, in ipso sunt denūtiata. seu ut ipse  
 est principium omnis creaturæ; ita est denuntia-  
 tor ab initio omniū, quæ denuntiata sunt In crea-  
 turis. voluit Ioannes dicere, Christum prædicasse  
 veram doctrinā in utroque aduentu. vera denun-  
 tiasse in primo, & in secundo: & item vera denun-  
 tiasse in Mose, & in omnibus Prophetis, quæ nūc  
 in euentis apparebunt omnia vera. ac dum hoc  
 postremum dicitur, simul significatur Christus  
 Dei filius, in quo sint creata omnia, & omnes fi-  
 deles in eius Ecclesia. atque simul ratio, quæ est in  
 Mose, & Prophetis nūtiandi futura in rebus crea-  
 tis, innuitur. & hēc interpretatio videtur Prophe-  
 tica. Euangelicus prædicator poterit recte dicere  
 appellatum Christum Testem, quod ea nūtiarit  
 quæ locutus sit Pater: Fidelem, quod nihil aliter  
 renuntiarit, quam quæ pronūtiata, & ut pronun-  
 tiata

tiata fuerunt à Patre , item dictum Christum testimoniū propter seipsum , quod filius Dei pronuntiet , & testetur ipse , qui est filius Dei de iudicio futuro . fidelem , qui nil secus quam res extiterint , & futuræ sint loquatur , & locutus sit . item dici testimoniū , & fidelem propter certum euentum rerū , quæ non possunt non euenire , postquam ipse dixit ; nec aliter , quam dixit , possumus euenire . Hæc iam omnia conspicientur ingredientibus nobis in tempus septimum , quæ nuntiauit Filius Dei in Mose , & in omnibus Prophetis : quæ in Euangeliō , in Apostolis , & in horum discipulis : quæ nūc in secundo suo aduentu : conspicientur quidem quando incipiet regnum Christi constitui in inferiori Germania , Gallia , & Hispania ; & per Concilium cogi , & constitui Ecclesia . deinde quādo eadem fient in tota Italia , quando in Germania superiori , ac in toto populo Christiano . tunc patet qui creauit cælum , & terram , & omnia in eis : qui creauit in se primos parentes , ac omnes omnium ætatum fideles ; in seipsum assumere omnes ; ut ipse conspiciatur tandem principium creature Dei : ipse trahere ad se , & in se omnes in toto mundo in se creatos , ut sui sumus omnes , ut sua , & in se sunt omnia .

*Scio opera tua , quia neq; frigidus es . Adducatur Christus suos in suam Ecclesiam , & suum regnum , & præstaturus quæ promisit omnibus fidelibus omnium ætatum , quia adest iudex & Dominus : feligit primū suos , & separat à non suis . non sui autem intelligendi sunt , non solum Papistæ & impij , sed & illi quibus dicet , Nescio*

vos, & tales. nec est hic in verbis difficultas. posse quis reperere ab initio, quomodo homines Post acceptum verbum Dei, & præceptum, facti sint inertiores, & languidiores in studio ac opere verbi Dei: quæ oportuit, minus curarint: otium, somnū, commoda, & voluptates secuti sunt. Ego nunc pretermittam id facere, quod tamen erit faciendum per ministros verbi in Ecclesia: ut percurrent omnes ætates; ostendant quomodo post modicum tempus filij Adami statim à monitis cultūq; Deirecesserint, quod facit Daniel cap. 9. Baruch. 2. atque liber Deuteronomij comparatus est ad hanc rem, ut veterus excitetur, & excutiatur à nobis, ea agamus quæ in hoc libro præcipiuntur. aliter viuendum est deinceps, quām haec tenus factum sit a nobis: adeo tempus ut quisque surgat è somno, & ardenter agat quæ sunt ardoris spiritus Domini.

*Qui dicas, Dives sum, & ditatus sum.* Dum erūt qui imitabuntur veternum superiorum ætatum; imitabuntur Ecclesiasticos Romæos, qui adepta cognitione Christi, & aucti bonis terrenis, putarunt se beatos, quando relinquentes studium diuini verbi, & opus, facti sunt miseri: monentur ne illos imitentur: quia vult Christus suos semper esse erectos spiritu, & fernentes in suo opere. Duplex genus diuinitarum habebunt pīj à Domino in Ecclesia libera, & innouata, libertati à tyrannis erunt ipsi domini, & obtinebunt statum qui fuit impiorum, & tyranorum. ut reges, & ministri, qui erunt, sint deinceps Euangelici: sub quorum ductu & administratione quisque sua obtineat, &

concupita pace fruatur. autem etiam erunt diuitiis,  
ac thesauris cognitionis Dei: quia Euangelium  
habebunt planum, Prophetarum ænigmata ex-  
plicata, Legis mysteria patefacta. & tunc nulla re-  
se egere putabunt, vt putarunt olim Ecclesiastici  
Romæ, & aliqui etiam Euangelium profitentes.  
at dum ardens caritas non adest erga Deum, erga  
Ecclesiam, erga singulos in ea: dum viuus non erit  
cultus Dei in nobis, dum non feruentes sumus in  
opere, erimus tanquam stipes exsiccatus adherens  
quidem solo pingui; sed succum nullum inde tra-  
hens, nec virgulta, nec fructus edens: vnde eri-  
mus potius pauperes, quam diuites; miseri, quam  
beati: miseri, inquam, in hoc mundo, & misera-  
biles in futuro. erimus cœci, & nudi: cœci, quia  
spiritu non videbimus spiritualia dona; erimus  
litera; erimus caro, non spiritus: non sentiemus  
dona, & vitam quæ est in Christo. nudi, quia sine  
cultu spirituali viuo nulla erit nobis vestis ex  
byssino, qua recipi quisque debeat & admitti ad  
cœnā Agni. *Suadeo tibi emere à me aurū ignitum.*  
Hic excitat Christus veternum nostrum. vult ut  
postquam liberati erimus à tyrannis, erimus a-  
depti suum regnum, & cognitionem rerum diui-  
narum; atque fruemur otio, & commodis vita  
in pace nobis à se parta; ne imitemur, vt dicebam,  
superiorum temporū homines: qui alaci, & ma-  
gno animo suscepérunt verbum Dei, & gratiam: de-  
inde languidores semper facti sunt in studio, &  
opere diuini cultus. vult Christus, vt initiò fuimus  
ardentes in suscipiendo verbo Dei, ac eius donis;  
ita perseveremus in eodē ardenti spiritu contem-  
platī

plari diuina, & amare se, ac Deum patrem: operari quæ sunt salutis nostræ semper. Hæc erunt atten-denda omnibus in regno Christi dum viuēt in hoc mundo: erunt hæc petenda à Christo, vt in eo vita viuant, vt in æternum victuri sint, vt æternos re-tineant thesauros in cælo: quòd hic sit vera ratio cogendi diuitias, & perueniendi ad vitam beatam.

*Et vestimentis albis induaris, vt non app. Fides hīc & iustitia Christi viua, agens, & efficiens in-dicatur: qua Christo induti secundūm Christum viuamus, ac conuersatio nostra sit in cælis, tametsi pedibus terram calcamus. Et collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Spiritus Domini est petendus, su-perbia humana est calcanda; & quid Deus loqua-tur in suis Scripturis, videndum, cognoscendum, & amplectendum. si quæ suadent sensus, si quæ prudentia imprudens humana, sequemur, vt fece-runt prudentes huius mundi antè, caligantes in-ueniuntur oculi nostri in his quæ sunt Dei, & eter-næ vite. quare spiritu Dei viuo amouenda est om-nis caligo nostræ mētis, atque solūm intueri oportet quæ sunt Dei, & quæ semper Deus velit: idque agere viuo Dei spiritu, non quadam mortua cog-i-tatione, & sensu. Ego quoscunque amo, corrigo & caſtigo. Ut hæc quæ dicta sunt semper fierent, caſtigauit & correxit Christus sēpè suos, vt historia docet, & hoc nostro tempore vidimus. & quia id nostra causa fecit, debuimus semper sustinuisse correctionem, & disciplinam Domini & fortiter, & libenter, atque rediisse in viam à qua semel fue-rit aberratum, vt essemus aurum ignitum & pro-batum apud Deum. Ne verò vltrà percutiendi si-mus, audiemus Christum, qui ait: Emulare ergo,*

ac respisce. atque studebimus ut ardentes semper simus in cultu Dei, in eius amore, ac caritate: ut alij erga eū futuri simus, quām hactenus fuerimus: pœnitentia corrigamus statim quicquid fuerit à nobis admissum, & commissum. *Ego sto ad ostium.* est secundus aduentus Domini, adest Christus qui suscipiat omnes in regnum suum tales, quales dimisimus, ardentes semper deinceps in Dei cultu. ad quem cùm inuitet nunc omnes cupidos beatæ vitae, etiam superioribus temporibus fuit paratus semper, ut pariter omnes ad sè accedentes susciperet. *Et cœnabo cum illo.* Hic mihi videtur præstari id quod dicebat Christus Discipulis: Non bibam de hoc fructu vitis, donec bibam illud in regno Dei: non edam de hoc Paschate vobiscum, donec compleatur in regno Dei. tunc videtur futurus finis persecutionum, & afflictionum his qui viuent in Christo: ut deinceps in ipso, & cum ipso sedeant in throno eius. *Qui habet aures.* Hæc, & omnia quæ de his septem Ecclesiis dicta sunt, cùm fuerint omnibus ætatibus & temporibus fidelibus omnibus animaduertenda, tum nos debemus habere illa ante oculos, & singulis horis mente versari. adest enim iam tempus, ut ingrādiamur ianuam domus Christi, ac regni eius: cum eo cœnemus, & in eius throno sedeamus: aut extrudamur extra eius Ecclesiam, & miserè pereamus. attendendum quæ est quod dicitur huic postremæ Ecclesiæ, dici omnibus toto cursu temporum futuris. puniturus est enim semper Christus non solum peccata, sed & veternum. attendere debent & qui ardentes erunt in his quæ Dei sunt, adesse tempus cœnæ, ut sciant

Sciānt se migraturos in æternam vitam per cursis temporibus mundi.

*Argumentum in Caput 4.*

Ecclesia, & regnū futurū vna visione ostēditur.

Quoniam opera Christi in sua Ecclesia ita ha-  
stenus deduximus, ut cognosceremus ipsum æter-  
num Sacerdotem, & Dominum in ea: cognosce-  
remus prædicationem repetitam in suo secundo  
aduentu fuisse eandem, quam locutus fuit in car-  
ne, & quæ continebatur in Lege in mysterio: item  
progressum illius prædicationis in Ecclesiis perse-  
cuti sumus ab initio vsque ad Ecclesiam innouatā  
constitutam in populo Christiano: vbi simul pro-  
gressum temporum Ecclesiarum vidimus ab Apo-  
stolis vsque ad eandem innouatam Ecclesiam: atq;  
etiam à Iacobo patriarcha vsque ad Christum; se-  
quitur iam vt hoc quarto capite contemplemur  
opus constitutæ Ecclesiæ innouatæ post Antichri-  
stum, & alios aduersarios ab Ecclesia electos & ex-  
pulsos: atque pariter regnum Dei in toto populo  
Christiano constitutum quæ quidem constitutio  
regni Dei, & Ecclesiæ perficietur per Concilium  
membrorum Christi cum ipso capite, non tyran-  
norum, ac filiorum Satanæ. Quod regnum Dei  
constitutum, & Ecclesia constituta in hac secun-  
da visione huius quarti capituli proponitur nobis  
ante oculos à Ioanne: in qua non solū cognoscimus  
quid futurum sit, sed etiam intelligimus  
quid agere debeant, qui tum Ecclesiam Christi  
obtinebunt. ut illa, & regnum Dei secundūm suā  
voluntatem, ac æternum decretum existat semper  
& administretur, atq; omnes in eo viuāt, & agāt.

*Post*

*Post hac vidi.* Temporum videtur seruandus  
ordo , vt intelligamus , postquam ad septimum  
tempus peruentum fuerit prædicationis Euange-  
licæ in secundo aduentu Domini repetitæ , statim  
consecuturum regnum Dei , & Ecclesiam consti-  
tutam , & ad normam ecclesiæ Apostolicæ inno-  
uatam : quemadmodum & Ioānes ait , postquam  
scripsit de septem Ecclesiis , se vidisse quę hoc ca-  
pite , & sequenti narrantur .

*Ecce ostium apertum in cælo.* Status omniū Ec-  
clesiarum qui fuit ab Abrahamo , seu etiam ab  
Adamo vsque ad innouatam Ecclesiam , aperie-  
tur in Concilio descriptus in diuinis Scripturis:  
quod Cōcilium mihi videtur significari per ostiū  
apertum . quod in cælo signetur Ecclesia , vidimus  
cap . i . Gen . & alibi . & quoniam absconditū fuit  
nobis consilium Dei hactenus eorum quæ actu-  
rus erat omnibus temporibus in Ecclesia sua , po-  
nitur nunc in Ecclesia ostium apertum : hoc est ,  
Concilium illud quod dixi , per quod cognosce-  
tur consilium Dei quod fuerit absconditum à se-  
culis , & mysterio consignatum in diuinis literis .  
Et quia tota diuina Scriptura appellatur quoque  
**Cælum** , per eius ostium significabitur ratio ipsa  
Prophetica aperta , in qua futura fuetunt consi-  
gnata , & diuina mysteria coniecta . Si verò in cæ-  
lo intelligas supernam Dei sedem , vbi sit sedes ,  
& qui sedeat , tunc eternum Dei regnum cogno-  
sces , atque eius eternum consilium : atque alia al-  
tiora erunt tibi contemplanda . Nos autem histo-  
riam persequentes Ecclesiæ in diuinis literis , illa  
aliis alio tempore contemplanda relinquimus :  
atque

atque regnum Dei in terris , & Ecclesiam constitutam h̄ic recognoscimus : quæ fieri césemus per Concilium , in quo aperientur quæ dixi ; & statuerunt quæ in hac visione erunt significata , & demonstrata .

*Et vox prima, quam audiri tanquam tuba. Quæ vox Christi locuta est in Apostolis , imò verò in Mose , & Prophetis , eadem vna perpetuò locuta est in omnibus ministris diuini verbi . item quæ locutus est sanctus Israël ab initio , quæ in ipso Adamo nuntiauit , quæ in ipsa fabrica mundi consignauit futura ; quæ literis , & voce multorum à se efficienda prædixit ; nunc in effectiōnem , & perfectionem reuocat , & adducit . & h̄ic videntur significari rotę Ezechieliis : in quibus principium cum fine coniungatur ; ostendatur idem esse factū in fine , quod in principio sit denuntiatum : id perfectum in fine , quod denūtiatum initio . siue etiam , vt ait Salomon , quod factum fuit , recurrat in id quod fuit efficiendum , & fiat . Ergo h̄ic cognoscamus quæ in constitutione mundo , & deinceps locutus est filius Dei , nunc perfecisse , & præstítisse .*

*Ascende huc , & ostendam tibi quæ oportet fieri post h̄ac . Dum dicitur , Ascende huc ; docemur nos non posse intelligere mysteria diuina vi mētis , ingenij , ac prudentiæ humanæ : sed mentem nostram illustrari oportere à Deo ipso , vt quæ Dei sunt percipiāt . quod Deus multis modis nos docuit . primùm verbis , quæ locutus est in ministris suis : deinde signis multis datis in Lege , & in Prophetis : tum trahendo aliquos ad se ē seruis suis , vt factū fuit in Mose , Paulo , & aliis . Ergo cognoscere debemus*

bemus spiritum Dei spirare vbi vult, tametsi non sentiatur vnde veniat. vnde dicitur : *Et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.* Ordo cognoscendus est, vt significatum est in verbis Ioannis, cùm dixit: Post hæc vidi . qui ordo est, vt post septimum illud tempus, quod dixi, prædicationis in secundo aduentu Domini, sequatur constitutio regni Dei per Concilia. Verùm quoniam & historia seruanda est de septem Ecclesiis, quæ fuerunt tempore Ioannis in Asia , & iccirco temporis quod post illas consequi debuit , aliis ordo erit aduentus: atque ita secundūm Prophetiam duo tempora oportebit intueri, vt prætermittant tempora generatim omnia , quibus hoc regnū apud Deū semper fuit. duo igitur tempora nunc tantūm intuentes, si respiciamus ad historiam septem Ecclesiarum , quæ fuerunt tempore Ioannis; quæ hic fieri oportuisse ostensa sunt Ioanni post illas (vt mihi quidem videtur) referenda erunt ad tempus Sylvestri episcopi Romani. quo quidem tempore debuerūt Christiani , & Ecclesiastici constituisse Ecclesiam, & regnum Christi , vt significatum est Ioanni in hac visione, & in Prophetis. Verùm cùm vidissent illi arborem quæ erat in medio paradisi, & fructum eius pulchrum visu , & gustu delectabile: hoc est, decus regium, & opes regias ; se reges constituerunt: & regem Christum, quem dum Ecclesia martyrum pepererat , deuorare voluerunt. qui condescendens cælum dedit locum Antichristo. atque ita Christi regnum dilatum est usque ad hæc tempora: in quibus pugnatur cum Antichristo, & tyrannis: vt his expulsis regnet ipse solus cum Deo patre:

patre: & qui reges erunt , ministri sint supremi regis. quod regnum Christi futurum describit nunc Ioannes: quod debuit esse tempore Sylvestri , & Constantini. Videbimus ergo illud nunc in visione Ioannis , quod statim conspicietur à toto mundo in Ecclesia, & populo Christiano. quando peruenierimus ad tempus septimum, incipiet per concilium constitui Ecclesia, & regnum Dei.

*Et fui in spiritu.* Fuit & in spiritu, quando superiorem visionem vidit, scilicet, extra se raptus consopitis sensibus corporeis, & suo spiritu correpto à diuino spiritu. *Et ecce sedes posita erat in cælo.* Altiora relinquemus, ac simpliciter quæ narrantur exponemus, quantum poterimus historiam aperientes. quamuis qui sedet in maiestate prior sese oculis offerat; & potuisset Propheta dicere: Vidi, & ecce qui sedebat in solio, vt ait Isaías cap. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum ; tamen hic priùs dicitur : *Et ecce sedes :* vt indicetur post iudicium Dei contra Antichristum & tyrannos, manisse Ecclesiam sine dominatore, qui oculis consiperetur, aut declaratus publicè fuisset decreto , & voce hominū. vt scilicet vigintiquatuor Seniores declararent, & aperirent, quisnam summus dominator residere deberet in populo Christiano , & in Ecclesia signata in cælo. *Et supra sedem sedens.* Hic est Deus noster: hic est regnū Dei: hic est regnum, de quo fit mentio, quod allaturus sit nobis Christus in terris etiam antequā deducamur in cælum: est hic regnum, & rex, quem expectarunt Hebræi, ignari aduētus Domini primi. de quo regno ostendendo non est vt plura dicam, & loca multa Pro-

phetatum vnum in locum conducam; illud addemus tantum, hoc esse regnum de quo rogabant Apostoli Christum, cum dicerent: Domine, quando restitues regnum Israel? rex quidem erat tunc paratus, ut ante semper fuit, & sedes fuit posita tempore Sylvestri, nunc tandem sedebit qui adducet regnum Israëliticum. *Et qui sedebat similis erat aspectu lapidis Iaspidi, & Sardo.* Quisnam sit qui sedeat, aperitur infrà, ubi dicitur: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens: qui erat, & qui est, & qui venturus est, viuens in secula seculorum. item in fine quinti capituli, datur honor, gloria, & imperium viuenti in secula seculorum, sedenti in throno, & Agno. hæc aperiunt nobis quinam sit is qui sedet in throno, Deus scilicet pater omnium, & filius eius Iesus Christus: ut etiam in fine tertij capituli dicebatur Christus sedere cum Patre in throno eius. sed videndum est, quare dixerit Ioannes loco Dei patris & Filii eius similem aspectui lapidi Iaspidi, & Sardo. ego existimo id esse factum, ut in rubore signetur Pater, & eius ira in iudicando mundum, & puniendo: atque proponatur illud tempus, & iudicium, de quo cap. 19. dicitur ipse calcare torculari vini furoris sui, & iræ Dei omnipotentis. in lapide, in quo est crassior viriditas, fortè signatur Christus Deus & homo, sanctificatio credentium. Itaque proponitur nobis Deus tempore quo iudicauit mundum, saluavit credentes, & se diligentes: in ignem aeternum demerxit impios suos aduersarios. & ut confirmetur hoc iudicium, addit Ioannes: *Et iris erat in circuitu sedis.* in qua sede viridi monemur iudicium Dei

ante-

antecessisse, ac deinceps dum puniturum quidam  
peccantes. quia iam sedebit semper posthac in hoc  
solio: hoc est, non permitte ultrà, ut antè tempore  
seculi Esau, satanicè viuere. quia peccata publica  
punitur à magistratu, occulta ab ipso Deo. Ve-  
rūm apparebit nobis iris; quia nō similiter inun-  
datione sanguinis puniet mundum, vt nunc fe-  
cit, & vt fecerat tempore Noë inundatione aquarū,  
inuoluens omnes homines præter octo animas.  
vt historiam sequamur, hoc omnino cognoscen-  
dum est. est deinde & illud aduertendum, quod  
iam cognoscetur opus Patris, opus Filij, opus Spi-  
ritus sancti in operibus trium statuum distinctis.  
quia itis dicitur similis aspectui Smaragdino. in  
Smaragdo existimo signari hīc Spiritum sanctū,  
qui ostendat nobis non solum Deum Spiritum,  
Patrem esse Spiritum, & Filium Dei Spiritum,  
Christum Iesum natum nobis ex Spiritu sancto,  
& ipsum Spiritum sanctū manare à Patre, & Fi-  
lio: ac iam tandem ex opere ostendere se nobis,  
& Patrem, & Filium; sed etiam sanctificaturum  
Ecclesiam credentium, vt sint membra Christi, &  
vt filiorum Dei vitam ducant: cognoscant Patrem,  
& Dominum nostrum Iesum Christum, illosque  
in se habeant: de qua re agitur capite postremo  
Apocalypsis. Et in circuitu sedis sedilia viginti  
quatuor. Quod de Throno Dei diximus, idem di-  
camus de sedibus viginti quatuor, quando bellū  
exarserit, & consumperit Papatum, impios prin-  
cipes, & magistratus; erit aliquo tempore popu-  
lus Christianus sine magistratu cōstituto in ipso.  
vt cap. 8. dicitur silentium factum in cælo media-

ferè hora. cogentur tunc prædicatores, & pij viri  
constituent regnum Dei, & Ecclesiam innouatā.  
horum sedilia vīla sunt posita: quia ab initio cō-  
stituti fuerunt, qui Ecclesiam, & regnum Christi  
essent Christo in ipsis operante adducturi.

*Et super thronos vigintiquatuor Seniores sedentes.*  
Hi sunt qui cogētur in vnum Concilium, & con-  
stituent regnum Dei: declarabunt regem regum,  
& Dominum Iesum Christum nostrū, cui omnis  
laus, honor, & imperium dandū sit posthac sem-  
per: quiq; solus cum Deo patre sit adorandus.  
per hos vigintiquatuor intelligo omnes in Con-  
cilio, qui tenebunt doctrinam Euangelicam, &  
Propheticam: qui nouerint totam prædicationem  
Euangelicam antè prædicatā, simulque illis aper-  
ta fuit Prophetia. vt in sacra historia omniū di-  
uinarum scripturarum possint ostēdere, quæ antè  
iam ab initio euenerunt, & quæ iam fiunt, & quæ  
futura sunt. atque hinc cognoscemus, vt disputat  
Isaias cap. 40, 41, 43, & 44, Papistas & Inquisito-  
res non potuisse iudicare de quæstionibus, & de  
vita Christiana : quia non potuerunt statuere de  
verbo Dei, non intelligentes Prophetas: siue non  
potuerunt iudicare hoc tempore iudicij Domini,  
quinam essent cōstituendi ad dexterā, & quinam  
ad sinistram. Et fuerunt iudices constituti à Sata-  
na, qui opposuit se semper Christo: quiq; per suos  
ministros conat<sup>o</sup> est, quos prædicatio ponebat ad  
dexterā, trahere ipse vi ad sinistrā ; & quos illa ad  
sinistrā, ipse ad dexterā reuocabat. *Circumamicti*  
*stolis albis.* Veste Iesu Christi induti: iustificati, &  
sanctificati in Christo oblato pro ipsis, prædicātes  
iustifi-

iustificationē in Euangelio Christi, & sanctifica-  
tionē in Spiritu eius, ac Dei patris. Et habebant in  
capitibus suis coronas aureas. Omnes Prophetæ, &  
Apostoli, & doctores, qui verbū Dei nuntiarint,  
& purè tractarint, hīc signantur, quibus sua laus  
dabitur in Conciliis futuris. simul intelliguntur  
qui fuerunt in perpetuo certamine contra Papa-  
tum, & Satanam, defendantes verbum æterni  
Euangelij, & Ecclesiā Christi: affirmantes iudicium  
Dei patefactum in Prophetia, ut ipse Deus unus  
regnaturus sit in mundo summus monarcha cum  
Iesu Christo rege regum, & æterno in sua Eccle-  
sia summo sacerdote. qui quidē victores reman-  
serint, ac veri apparuerint in omnibus quæ ege-  
runt, & locuti fuerunt: atque ipsi administrabunt  
regnū Dei, & constituent Ecclesiam. & sic cōfident  
super viginti quatuor sedes, & habent singuli  
in capite coronas aureas: omnia secundū doctrinā  
Euangelicam, & Propheticā administrat̄tes, &  
decententes. initio cap. 12 idē dicetur de Ecclesia  
victrice doctrinae verbi Dei, quæ gestarit coronā.

*Et de throno prodibant fulgura, & tonitrua, &*  
*voces. Hic significatur conflictus verbi, & armo-  
rum, qui extitit iam ab initio prædicationis. in  
fulgoribus mihi videtur significari fama & ser-  
mo sparsus per totum orbein de prædicatione Eu-  
angelica: in tonitruis, concursus disputationum  
& conflictus inter Euangelicos, & Papistas, item  
inter alias nationes. in vocibus, confirmata verba  
Euangelica per prædicationem, & cōcilia, & per  
multitudinem. In bello armorum eadē sunt in-  
telligenda: fama de rebus bellicis in toto mundo.*

audita; fragor conflictus exercituum; horum casus, & ciuitatum: constituta & conclamata victoria apud Euangelicos . Et tandem erit conflictus in concilio dum disceptatione pugnabunt vigin- tiquatuor Seniores contra aduersarios : fulgura prodibunt ex illo conflictu , dum aperient Scripturas, &uenta omnis Prophetiae: atque lux ma- gna emerget eorum quæ fuerunt præteritis tem- poribus mysterio inuoluta , & vmbbris contecta. quæ lux pertinget ad omnes qui sunt in ultimis terris quacunq; ieris: magni motus erunt popu- lorum in illis conflictationibus; vocesque tandem extabunt, quibus statuetur Deus, & Dominus no- ster Christus Iesus rex regum in mundo toto, & qui deinceps semper ubique gentium sit cum suo Euāgelio regnaturus. & talia fient, quæ per- tinebūt ad regnum Dei, atque ad eius Ecclesiam constituendam, & cōstabiendam.hæc de thro- no prodibunt dum constituetur regnum , dum prædicabitur Euāgelium regni in testimonium omnibus gentibus. Et septē lampades ignis arden- tis ante thronum, quæ sunt septem Spiritus Dei. Hic cōtinetur prædicatio viginti quatuor Seniorum, atque omnis eorum doctrina . dum aperta erit Prophetia , ex cuentis bellicis aperientur omnes dininæ scripturæ: & quæ Patriarchis præscripta fuerunt tēpore promissionis; quæ populo Israēli- tico tēpore Legis; quæ tēpore Prophetarum: quæ in Euāgeliō; quæ in doctrina Apostolica ; quæ in Apocalypsi: quæ post ad Prophetiam aperiendā Deus significauit multis. In his intuebuntur vi- ginti quatuor Seniores vnum atque eūdem per- enncim

ennum Dei Spiritum operantem omnia: vnum atque eundeni Dei filium complectentem in se vnam Ecclesiam: vnum atque eundem cultum spiritualem in fide, & caritate ab omnibus fidelibus retentum: videbunt in Lege cultum Euangelicum, & Prophetiam: in Evangelio exhiberi, & effici, quæ significata sunt in Lege, & promissa in Prophetia: in Prophetia habebunt contrafacta, quæ sunt Legis, & Euangelij: lux vndique splendet: lux Euangelij illuminabit quicquid est in Lege, & tunc reflectet se lux eadem in Euangeliū, ut multa Euangelij illustriora fiant per Legem. lux hæc Euangelij & Legis comportabitur in Prophetiam. vnde hæc tempora, quæ sequuntur, futura sunt lucis: ut Legis & Euangelij lux concurrat in Prophetiam. imò verò quæ sunt temporis promissionis, Legis, omnium Prophetarum, Euangelij, doctrinæ Apostolicæ, Apocalypsis, & quicquid lucis habuerunt noui Prophetæ, concurrere inuenietur in hoc tempus completæ Prophetiæ. quælux signata est in septem lampadibus ignis ardentis. Cùm cōcurrerint omnia hæc omnium æstatum in vnam lucem, quæ est completæ Prophetiæ, tunc lux Prophetiæ reflexa retrò, illustriora reddet omnia præterita. ut quæ sunt in promissionibus, quæ in libris Legis, & Prophetarum omnium temporum, & Euangelij, & doctrinæ Apostolicæ, & Apocalypsis; quæ generatim in omnibus diuinis Scripturis, & Dei vocibus, sint longè clariora, & apertiora futura omnia, quam anteā fuerint. Quamobrem ea luce, quam hactenus habuimus ex his quæ sunt Legis, & Euange-

lij, ingrediemur ad illa quæ sunt nunc euuentuum Prophetiæ. & hæc dum per euenta aperietur, proponet nobis ante oculos candelabrum , in quo conspiciemus septem lampades ardentes: & tunc erit Prophetia aditus alius, seu lux amplior ad veritatem intuendam in omnibus diuinis Scripturis . Dicuntur autem septem lampades non simpliciter, sed additur, ignis ardenter. vt Spiritus recognoscatur in omnibus diuinis scripturis: spiritus nos omnia simus percepturi ; spiritus in nos sit ille effundendus, qui omnia omnibus temporibus egerit, & acturus sit. vt in septem ætatibus nō solum intelligantur septē Ecclesiæ, quas diximus capite primo ; sed & maximè cultus in illis spiritualis viuus Dei spiritu , non externis ceremoniis mortuus : verbū viuum & eius virtus in animis agens, non solum lectio , & prolatione. *Ante thronum.* In conspectu Dei viuus & ardens erga se, & ad se ferri debet noster spiritus : omnia quæ agimus, & cogitamus , sentiamus præsentia ante ipsum: cultus juē ei tribuimus viuus sit ad ipsum, & secundūm ipsum. additur: Quæ sunt Spiritus Dei; vt opus Spiritus Dei sit perpetuum, & perenne intelligatur in omnibus piis, qui fuerūt omnibus ætatibus mundi. Quando hoc candelabrum intuiti fuerimus, & eius lux fulserit in animis nostris ; vt perspiciamus quæ sunt septeni generis scripturarum; elucebit quid de unaquaque re secundūm Dei voluntatem statuendum sit in Ecclesia, & regno Dei: secundūm Dei, inquam, voluntatem , & consilium , & æternum decretum. Quando hæc erunt, & fient in Ecclesia cōstituta,

manu

manu ducentur contéplatores Theologi ad thronum Altissimi, vbi æterna perspiciant.

*Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simi.*  
Ex capite quinto, & quinto decimo possimus aduertere per mare hic intelligi fideles, suscipientes æternum Euangelium, qui assimilantur mari: ut alibi quoque vidimus. quod verò assimiletur mari vitro, existimo indicari illorum coniunctionem in unam Ecclesiam, & in unum corpus Christi. simile adhuc dicitur illud mare vitreum crystallo, propter fidem & sanctificationem cuius participes sunt in Christo. qui & ipsi cum vigintiquatuor Senioribus, & quatuor animalibus, & cum omnibus Angelis, propter illa quæ dicta sunt de candelabro, dabunt laudem, & gloriam, & imperium uni Deo patri, & Iesu Christo filio eius, facti omnes regnum unum Dei, ut unum est mare aquis omnibus in se ipsum & unum confluentibus. *Et in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena.* In his quæ dicta sunt hactenus de candelabro, videtur esse signata prædicatio regni, et aperta Prophetiam: quæ autem dicuntur de quatuor animalibus, prædicationem exhibent Euangelicam: quæ duplex prædicatio coabit in una, (ut versu nono & decimo indicari videtur) æterni Euangelijs. In initio Exodi, & cap. 6. Isaiæ, & primo Ezechielis dictum est de his quatuor animalibus, vbi nouimus ipsum quidem æternum Euāgelium consignatū in Lege, exhibitum nobis à Christo constabilitum in Prophetia. quatuor sunt animalia, quia homo esse debuit, qui dat Euangelium, victima, vixit mortis, & qui ascendat in cælum, ut sèpè alibi dictum est.

debuit esse Deus, quia in medio throni vidit Ioannes quatuor animalia. debuit ipse continere in se, atque proferre esse formas omniū quæ creata sunt. debuit in primis qui est imago Dei inuisibilis esse proferre genus humanum ad Dei imaginem, ac similitudinem creatum : cui placuit & carnem nostram suscipere, atque fieri homo. qui continet universa, ut cap. 1. vidimus, continet in se & suam Ecclesiam, & in se illa portans corpus unum in se factā. ut & homo fidelis factus victima in Christo, fiat in eodem & victor mortis, & consors cœlestis patriæ, ubi cum ipso obtineat immortalitatē. vnde vidit Ioannes animalia quatuor in medio sedis, & in cirucitu sedis. quia vidit Christū in æterno Dei regno sine principio: in quo fuimus prædestinati, & secundum statutum decretum Dei suo tempore singuli vocati. atque tempore Ecclesiæ innouata erit magna omnibus fidelibus cognitio de Iesu Christo, qui sit in Patre, & apud Patrem ante secula, & semper. nunc autem ferat, & complectatur in se credentes, qui sunt in tot terrarum orbe, ut ferre & sustentare dicebamus cap. 1. eosdem omnium seculorum. Sedes Dei est cœlum, est tota Ecclesia. in ea, & circa eam prædicatur Euangelium, omnes imbuti doctrina diuinarū scripturarum, & mysteria in ipsis percipientes per Euangelium proferunt in medium, & in apertum illarum lucem, & quæ sunt æterni Dei patris, ac eius Filij. ipseque Iesus Christus loquitur in omnibus, qui est semper apud Patrem. Plena oculis ante & retro. Christus Iesus, qui est sapiētia Patris, aperit se totum in innouata Ecclesia: cognoscetur adūctus eius secundus nunc in

in spiritu, & tertius futurus in gloria, vt fuit cognitus primus in carne: cognoscetur in Lege, in Prophetia, vt in Euangelio: in singulis scripturis mysteria de ipso se aperiēt. *Et animal primum, etc.* Hæc vt dixi, sunt exposita in Mose, & in Isaia, & Ezechiele. illud tantum h̄ic videtur quærendum, quod discriminēt expositionis horum animalium in primo capite Ezechielis, & h̄ic in Apocalypsi. In Ezechiele dictum est faciem hominis, & leonis ad dexteram signasse primum aduentum Christi; bouem, & aquilam ad sinistram secundum. h̄ic dum Ioannes incipit à leone, & progreditur ad bouem, ad hominem, ad aquilam volantem, mihi videatur assumere in leone primum statum Patris. quia hic significatur eius regnum, quod hoc capite describitur, quódque conspicietur breui ab omnibus fuisse æternum: & ipsum Iesum Christum videbimus fuisse Deum exercitum, qui pugnauit pro patribus, & in patribus nostris: atque suo robore perduxerit semen Abrahæ, & ipsum Israëlem vi-ctorem per omnes ætales, vsque dum volans in cœlum perducat illum in æternam vitam. sequitur bos, qui signat ipsum Iesum Christum victimam in primo aduentu in carne: signat & simul omnes qui passi sunt, qui mortificati sunt in ipso. tertio loco ponitur homo, vt signetur tertius status, in quo peracta fuit in fidelibus imago Dei, vt cap. 1. Gen. dictū est: & in libris de Cœna Domini, vt perfecti essent in homine Christo Iesu. efficimur tandem ita spirituales, vt possimus cum Christo volare cum cæteris spiritibus Dei in æternam ipsius Iesu Christi vitam. Et hæc omnia comportantur in sta-tum

tum tertium, vt victoria harum rerum existat deinceps semper.

*Et quatuor animalia, singula eorum habebat alas senas in circuitu.* In his alis, vt existimo, signatur ipsa prædicatio æterni Euāgelij, quæ in aperta Prophetia exponitur Ecclesiae, & omnibus in toto orbe. quodque animal habet sex alas, & sunt omnes vigintiquatuor: quia tota prædicatio perficitur hoc numero. nam Euāgeliūm continentur in quatuor libris Legis: in his quæ quatuor Euāngelistæ, in his quæ quatuor maiores Prophetæ scripserūt. quodque animal horum quatuor, quæ pariter sunt in his ter quatuor libris, habet sex alas. quia duabus portatur, expāditur, prædicatur, & explicatur Euāgeliūm quod est in Lege: duabus quod idem est in quatuor Euāngelistis: duabus quod idem est in quatuor maioribus Prophetis. atque in tertio statu dum erit iunouata Ecclesia, vna prædicatione vnum annuntiabitur æternum Euāgeliūm, quando vna sententia apparebit in Lege, in Euāngelio, & in Prophetia. apparebit idem Euāgeliūm prædicatum Adamo, quod nobis. vt in eo quod dicitur *in circuitu*, cognoscas rotas Ezechieli.

*Et intus plena erant oculis.* In Isaia, & in Ezechiele animalia tegūt se alis: quia tempore quod signabatur illis visionibus, multa erant abscondita in Lege, & in Prophetis de Christo. vt quando cœpit Christus in Luthero, & aliis prædicare, & quando bella gerebantur in Gallia: quæ duo tempora intuiti sunt illi duo Prophetæ. nam tunc non aduertebatur adesse secundus Domini aduertus in Prophetis: & multa alia tecta erant, quæ post sunt pafacta

tefacta, at in innouata Ecclesia, & regno Israeli-  
tico, duabus, & item duabus, atq; iterum duabus  
volabunt animalia. quia non solum que sunt Eu-  
angelij, sed & quæ mystica sunt in Lege, & Pro-  
phetica apertis sententiis prædicabuntur. ac tan-  
tum abest ut cooperiantur animalia alis, vt & alæ  
ipsæ sint plenæ oculis *intus*. hoc est, prædicatio  
& doctrina quæ habebitur in innouata Ecclesia,  
erit aperta, & huiusmodi, vt patefaciat undequa-  
que occlusa, & tecta prius, ac mysterio consigna-  
ta. nam anteà multa dicebantur, & erant narrata  
verbo Dei, quæ tamē non omnino intelligeban-  
tur, in innouata Ecclesia sententiæ quæ ex verbo  
Dei afferentur à prædicatoribus, erunt aperte, at-  
que mysteria habebuntur detecta. *Et requiem non  
habebant die ac nocte.* Prædicatio verbi Dei non  
intermittetur: die noctuque meditabuntur fide-  
les quæ continentur in libris Legis, in Euangeli-  
cis, & Propheticis: opera Patris, opera Filii, opera  
Spiritus sancti, quæ videbuntur admirabilia: co-  
gnoscetur Deus opera suis omnia omnibus  
æstatibus: nuntiasse omnia, præstisset omnia. ille  
solus cognoscetur Deus, solus adorandus: illi soli  
reddentur & habebuntur gratiae. *Sanctus, sanctus,*  
*sanctus.* Est unus Deus, Pater, Filius, & Spiritus  
sanctus, qui promisit omnia, & verus fuit, &  
præstedit omnia. *Dominus Deus omnipotens.* Crea-  
uit omnia, nuntiavit omnia futura, perfecit om-  
nia: à nulla creatura potuit impediri quin omnia  
ficerit quæ voluit. *Qui erat, & qui est, & qui ven-  
turus est.* Qui semper fuit, & prædestinavit nos ad  
æternam vitam: qui est, & efficit quod sumus om-  
nes

nes in Christo: qui venturus est, & datus nobis immortalitatem . Dicitur ergo à nobis , Sanctus, sanctus , sanctus , vt ei gratias agamus ob ea quæ voluit, quæ præparauit, quæ promisit, quæ nuntiauit, quæ donauit, quæ præsttit; cùm dicatur etiam Sanctus, sanctus, sanctus, ob suam sanctam & inexplicabile maiestate . dicitur Dominus Deus omnipotens à nobis, quia cognoscetur tādem ab omnibus creator omnium , cognitor omnium, effecto r omnium: solus Dominus, solus Deus, solus potens, solus seruator, & largitor immortalitatis . dicitur à nobis ipse solus, qui erat, & qui est, & qui venturus est . quia ipse solus semper fuit, solus est vita omnium , & in quo, & per quem existunt omnia : solus æternus, & immortalis, & qui dat æternam vitam . hæc omnia die noctuq; meditabimur, & prædicabimus . Possumus multis modis considerari verba hæc Ioannis: vt Sanctus, sanctus, sanctus, unus Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus . Dominus Deus omnipotens unus Deus pater, Filius, & Spiritus sanctus . qui erat, qui est, & qui venturus est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus . Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus . Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus . Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus . Omnipotens Pater, omnipotens Filius , omnipotens Spiritus sanctus . erat Pater, erat Filius, erat Spiritus sanctus: est Pater, est Filius, est Spiritus sanctus . venturus est Pater, venturus est Filius, venturus est Spiritus sanctus . Sanctus sit Dominus qui erat, sanctus Deus qui est, sanctus omnipotens qui venturus est . Si sanctum

Cum dicas Patrem, qui in primo statu operatus est, cum eo sanctus erat Filius, & sanctus Spiritus sanctus. si Dominum dicas Filium, qui venit ad nos, & operatus est, dices cum eo Deum patrem, & omnipotentem Spiritum sanctum. si dicas eum qui erat, dices & eum qui est, & eum qui venturus est. Hæc multis modis variari poterunt: & quicquid dabitis vni è tribus, dabitis & aliis duobus. Capite primo Gen. ubi dabamus statum primum Patri, dabamus ei quoque tres estates, quæ erant Patris, & Filij, & Spiritus sancti: & in unaquaque cognoscetebatur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. ubique erat Dei verbum cum Patre creatore, & cum Spiritu sancto effectore. erat Pater creans, in Verbo loquens, Spiritu sancto efficiens. ut in Patre Filius, & Spiritus sanctus; in Filio Pater, & Spiritus sanctus, in Spiritu sancto Pater, & Filius cognoscatur. Vbi agebatur de statu secundo, & tertio eadem contemplabamur. & Ioannes monet nunc repetitiones illas in veteri Testamento non temere, nec sine magna causa positas. sic circa in multis locis (ut datum fuit) illas interpretari sumus. Plura hinc de hac re non dicemus, quod multa capite 1. Gen. dicta sint. que restant, Theologii in innouata Ecclesia exponent.

*Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem, seu gratiarum actionem. Euangelica doctrina exposuit nobis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Deum unum verum, & sanctum: creatorem omnium, Deum omnium, omnipotentem, effectorem omnium, æternum; qui prædestinavit nos, & glorificabit. & ut in Euangelio*

lio hæc ostenduntur, ita inueniuntur in Lege & in Prophetia. Vnde hic quoque tria dantur, gloria, honor, & gratiarū actio. quæ quidem dantur vni sedenti in throno, & viuenti in secula. tria dantur, quæ non possunt non dari tribus. Ut verò hæc Moses, & Euangelistæ ostenderunt, ita prædicata sunt ab Apostolis, & Prophetis. atque in innouata Ecclesia id fiet, vt prædicatores qui tenebunt doctrinam Euangelicam, & Propheticam, nuntient hæc eadem: iubent ita credi à fidelibus: ostendant in Lege, ut in Euangelio, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. docebunt quomodo ter sanctus sit, Dominus Deus omnipotens: qui est, qui erat, & qui venturus sit: & iccirco solus Dominus, solus Deus, solus rex regum habendus sit ab omnibus: illi soli gloria, & gratiarum actio debeatur. & hæc statuerunt in Cœilio. Rationē aliquam existimo esse, quare antè dictum sit: *Qui est, & qui erat, & qui venturus est: & nunc dicatur: Qui erat, & qui est, & qui venturus est:* fortè quia nunc ex præsentibus, & ex præsenti verbo Deum cognoscimus præsenterem, qui deinde ex his quæ effecerit, cognosci simus illum æternum. & vt priùs incipiebamus ex rebus præsentibus cognoscere Deum, iam ab eius eternitate profitebimur nos illū cognoscere: quando apertis libris patefiet consilium eius, quod fuit ab initio, detegentur mysteria consignata in constitutione mundi. *Et adorent viuentem in secula.* tunc nulla erunt idola, vt nuntiarunt Prophetæ, quæ adorentur: non tyranni, non Antichristi: solus, qui viuit in seculorum, & qui sedet in throno, adorabitur. in Prophetis vidimus illas maximas

maximas, quas vocant: qui non fecit cælum & terram, non est Deus: qui non nuntiat futura, & postrema ab initio, non est Deus: qui non effecit omnibus tēporibus omnia, non est Deus: cuius nomē nō est à seculo, nō est Deus: qui nō viuit è generatione in generationē, nō est Deus: ergo non adorādus. similes sentētias affert hīc Ioānes, quē conspiciuntur in Prophetis. *Et mittunt coronas suas ante thronum.* Nemo ex ministris, vt dictum est in Prophetis, affectabit tyrannidem; nemo Papatum. prēbebunt se ministros Christi qui administrabunt in vtroque statu, vt viuatur secundū verbum Dei, & Dei legem; cūm parta fuerit victoria contra Papatum, non ingredientur illi in locum Christi, vt fecit Papa, postquam sanguine martyrū parta fuit victoria, & status liber populo Christiano: sed Christo suum locum relinquent. in Concilio erit Christus Dominus, & author omniū. in quo Concilio non tyrannus, nō Papa; sed Christus loquitur in quibus voluerit. atque id tantū erit ratū, quod verbum Dei, non quæ libido suaserit.

*Dignus es Domine Deus noster.* Qui creator est omnium, effectōr omnium, in quo extat omnia, is dignus est, qui Dominus & Deus solus habeatur: cui pareant in vniuerso mundo omnes, & serviant. Hīc non repetam ab initio diuinarum scripturarum ad finem usq; omnes percurrento ætates: non quæ creauit, non quæ effecit Deus ante Circuncisionē, & in Circuncisione; in Baptismo, & his postremis temporibus, quæ quidem erunt repetenda à prædicatoribus, & inculcanda fidelibus, vt solum Deum Dominum, & Regem regum

L habent

habeant cum Iesu Christo Saluatore nostro . cui  
tribuatur gloria , & honor, & virtus , seu poten-  
tia, seu potestas.attéde, Lector, quomodo insistat  
Ioannes in tribus.dicatur, Sanctus, Sanctus, San-  
ctus: Dominus, Deus, omnipotens: 'erat, est, ven-  
turus est: ei detur gloria, honor, gratiarum actio:  
item gloria, honor, virtus . tu creasti omnia, per  
voluntatem tuam extant , & creata sunt . & duni  
dicitur h̄ic Creata sunt , existimo dici secundūm  
illud Isaiæ cap. 48. vers. 7. nunc creata sunt: id est  
perfecta . vt Dominus Deus noster sit ille qui  
creauerit omnia: qui creauerit & credētes nouas  
creaturas, inq̄ue Christo Iesu facti sint & conser-  
uati gratia, & misericordia Filij Dei; qui perfecti  
sint in Christo, vt obtineant h̄ereditatem Dei.  
fortè hoc verbum Creare positum est pro Perfice-  
re, propterea quòd nouos cælos & terram nouam  
creaturus dictus est Deus cap. 65. Isaiæ.dum perfici-  
cit opus quod constituit à principio, perficit quæ  
sunt Ecclesiæ, & regni sui. alia dabit innouata Ec-  
clesia.

*Argumentum in Caput quintum.*

Quando erit constitutum regnum Dei, seu in  
eo constituendo, & Ecclesia (vt cap. superiori di-  
ctū est) Christus maximè cognoscetur filius Dei,  
& Deus cum Patre æternus in his quæ egit in Ec-  
clesiis omnium temporum in denuntiatione re-  
rum futurarum , in his perficiendis quæ nuntia-  
uit: & in aperienda Prophetia, patefaciendis quæ  
mysteriis quæ continentur in omnibus diuinis  
Scripturis . siue etiam sume argumentum è versu  
sesto, vbi summa capitatis colligitur.

*Argu-*

Argumentum aliud, in quo distinctius exponuntur  
omnia quæ in toto capite continentur.

Quamvis dictum sit in superiori capite, Sanctus, sanctus, sanctus: Dominus Deus omnipotens: qui erat, & qui est, & qui venturus est: quibus in attributis cum Patre, & cum Spiritu sancto fuit comprehensus Filius: tamen quoniam Iudei & Gentes Filium Dei non agnoscunt; & confundandus est Arius, & nunc maximè cognoscendus est in suo secundo aduentu Christus, qualis & quantus sit ex suo opere: sic circò separatim hoc capite agitur de ipso Christo Iesu, qui cum Patre & Spiritu sancto in eodem throno sit adorandus: gloria, honor, imperium, & gratiarū actio simul ei dicenda. atque cognoscendum est nos habere in ipso omnia à Patre per eius mortem pro nobis suscepitam; in ipso peccata nostra esse expiata; in ipso nos regnatores in regno Dei, quemadmodū in ipso, & per ipsum facta sunt omnia, creata sunt omnia quæcunque facta sunt & creata. Ut verò pateat Iesum Christum esse illud Dei verbum, quo creata & facta sunt omnia; item in eius morte datam esse salutem credéribus; ostenditur hoc capite, & deinceps, Agnum accipere librum è dextera sedentis in throno, ipsumque soluere signacula illius. nam cùm hoc notum fuerit, cognoscemus Christum Iesum esse Dei verbum, quod sedet ad eius dexteram: per quod ut facta sunt omnia, ita per eius mortem parta sit nobis salus, & æterna vita. dicitur ergo ipse, ac re, & opere probatur aperire septem signacula libri: hoc est, efficiere omnia quæ sunt sui secundi aduertus, distincta

in septem tempora. quæ cùm fuerint perfectæ, aperti sient libri qui fuerunt clausi. nam quando conspicientur euentus rerum denuntiatarum in Prophetis de secundo aduentu, his patefactis aperientur & quæ sunt promissionis, librique Gen. quæ sunt libroru Legis; quæ sunt Prophetarum: quæ sunt doctrinæ Euangelicæ, prædicationisque Apostolicæ; quæ sunt huius libri; quæ sunt omniū, qui post Apostolostum Euangelica, tum Prophætica tractauerūt. Itaque cùm notum fuerit, Christum egisse quæ euenerūt in secundo suo aduentu; quæ, vt dixi, distincta sunt in septem tempora, simul cognoscetur egisse quæ facta sunt in superioribus ætatibus: & qui locutus est in suis prædicatoribus, & egit opus in suis ministris septem temporibus nunc in secundo aduentu; locutus quoq; fuerit & egerit omnia in omnib<sup>o</sup> & septem ætatibus superioribus. Ergo cùm peruererimus ad septimum tempus, soluto septimo signaculo fient aperta quæ fuerunt tecta. & vt dicitur in fine vndecimi capitilis clangente tuba leptimo Angelo videbitur arca testamenti in téplo, atq; indè extabit apertus liber, vt diuina scriptura ab omnibus mētem adhibentibus intelligi possit, mysteriaque se nobis aperta exhibeant. Et tunc prædicatores Euangeli qui probarint per Iesum Christum esse facta omnia, in eius morte datam salutem; perfecisse omnia quæ continentur in diuinis scripturis: atq; in illis perficiendis has aperuisse: simul dabunt gloriam, & honorem, & imperium; gratiarumq; actionem dicent Christo Iesu, & Patri, & Spiritui sancto. simul item virtutes & potestates Angelicæ,

gelicæ, quibus aperta fuerit per Ecclesiam (vt ait Paulus) multiplex sapientia Dei. ex altera parte respondebunt tanquam in choro eadem, quæ protulerint prædicatores, & interpres verbi, atque canent: Dignus est Agnus, qui occisus est, accepere virtutem, & diuitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honoré, & gloriam, & benedictionem. Cùm in concilio populi Christiani hæc erūt cognita, tractata, effecta, & nuntiata per prædictores, & ministerio Angelorum, diuulgabuntur tūm, & promulgabuntur per totum terrarum orbem. Quæ quidē cùm omnes gentes, & nationes, & populi, qui sunt in omnibus terris, nouerint; imò verò cùm & omnibus qui sunt in inferno patefient, cogentur omnes creature & cælestes, & quæ sunt in terris, & quæ in inferno, dicere sedenti in throno, & Agno: Benedictio, & honor, & gloria, & imperiū in secula seculorū. Hæc omnia stabilientur in concilio, & rata, perpetuaq; erunt: nec ullus minister, vt fecit Papa, assumeret sibi deinceps quæ sunt Christi. *Virtutem.* Supremā potestatem, & primatū. *Diuitias.* opes regias, vt dominum omnium se faciat, & regem supra omnes filios superbię. *Sapientiam, & fortitudinem.* vt ipse solus, vt Deus, audiendus sit, qui præscribat leges omnibus, & ipse non sit subiectus legibus; quiq; omnia possit. *Honorem, & gloriam.* vt quæ Christo debentur, sibi assumat. *Benedictionem.* vt ab ipso salus animarum habeatur. sed omnes qui erunt veri & fideles ministri Christi, quæ illius sunt curabunt semper diligenter omnia. Ut verò hæc (quæ dixi) in unam summā colligam: vt demon-

stretur, quæ prolata sunt verbo Dei, per idem verbum Dei Iesum Christum perfecta esse omnia, quò eidem cum Patre tribuatur honor, gloria, & imperium; accipit librum Agnus, & soluit signacula eius perficiendo quæ sunt sui secudi aduentus, quod dum fit, simul quæ prioribus ætatibus locutus est Deus in Prophetis, & ministris suis, eadem per Iesum Christum demonstrantur singulis temporibus peracta, ut apertius videbimus capite sexto, & deinceps: atque per eundem reuelatam esse Prophetiam vniuersæ Ecclesiæ. Hæc videbuntur multis satis esse dicta, ut sententia huius capituli quinti habeatur. verum ut & simplicioribus satisfiat, exponemus distinctius & ipsa verba, ut dabitur.

- *Et vidi in dextera sedentis.* Hic liber diciture esse in dextera sedentis super thronum, ut sciamus verbum esse Filium Dei, & Deum cum Patre sedere in throno: atque verbum quod factum est in omnibus sacris libris, esse æternum Dei decreatum absconditum à seculis apud ipsum; propositum & exhibitum singulis ætatibus Ecclesiæ suæ. & infra dicitur Agnus accipere librum: quia verbum caro factum est: verbo suo egit omnia Deus in suo regno semper, atque nuntiauit & præscriptis omnia. quando vero factum est illud caro, in parte aperuit librum perficiendo quæ scripta erant: siue Apostolis aperuit librum. nunc autem paratus est Christus aperire totum librum, ac vniuersæ Ecclesiæ patefacere, quæ mysteriis hactenus fuerunt tecta.

- *Scriptum intus, & extra.* Quæ verbum Dei videmus

demus locutum in libro diuinarum scripturarum, habent quidem illa duplē sensum, clausum, ac tectum: apertum, & patentem. apertus sensus est, quem litera ipsa exhibet: clausus autem, ac tectus, qui aperiendus est certo tempore, & euētu rerum. & quia septem ætatibus distinctum fuit tempus: atque rebus, & effectu eorum, quæ euenient, & fient in his septem ætatibus aperiendus est sensus clausus, & tectus: iccīrcō septē sigillis dicitur clausus liber. *Et vidi Angelū fortē. Quis est dignus.* Ut tēpus circuncisionis præteream post Christum à tempore Apostolorū usque ad nostram ætatem, quæsierunt omnes de tempore futuro, de secundo aduentu Domini. multa doctores disputauerunt: fuerunt & Prophetæ, qui scripserunt. sed hi, vt Hermas, vt frater Robertus, vt sanctus Vincētius, quædam nuntiarūt quidem quæ videmus euenire. Abbas Ioachimus, & multi alij, quos memorat Theleosphorus, aliqua vera nuntiarūt, aliqua non sunt assecuti, quod, vt ait Vbertinus, generaliter sibi ostensum fuerit opus instantis aduentus Domini. Quæ tamen proposuit nobis expectanda Theleosphorus collecta ex superioribus maiori ex parte videmus euenisse, & euentura. Veruntamen hi omnes quamuis multa dixerint, fortis fuerit vox Abbatis Ioachimi multa scribentis, & denuntiantis, fratris Roberti, sancti Vincentij, Ioannis Hus, Hieronymi Sauonarolę tādē, vt multos alios præteream: tamen non potuerunt aperire sacramenta, & mysteria totius libri Christi, non totam Prophetiam clausam in omnibus diuinis scripturis. solus ille hoc præstabit, qui illa omnia peregit,

quæ scripta sunt: quique effectione eorum quæ nuntiauit aperturus sit omnia, non solum verbo, & scriptis. *Et nemo poterat.* Nemo potuit neque ex ordine Ecclesiastico, neque ex politico patefacere sententiam clausam in Prophetis, & in aliis sacris Libris, nemo ex Papatu, nec Papa, nec sui doctores, nec Euangelici deinde, qui repetuerunt prædicationem Christi, & Apostolorū: non sua doctrina, non scriptis, & monumentis antiquorum doctorum potuerunt detegere mysteria, & aperire sensus diuinarum scripturarum clausos, eosque percipere. *Et ego flebam.* Desiderium piorum fuit magnum, ut aperirentur libri: multi conati sunt penetrare intima diuinarum scripturarum; nec potuerunt. veruntamen fuit quadam inuoluta, & non explicata notitia, quæ quidem multos torsisse visa est. *Et unus de Senioribus dixit mihi.* Ioannes hic ponitur pro Ecclesia, qui est ipse senior, in quo significantur interpretes Euangelici. qui tandem in concilio aperient Christum prædicasse in suis membris, & pugnasse & effecisse omnia quæ nuntiauit in Prophetis, non solum hoc tempore in vastatione Papatus, sed omnibus temporibus egisse omnia, ut in aperiendis septem sigillis dicetur. *Vicit leo de tribu Iuda.* Huc oportet assumi illa, quæ dicta sunt à Iacobo patriarcha de tribu Iuda: quæ dicta sunt de regno Dauidico in libris Regū: quæ in Psalmis, quæ in Prophetis. quibus in locis nuntiatus est Christus venturus, & interfectorus Antichristum, & tyrannos: constituturus Ecclesiam, & effecturus omnia quæ in omnibus diuinis scripturis cōsignata sunt efficienda omnibus ætatibus mundi.

mundi, ac perficienda in hac septima. quibus effe-  
ctis, & perfectis à Christo omnis diuina scriptura  
ciset aperienda, & sensus tectus patefaciendus ab  
eodem. & hic probatur Christus, qui efficerit om-  
nia, aperuisse librum; & qui Christus nunc aperit  
librum, esse eum, qui egerit omnia ab initio eo-  
rum, quæ verbo iussa sunt fieri. *Et vidi, & ecce in  
medio throni.* Hæc sit summatim sententia eorum  
quæ sequuntur, quando secundò venit Christus, &  
iterum crucifigitur in membris suis. in his qui pa-  
rant innouationem Ecclesiæ, & regnum Israëlitici-  
cum, aperit librum diuinatum scripturarum, se-  
cundùm cuius sententiam paranda sit Ecclesia, &  
regnum. in quibus serui sui facti sint reges, & sa-  
cerdotes, administrantes secundū Dei legem tan-  
tum omnia. huius sententiæ contemplemur iam  
verba. repetitur Vidi, quia res significatur ubique  
vera, & maxima. in superiori capite quatuor ani-  
malia in medio throni, circa illud videbātur. quod  
quatuor libri Legis, quatuor Euangelici, quatuor  
maiorum Prophetarum, & alij, qui ad hos reuoc-  
ātur, ab ipso Iesu primò dati sunt, ab eius spiritu,  
ab eo manarunt proximè; atque eum videntur  
contingere. deinde quasi è throno Dei exportant  
libri illi Christum Prophetis, & Apostolis; atque  
hi aliis in manus tradūr, & exhibent. Hinc dicebat  
Paulus per scripturas Prophetarum mysteriū Eu-  
angelij absconditum patefactum sanctis. quo my-  
sterio Euangelij patefacto, patefit & Prophetiæ ve-  
ritas. & hinc Prophetæ, & Euangeliæ veri appa-  
rent: gaudent & lætantur & de veritate, & de pro-  
missis, & de bonis præstitis. Vnde & in superiori

capite dum quatuor animalia dant honorem , & gloriā sedenti in throno , procidunt & viginti quatuor Seniores ante thronum , vt adorent viuentem in secula. Et cap. i. Ezech. rotæ dicuntur ambulare , & stare , & eleuari ; vt à quatuor animalibus dirigūtur. Cùm iam h̄c videatur Agnus stare in medio throni , & animalium , & Seniorum : & infrà dicatur , honor , & gloria , & imperiū dari sedenti in throno , & Agno ; videtur discrimē inter animalia , quæ visa sunt suprà in medio throni , & inter Iesum Christum , qui videtur in medio throni , & quatuor animalium . quòd ipse sit verbum Patris , & verus Deus : cæteri creaturæ quæ acceperunt ab ipso vitam , & verbum Euangelij , & communicant aliis ministris , vt communicetur deinde & vniuersæ Ecclesiæ in quorum ministrorum medio est Christus medius , & in tota Ecclesia , quam in se continet , & sustinet , ac sua vita portat : vt continet & sustinet , (quemadmodum capite primo dicebam⁹) vniuersum , & complexum mundi . Qui ergo est in sua Ecclesia , in suis ministris , in suis fidelibus , est in ipsis tanquā occisus . vnde sequitur : *Agnus tanquā occisus* . Quia dum stat in suis membris , & sua membra occiduntur , est veluti vt ipse occidatur . & quia Agnus dictus est occisus ab origine mudi , ergo & in Abrahao , & in aliis deinceps vsq; ad Antichristum electum , ille qui peperdit in ligno , fuit veluti occisus & ante Euangelium promulgatum , & post in his qui suum librum & suum verbū suscepserunt , & se confessi sunt . Et cùm antè in singulis membris separatim videatur occisus ; iam videtur in suo

suo secundo aduentu occidi in pluribus simul, in suo corpore, in Ecclesia, dū sunt vniuersales cædes, & adducitur magna perturbatio, vt omnes credentes ad vnum usque occidantur. non intelligent Papistæ se effundere sanguinem hominis in homine, vt dicitur cap. 9. Gen. Christum à se interfici, & iterū crucifigi, dum repetit Ecclesiam suam, & regnum suum. sed intelligent tandem, quando hæc quæ sequuntur fient aperta. *Habens cornua septem.* In septem cornibus intelligimus potentiam filij Dei, qui crucifigitur in membris suis. quam potentiam ipse Deus exercituum declarauit in populo suo in omnibus septem etatibus mundi: quam declarauit nūc in suo secundo aduentu, pugnans contra septem capita magnæ bestiæ Antichristicæ, vt cap. 17. videbimus. vt qui liberauit nos à peccato, à Lege, à damnatione, à prima morte, à secunda morte, à Diabolo, ab inferno, liberaturus quoque fuerit à cædibus Antichristicis, & tyrannorum, & gentium impiarum. vt resurrexit in primo aduentu è mortuis, sit & nunc resurrecturus in membris suis. *Et oculos septem,* qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Si septem oculi agni sunt septem Spiritus Dei, videat quisque quidnam statuere debeat de Christo nostro, quem Spiritum sanctum dedit Pater, dat eundē Filius. datus est ergo à Iesu Christo Spiritus Dei omnibus credentibus in septem etatibus mundi: & ante aduentum suum in carne Patribus, ac semine Abrahæ, & post omnibus Evangelicis, & nunc tandem quando septem temporibus prædicatum est Euangelium in populo Chri-

Christiano. septem autem cornua, & septem spiritus h̄ic ponuntur propter opus duplex Christi pr̄stitum in suo secundo aduentu: quando verbo pugnauit in suis pr̄dicatoribus, & credentibus contra septem capita bestie, quę dixi. pugnauit deinde & virga ferrea cōtra omnes tyrannos. quæ duo opera pr̄stitit in suo secundo aduentu: sed & anteā omnibus ætatibus mundi fuit Deus exercitum apud patres nostros, & vita, & lux omnium credentium. quę si minus nota anteā, & primis temporibus fuerunt, fient nunc manifesta & Angelis, & hominibus, & his qui sunt in inferno. vnde sequitur Ioannes: *Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.* Dicitur Venit, vt ostendatur Christi secundus aduentus: dicitur accipere librum de dextera sedentis in throno, vt sciamus hoc tempore cōstituto regno Dei, & expulso Antichristo, Christum perfecisse quę locutus est in libro diuinarum scripturarum, & quæ diximus antè. Agnus ille qui fuit tanquam occisus, accepta potentia qua fuit excitatus è mortuis, perficit opere & verbo, vt resurgat in suis membris, percutiat aduersarios, constituat Ecclesiam, & regnum suum, aperiat scripturas. *Et cūm accepisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno.* Hæc mihi videntur signare, postquām Christus vicit verbo Antichristum, interficiens illum verbo oris sui; vicit & armis totum eius regnum; Concilium cogi, in quo medius erit Christus, & verbum sanctum, secundūm quod constituetur Ecclesia innouata: non erit tyrannus, non Antichristus cui Episcopi parcent:

teant: Christum cognoscent omnes caput, ac verbo eius parebunt. *Habentes singuli citharas.* In Psalmis dictum est de cithara. singuli tenetes doctrinam Apostolicam & Propheticam, canent, & exponent, quæ egit Christus verbo & ferro. illaque ostendent in Prophetis concentum verborum Dic, & operum Dei in omnibus ætatibus mundi, quæ dicta sunt in libro Num. & in Psalmis de cithara, nablo, & decachordo, huc transferatur. quod sciamus & nos in tribus statibus mundi, in septem ætatibus, in omnibus ætatibus mundi, in creatione vniuersi, canere magna opera Filij Dei, & laudes.

*Et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Cùm narrabunt prædicatores Euangelici opera filij Dei in omnibus ætatibus mundi, quæ præstítit populo suo, & Ecclesiæ suæ, pro illis pugnando contra aduersarios, atque spiritu suo sancto illos exfuscidando, & gignendo nouas creaturas; verbumque suum per certos seruos illis donando, & futura nuntiando; etiam confitebuntur peccata sua & populi coram Deo: ut fit à Daniele cap. 9. & ab aliis Prophetis, præsertim à Baruchō. nam hi scripsérunt quæ ministri Christi in Concilio, & in Ecclesiis facturi sunt.

*Et canent canticum nouum, dicentes: Dignus es accipere librum.* Canticum hoc erit nouum, quia ante à nunquam huiuscmodi canticum cecinerūt serui Dei: ut quæ sunt septem ætatum, & omnium ætatum peracta à Christo nuntiarent & exponerent. nuntiarunt quidem quæ sunt de suo primo aduentu prædicta à Prophetis esse peracta. quæ autem futura

futura erant, significarūt quidem facturum Christum illa. vt Paulus affirmauit eum imperfectum Antichristum spiritu oris sui , ac illustratione aduentus sui : sed non scripsit id esse peractum. quod canemus nos , & nouas laudes addemus Christo, prēter illas quas ei hactenus dedimus. Et quamuis Apostoli & Prophetæ laudarint Deum , & Filium eius, etiam ex his quæ futura per ipsum erant, non tamen idem quod illi nouit populus, atque quæ futura erant illi intuebantur ; nunc nos peracta canemus . nam nouum opus nunc facit Christus in restituendo regnum Israëliticum, & Ecclesiam; in euertendo regnum Antichristi, tyrannorum, & Satanæ: Christi solius iam vt extabit regnum, ita ipse solus Rex habebitur & Dominus: qui & cognoscetur, dum regnarunt impij, fuisse rex ab initio mundi : qui nuntiauit futura ab initio, quæ voluit omnibus temporibus fieri : atque nihil impij tyranni omnes egerint, nisi quæ ipse voluit, & permiserit. ipse, inquam, erit Deus habendus, & adorandus: solus & rex magnus , & rex regum , ac Dominus cognoscendus, & voce ab omnibus conclamandus Saluator , qui suo sanguine nos à morte redemit; liberauit & à seruitute tyrannorum, & Diaboli: atque ex omnibus finibus terre vocauit nos in suam Ecclesiam, & regnum , vt cum ipso regnemus deinceps semper; & sacrificia laudum offeramus Deo patri, & obtineamus quæ promisit toties in Scripturis suis sanctis , vt diu viuamus super terram quam datus fuit nobis. *Et vidi, & audiui.* ita verum erit, vt res quæ auditur, & videtur: vt Concilium futurum sit in toto populo Christiano liberum

rum omnium fidelium : vt totus mundus illud vis-  
furus sit & auditurus ministros verbi Dei illa, quæ  
dixi, aperientes, & patefacientes, & constituentes,  
vt solus Deus pater, atq; eius filius Iesus Christus  
adoretur, Rex regum habeatur, & Dominus do-  
minorum in toto mundo deinceps semper: nec us-  
quam ullus Papa, & tyrannus uti Deus coletur.  
quorum ministrorum Dei vocibus voces Angelor-  
um in cælestibus respondebunt. erit tunc chorus  
hominum, & Angelorum, omniūque sanctorum  
spirituum. Canent canticum, quod dixi, nouum  
in Concilio ministri: eadem ex altera parte respon-  
debunt chori Angelici: respondebūt & verba Mo-  
sis, Prophetarum, Euangelistarum, Apostolorum,  
& omnium qui hoc regnum Christi, atque eius  
opera hoc postremo tempore futura nuntiarunt.  
respondebunt tādem millia millium fidelium, qui  
tunc in populo Christiano inuenientur: atque om-  
nes eadem confirmabunt, quando omnibus aper-  
ta fuerit omnis Prophetia in omnibus diuinis Scri-  
pturis: videbiturq; in ea Deus, ac Dominus Christus  
Iesus extitisse omnibus seculis, extitisse admi-  
nistrator orbis, & summus rex: extitisse saluator  
credentium, quādo hos conspicitur saluasse in suo  
sanguine, & in vna sua resurrectione redemisse  
eosdem ab omni seruitute: confirmabunt eadem,  
inquam, & magna voce clamabunt: Dignus est Ag-  
nus, qui occisus est antè à Iudæis, nunc etiam in  
membris suis ab Antichristo, accipere dominatū  
mundi, qui disperiat suis fidelibus diuitias: qui  
cognoscatur rex & dominus mundi omnium se-  
culorum; cui soli sapientiam tribuere debeamus,  
& for-

& fortitudinem in creando mundum , & omnes  
creaturas in eo : atque omnia agendo in eodem po-  
tenter contra omnem vim mundi & inferni secun-  
dum suam voluntatem . & iccirco diuini honores  
ipsi soli à nobis sint tribuendi : gloria omnium re-  
rum creatarum & effectarum ipsius solius sit re-  
cognoscenda, solique ipsi omnes gratiarum actio-  
nes reddantur, & canentur: ipse solus cognoscatur  
magnificèdus largitor omnium donorum, & bo-  
norum præstabilium , beatæque vitæ. *Et omnem*  
*creaturam quæ in celo est.* Nec solum qui hactenus  
obtinuerūt nomen Christianum; sed & qui illud  
antè aspernati sunt , cantabūt canticum nouum.  
venturi enim sunt credētes ex omni tribu, & lin-  
gua, & populo, & natione in vnum ouile, vt lau-  
des dicant Domino. nam cōcludit Propheta om-  
nes creatureas conspiraturas in idem , vt cantent  
beneficia & laudes Christi; quòd etiam qui erunt  
in inferno cognituri sint magnitudinem Christi,  
quam dixi: sensuique Christum se premere pedi-  
bus similibus aurichabō cādenti , ac sibi domi-  
nari : vt & ipsi cogantur cum omnibns creatureis  
cælestibus , & terrenis dare benedictionem, lau-  
dem, gloriam, honorem, & imperium Christo in  
secula seculorum. cogātur item omnia quæ sunt  
in mari, qui quancunque alienam religionem se-  
cuti fuerint, siue qui ab omni abhoruerint idem  
agere. *Et quatuor animalia dicebant, Amen.* Repe-  
tuntur Euangelia, & Evangelistæ, omnis Prophe-  
tia, & doctrina Apostolica, omnes ministri verbi  
Dei confirmare eadem. quia omnia in Lege , in  
Euangelio, in Prophetis, in omnibus diuinis Scri-  
pturis

pturis ostendent ita oportuisse fieri: atq; fient ita,  
vt nūc dicta sunt, quæ iidem ministri verbi agen-  
tes, efficient etiam vt & alij agant, vt vnu Deus  
adoretur vbi que ab omnibus. Si quæ sunt alia  
aperienda in hoc capite, id fieri à viginti quatuor  
Senioribus deinceps.

*Argumētum in Cap. 6, & in quinque quæ sequuntur.*

Argumentum huius capitinis coniunctum est cū  
argumento quinque capitum, quæ hoc sequun-  
tut. in quibus exponitur quomodo Filius, & Spi-  
ritus sanctus mutuis operibus nuntiarint, & effe-  
cerint, quæ sunt Ecclesiarum ab Apostolis usque  
ad secundum aduentum Domini: quæ sunt illarū  
in secundo aduentu Domini; quæ illarū fuerunt  
ante primū aduentum Domini. Atque dum Fi-  
lius, & Spiritus sanctus, quæ sua sunt agunt; dum  
sua nuntiant; nuntiant & quæ aduersarij, & Anti-  
christi essent facturi, quæque fideles passuri ab il-  
lis: denuntiant fidem ut orūque horum: reuocat  
denuntiata in omni Prophetia in suauenta, vt  
aperiatur omnes diuina scripturæ: aperiatur tem-  
plum Dei in cælo, & arca testamenti in templo  
eius: vt deinde regnū Dei adducatur, quod pro-  
positum fuit capite quarto.

*Argumentum aliud in sex capita quo sequuntur.*

Hoc sexto capite, & deinceps aperiūtur sigilla  
septem: hoc est, exponuntur quæ futura sunt se-  
ptem temporibus, quādo secundō venit Christus  
prædicans suum Euangeliū: quæ cūm perfecta  
fuerint, aperta fiet hæc scriptura quæ fuit clausa,  
& signata. simul aperientur quæ ab Ecclesia A-  
postolica, siue à Christo facta sunt usque ad hoc

tempus secundi aduētus Domini: & cognoscen-  
tur in hoc libro, & in Daniele consignata. qui li-  
ber Danielis fuit signatus, & verba fuerūt clausa;  
liber clausus; & verba signata, vt ibi cap. 12. dici-  
tur. Et quod dicitur de Daniele, idem intelligen-  
dū est de aliis Prophetis. quia dicitur in Ieremia:  
Tūc cognoscetis consiliū meum, quando scilicet  
in suo secundo aduentu effecerit Christus, quę in  
Prophetis nuntiantur, tunc cognoscetur Prophe-  
tia, & quo cōsilio Deus omnia ab initio statuerit,  
quę facturus erat omnibus seculis. Vnde ait idem  
Ieremias cap. 30. In nouissimo dierum cognosce-  
ris istud. Ac si quæ tractantur in Apocalypsi, in  
omnibus Prophetis, in tota diuina scriptura, vt  
ostendimus cap. 1. Gen. vsque ad hunc locum, ve-  
niunt omnia distincta numero septeno; & om-  
nia continent eadem, vt sēpē ostendimus. ergo  
liber signatus septem sigillis, est tota diuina scri-  
ptura cū Apocalypsi. qui liber cūm sit distinctus  
numero septeno, propter septem opera Dei pera-  
cta in septem aētatis mundi: ergo dum ape-  
riūtur sigilla, aperitur non solū Apocalypsī liber;  
sed & liber Danielis, & aliorum Prophetar-  
um, ac rotius diuinæ scripturæ. quod quidē ipsa  
diuina Scriptura comprobat, & caput duodeci-  
num apud Danielem, vbi liber signatus, & verba  
clausa; verba signata, & liber clausus ostendit  
nunc aperiendus: atque omnia patefacienda, &  
explicanda. Quare quando quę aēta sunt primo  
tempore prædicationis Euangelij secundò repe-  
titæ, ostendentur esse illa quę claudebantur sigil-  
lo primo: quæ secundo tempore, sigillo secundo:

&amp; ita

& ita deinceps rebus illis peractis sigilla intelligentur aperta: simul & apertus liber Danielis: simul & aperta aliae Scripturæ. in quibus consiliū Dei aperietur, quod fuit iā ab initio, cùm statueret, & describeret cuncta quæ acturus erat. Ob quam rem sit, vt quæ sigilla sunt rerum, quæ narrantur peractæ septem temporibus prædicationis secundò repetitæ, sint quoque sigilla eorum quæ facta sunt ab Ecclesia Apostolica usque ad septimam ætatem: imò & eorum quæ ad Abrahamo, à prima ætate usque ad septimā. quam rationem vidimus quoque in septem Ecclesiis. quæ ratio omnino tenenda fuit, estq; obseruanda. quia qui est, & qui erat, & qui venturus est: qui est & & , principium, & finis: primus & nouissimus; est ille qui ambulat in medio septem candelaborum aureorum: quæ candelabra sunt septem Ecclesiæ septem ætatum mundi. Ergo & liber septem signaculorum est eorum, quæ locutus est Spiritus Iesu Christi in omnib⁹ ministris suis: ac in diuinis scripturis traditis in septem ætatis mundi. Ergo in septem sigillis etiam quæ locutus est Deus in septem ætatis mundi sunt recognoscēda, & quæ egit. Ut enim septem ætatis mundi septies creauit Ecclesiam, septies verba illius fuerunt solemniter promulgata; ita & septenæ actiones, seu opera erunt recognoscenda: vt in his omnibus septenis verbis, creationis, & effectionis cognoscatur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. iccirco propter hæc mysteria existimo quæ dicuntur in septem sigillis, quæ sunt Filij, repeti deinde in septem Angelis tuba canētibus, propter effectionem quoq;

Spiritus sancti: ut & septem Ecclesiae memorata sunt cap. 2. & 3. vt Pater creator omniū in omnibus quæ sunt Filij & Spiritus sancti, suum opus habere cognoscatur. ambulat verò Filius Dei Iesus Christus in medio septem candelabrorū aureorum: tenet septē stellas in dextera sua: accipit, & aperit librum, atque soluit illius septem signacula. quia in Filio creati sumus, in Filio regenerati, in Filio perfecti filij Dei. & quicquid habemus à Patre, & à Spiritu sancto, in Filio, & per Filium habemus. & quicquid sumus, per ipsum sumus, & erimus. Quamobrem dū omnia existunt, dicuntur, & fiunt in Christo, etiam septem Ecclesiae dictæ sunt esse in Christo: atq; nunc, quæ earum sunt, dicuntur descripta in libro Christi: & quæ efficientur, per Christum effici, donari, & præstari quæ sua sunt, & quæ Patris, & quæ Spiritus sancti. Quibus ex rebus patebit ratio, quare post apertitionem sigillorum prodeant tuba canentes septem Angeli, ut omnis effectio Spiritus sancti in ministris Christi per Christū intelligatur perfecta. de qua re non opus erit tunc multa verba facere, sed sequi quæ erunt temporum, & ætatū effecta, & perfecta à Deo per Spiritum sanctum in Christo Iesu. Atque nunc his omnibus generatim expositis, separatim in septem sigillis huius sexti capitilis, & deinceps, contemplabimur opera Christi in suo libro, quæ egit in suo secundo aduentu, & quæ acta sunt priùs toto tempore post primum, & quæ ante suum primum aduentum in carne. ut ratio quæ dicta est septenī numeri repetiti in septem Ecclesiis, in septem sigillis, in septē Angelis

**A**ngelis tuba canentibus, habeatur: atque ubique Pater, Filius, & Spiritus sanctus, unus Deus cognoscatur ex opere ipsorum distincto, & mutuo, ac coniuncto.

*Et vidi cum aperuisset Agnus unum. Quid signetur in sigillis, dictum est ante, & capite superiori. Agnus aperit sigilla, quia ipse est verbum, & de ipso est Propheta. & cum venit in carne, praestitit quae nuntiata fuerint de suo primo adventu: & postquam ascendit in celum, effecit quoque ipse qui claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit; illa quae de suo statu Euangelico sunt nuntiata, & de suo secundo aduentu, tempora fututa post suum ascensum in celum diuidens in septem etates; ac opera sui secundi adventus in septem tempora: illas etates, & haec tempora signans in septem sigillis; item tempus septem tubis.*

*Et audiui unum de quatuor animalibus. Loqui inducuntur quatuor animalia, ut Filius in suo Euangelio loqui futura, illa efficere cognoscatur. quare autem unum Euangelium expositum sit quatuor libris, atque consignatum in quatuor animalibus, dictum est in libris Legis. hic præterea videatur querendū antequam verba exponantur, quare dum septem sigilla aperiuntur, quatuor etates primæ ex septem, quae sunt status Euangelici, distinguuntur vocibus quatuor animalium. item quare opera secundi aduentus Domini distinguuntur pariter septem temporibus, & quare quatuor prima tempora tribuantur predicationi quadraginta annorum; siue quatuor quoque equis ostensis à qua-*

tuor animalibus, non solum tubis. Primum illud  
 constat ex interpretatione Euangelistarum, inesse  
 in Euangeliō Prophetiā, ut in libris Prophetarum.  
 ergo hoc debuit fuisse significatū. Vnde Isaias dum  
 agit de prædicatione Euangelica, distinguit illam  
 quatuor animalibus alatis: idē egit Ezechiel; idem  
 actum est antè à Ioanne cap. 4. nam in alis signi-  
 ficantur progressus operis, & temporis prædica-  
 tionis. qui progressus consignantur à Zacharia in  
 equis. vnde inducit Ioannes hoc capite sexto ani-  
 malia quatuor ostendere sibi quatuor equos, in qui-  
 bus cursus velox indicatur prædicationis; quique  
 dicuntur in Zacharia perambulare terram. quod  
 signent & ætates, ac tempora, patet hoc in capite,  
 & infrà, vbi in septem tubis opera distincta ponun-  
 tur diuersorum temporum. Quia iam animalia  
 assumuntur ad exponenda futura, significatur &  
 in Euangelistis inesse Prophetiā, præsertim distin-  
 ctius eorum quae sunt prædicationis Euangelicæ,  
 quae debuit esse in statu Euangelico, ac in secundo  
 aduentu Domini, quando terum ipse Christus de-  
 buit illam repetere in suis membris: ut apertis ver-  
 bis docuit Christus cap. 24. Matth. & 13. Mar. at-  
 que interpretatio patefaciet totam narrationem  
 Euagelistarum fuisse quoque Prophetiam. debuit  
 ergo Euagelium, cum quo venit Lex, ostendi simul  
 cum vaticiniis Prophetarum percurre tempora,  
 & nuntiare futura. Vnde cum numero septeno  
 comprehēdantur futura, inducit Ioannes quatuor  
 animalia exponere quatuor primas ætates secundi  
 status Filij: item quatuor tempora prima operum  
 secundi aduentus Domini; reliquas tres ætates, ac  
 tria

tria tempora copiosius exponunt Prophetę. vt quę  
 sunt secūdi operis Domini per virgam ferream ad  
 ipsos in primis apertiū pertineat narrare, ad Euān-  
 gelistas verò magis quę sunt prædicationis Euan-  
 gelij, dum vtrique sunt Euangelię, & Prophetę.  
 Vnde dixit Christus Apostolis, Spiritū ducturum  
 ipsos in omnem veritatem, & sibi nuntiaturum fu-  
 tura. Euangelium pacis nuntiarunt & Prophetæ,  
 ac nuntiabunt Prophetica tenentes. Quamobrem  
 quando nūtiata ab Euangeliis, & Prophetis eue-  
 nerint, ac vtrorunque Prophetia fuerit aperta mi-  
 nistris Christi, vocabuntur hi ex numero viginti  
 quatuor seniorū. Quomodo præterea sibi respon-  
 deant Prophetæ quatuor maiores, & Euangeliæ  
 in exponendis his quę sunt vtriusque aduentus  
 Domini, dictum est in Matthæo. Distinguit autem  
 hic Ioannes in numero quaterno Prophetiam Eu-  
 angelistarum à Prophetia Prophetarum, dum il-  
 lam exponit in quatuor animalibus dictis antè, &  
 in quatuor equis: & hanc rebus aliis. item infrà  
 distinxit septem tubas simili ratione, quodd primæ  
 quatuor canant certa opera distincta ab aliis tribus  
 dictis Væ, væ, væ. & hæc distinctio aperta ponitur  
 ca. i. Ezecl. vbi quatuor animalia dicuntur ambula-  
 re, vt signetur Euāgelica prædicatio, & eius opus in  
 secundo aduentu Domini, ad quā accedūt duæ ro-  
 tæ, & iris. vt extet septenus numerus Mosis, & Ioā-  
 nis. dū verò tria dantur Prophetis, datur & septē:  
 quia quos tres status cōplectitut Prophetia, in ipsis  
 assumit septē ætates. & quatuor animalia dū assu-  
 mūt quatuor libros Legis, quatuor Euāgelij, qua-  
 tuor maiorū Prophetarū, assūmūt & quę sunt Le-

gis, & quæ Euangelij, & quæ Prophetiæ: quæ sunt status Circuncisionis, quæ sunt status Euangelij, quæ sunt status apertæ Prophetiæ: ergo assumit & tres status, & septem ætates, & septem tempora. Vnde Ioānes scribens Prophetiam filij Dei, ostendit ipsum ambulare inter septem cādelabra aurea, scribere ad septem Ecclesiæ, aperire septem sigilla, mittere septē Angelos tubis canentes. Et hic quoque aperit se ratio distincti, & mutui operis Patris, & Filij, & Spiritus sancti: item quæ ratio sit, vt eadem tempora narrentur in septem Ecclesiæ, in septem sigillis, in septem Angelis tubis canentibus: atque in septem Ecclesiæ assumantur ætates ductæ prima ab Abrahamo, non solum ab ecclesia Apostolica, in quas conducantur & septem tempora prædicationis in secundo aduentu Domini: in septem sigillis simul quæ sunt ætatum superiorum, & quæ sunt prædicationis secundi aduentus Domini: in septē Angelis tubis canentibus, dum septem tempora narrantur operis Domini in secundo aduentu, in illa inducuntur & ætates superiores status Euangelici. vt & hinc mutua opera significantur, & distincta Spiritus sancti: vt distincta, & mutua indicabantur Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ad quatuor animalia iam redeūtes, commodè per illa quatuor primæ ætates exponuntur, item prima tempora repetitæ prædicationis Euangelicæ. quia in ipsis significatum fuit & ipsum tempus Apostolorum prædicantium, & tempus Martyrum, & tempus Sylvestri, & tempus defectionis Ecclesiasticorum à Christo vi gente prædicatione Euangelica. post cessante illa publicè

publicè vigere, sequuntur tres ætates venturæ sub iudicium Domini expositum in Prophetis. item coepit prædicatione in secundo aduentu Domini primum animal ostendit equum album, dum in Luthero, & aliis vincit Christus, & progreditur prædicatio. secundum animal ostendit equum rufum, dum vigente prædicatione Inquisitio & tyranni interficiunt credentes. tertium animal ostendit equum nigrum, dum persecutio probantur multi, & sunt qui deficiunt à vita, & à doctrina: homo niger Papa per concilium primum Tridentinum sua pro Euangelicis promulgat. quartum animal ostendit equum pallidum, in quo pallida mors signatur eorum, quibus dicitur: Qui non cediderit, condemnabitur: & credentibus præter cateros adest Papa Paulus quartus Carafa equus pallidus. & hæc quatuor tempora ducentur in quadraginta annos prædicationis, seu illi quadraginta anni distinguuntur in quatuor tempora: primum ut indicetur in Euangeliō esse Prophetiam de secundo aduētu Domini: & prædicationem secundi aduētus Domini fuisse eandem, quæ in primo: & quæ est secundi, fuisse denuntiatam in primo: indicaretur prius oportuisse prædicari Euangeliū, deinde illa effici quæ narrantur in Prophetis de secundo opere Christi in eius secundo aduentu. quæ quidem in toto Euangeliō sunt significata, & apertis verbis distincta cap. 24. Matth. & 13. Marc. dum quæ sunt Prophetarum breuiter & summatim colligit Christus, atque monet prædicationem Euangelicam antecessuram. præterea est ille numerus, & tēpus

datum pœnitentiaæ , vt vidimus in prædicatione Ionæ, vt præterea Mosem, Eliam, Christū, quadraginta dies & noctes non edētes . & in diuisione quadraginta in quatuor significatur repetitio Euangelica, & illius inculcatio perpetua & perfecta, præsertim iudicio magno in gladio & igne futuro statim. Quæ erunt alia , dabit Dominus per alios, & alio tempore. Cùm expositum sit quatuor ætates, & tempora quatuor signata sint in quatuor animalibus, & equis: & quæ sint illæ ætates, & tempora, facilius quæ dicuntur assequemur.  
*Audiri unum ex quatuor animalibus.* Quæ nuntiata fuerant in Mose de credentibus Euangeliō, veluti in Abrahamo de semine futuro credentiū, apparēt in Apostolis, & in eorum discipulis, qui appellati sunt filij Dei, & semen sanctum. Vnde hīc videtur aperiri tempus Apostolorum, quādo eorum discipuli prædicabant Euangeliū. in quos animaduertebatur quidem ; sed non ita , vt post factum est à tyrannis, quando edicto publico in omnibus terris iubebantur interfici omnes profentes Christum. *Tanquam vocem tonitrii.* Prædictio Euangelica longè lateque auditur: nec sine contentione, conflictu, & cōcussione pugnatum. fama de cultoribus Dei , de Patriarchis, de Israëlitis: vox Mosis, & Prophetarum: vox Pauli, Apostolorum, & Doctorū: vox Lutheri, & aliorum, fuit tonitruum auditum in toto terrarū orbē. de quo tonitruo dicetur & cap. 8. *Veni,* & vide. Qui se contulerint in studium diuiniverbi, videbunt, & cognoscēt magna opera Domini, apertientur illis sigilla. vnumquodq; animal repetit,  
*Veni,*

Veni, & vide. quia tempore Apostolorum, & aliis temporibus deinceps debuerunt Christiani pijs intueri quæ siebant in populo Dei , & illa in Dei verbo recognoscere. maximèverò debuimus nos, dum in secundo aduētu Domini prædicatur Euangelium , attenti esse in omnibus quæ fiunt, ac omnia recognoscere cùm in Mose & Prophetis, tum in Euangilio , ac in p̄t̄mis capite illo 24. Matth. & 13. Marc. 17, & 18, & 21, Luc. vt prætercam quæ monuerunt Apostoli . repetitur & quater Veni, & vide ; quò, vt quidem existimo, attenderent omnes qui audiebant prædicationem & tempore Apostolorum, & Martyrum, & deinceps: item qui nostro tempore eandem repetitam audierunt; attenderent, inquam , ne negligerent quæ sunt vitæ Euangelicæ; attenderent illud: Qui crediderit, saluabitur; qui non crediderit, condemnabitur: attenderent ministri verbi ne credētes, ne ipsi ab Euangilio abducerentur . & hoc vide- tur indicari in tertio & quarto equo. Debuimus simul nos venire ad Christum, ad eius verba; con templari quæ nunc loquitur, & agit; quæ agit, & loquitur singulis temporibus, dum vocat omnes in iudicium magnum.

*Ecce equus albus.* Cap. 19. in equo albo conspiciatur Christus: item simul & prædicatores, quorum doctrina & vita debet esse candida in Christo, & per Christū. apud Zachariam cap. 1. & 6. in equo albo significatur quoque prædicatio, quæ & hic similiter indicatur, vbi præsertim loquitur primum animal: & vbi existimo intelligi illud cap. 14. similem homini sedere super nubē candidam. vt can-

dor

dor ille sit agni immaculati prædicati à candido  
prædicatore. *Et qui sedebat super eum, habebat ar-*  
*cum.* Verbum Dei est arcus, & gladius, longè &  
propè attingens: vulnerans non credentes, ut pe-  
reant: penetrans corda ctedentium usque ad diui-  
sionē animæ, & spiritus. *Et data est ei corona.* An-  
tequam vincat, datur corona prædicatori ab illo  
qui eum mittit. quia quem mittit Dominus, non  
potest esse non victor. & quia in prædicatore agit,  
& loquitur Christus, data est ab initio corona, &  
victoria à Christo. *Et exiuit vincens, ut vinceret.*  
Verbum quod mittit Deus, non redit vacuum. hic  
igitur signatur Apostolorum, & horum discipulo-  
rum prædicatio: & illoruī qui cum Luthero per-  
seuerarunt tueri prædicationem Euangeliū; & qui  
dignè in ea se gesserunt, & secundū eam vixerunt.  
signatur & prædicatio promissionum Domini in  
Abrahamo, Isaaco, & Iacobo: item pugna Abrahæ,  
& Iacobi, qui vicerunt gladio suo, & arcu suo. hæc  
trina prædicatio fuit victrix contra impios, contra  
tyrannos, contra Papistas. apertaque sunt nobis in  
hoc primo sigillo quæ sunt promisionum Abrahæ  
per Euangelium: quæ sunt Prophetiæ in Euangeliō  
corum quæ debuerunt consequi statim post Apo-  
stolos, & initio prædicationis in secundo aduentu  
Domini. ut victoria prædicationis cœptæ in Luthe-  
ro, & aliis, sit apertio primi sigilli, dum comproba-  
tur eadem, quam prædicauit Christus, & Apostoli.

*Et cum aperuisset sigillū secundum, audiri secun-  
dum animal. Quod Euangelium prædicatum est in  
equo albo, ut per fidem renascemur filij Dei in Chri-  
sto: idem Euangeliū nuntians Christum victi-  
mam*

mam factum pro nobis, prædicat nos debere pati  
 cum illo, ut simul cum illo deinde glorificemur.  
 Quare secundo tempore siue ætate aucta fuit mi-  
 rabiliter persecutio per tyrannos in omnibus locis  
 contra martyres, auctaque per Papam nunc, & per  
 tyrannos, dum ab his in toto populo Christiano cœptæ  
 sunt credentes variis pœnis affici & morte, post  
 suscepitam prædicationem cœptam à Luthero. his  
 autem persecutionibus respondet Pharaonica &  
 Ægyptiaca seruitus, & oppressio populi Israelitici;  
 item pugna deinde contra impias gentes. eo tem-  
 pore non potuit esse pax inter Israelitas, & Ægypti-  
 os, ac impias gentes: diu tyrannorum sauitia in  
 martyres durauit: Papæ verò & Papistis nunc no-  
 biscum minus potest esse pax, quam olim Ægyptiis,  
 & gentibus cum Israelitis: tyrannis cum martyribus.  
 Equus enim rufus signat sanguiné prædicatorum,  
 & credentium; siue implacabilem animum, & in-  
 satiabilem crudelitatem erga Euangelicos, anno  
 1520. promulgat Papa Lutherum hereticum, &  
 eius prædicationi credentes hereticos, vt principes,  
 & populi perdant omnes credentes Euāgelio Christi.  
 Et datus est ei gladius magnus. Propter iudicium  
 quod cœpit à domo Dei, & desinet in pœna & cæ-  
 de impiorum, vt interficiant se mutuo, & is qui  
 venit de Edom inquinat sanguine vestimenta  
 sua, Isa. 63. Extra Ecclesiam impij pios interfice-  
 runt: in Ecclesia Iudæi & Christiani interficiunt  
 fratres. Quæ cœptæ sunt internotiones tempore le-  
 gis, & patrū, repetitæ tempore martyrum, instau-  
 ratæ tempore Papatus, auctæ nunc vehementiùs,  
 conuertetur tandem in impios ut omnis sanguis;  
 qui

qui effusus est ab Abelō venturus sit super ipsos.  
*Et cū aperuisset sigillum tertium, audiū tertium animal.* Postquam creditum est Euangelio , atque in illo tuendo sustinuerunt fideles afflictiones omnium generum, promittebat Euangelium p̄emia p̄aeclara , & insignia victoriae in Christo. qui assumpsit sibi regnum Romanum , in quo posuit Episcopum , quemadmodum posuerat Adamum in horto voluptatis , vt coleret hortum , ederet fructus; veruntamen ne attingeret lignum situm in medio paradisi : Papa administraret Ecclesiam, Imperator statum populi Christiani: perciperent verò ita fructus in suo munere, vt in administrando non facerent se Christos; non suis legibus , & arbitrio , motu proprio, vt aiunt , administrarent; sed Dei legibus , & iussu. quæ optio dabatur Adamo & Euæ, data fuit Episcopo Romano, Ecclesiasticis , & Regibus. Optio ergo hęc signatur in statera , vt ponderent Ecclesiastici , & alij ministri in populo Christiano , vtrum velint seruire Christo, an esse ipsi domini leco Christi. in equo verò nigro significabatur futurū , vt Papa pro veste nigra rubeam indueret, ac tenebras esset allatus in populum Christianum: quod & fecit. vt Adam induxit peccatum in mundum, ita Papa inobedientiam & defectionem à Christo. hoc verò exponetur capite duodecimo ab ipso Ioanne.

*Et audiū vocem.* Contra illud factum Papæ & Ecclesiasticorum clamant quatuor animalia . quia totum Euangelium id agendo violarunt, desierunt esse nati in Christo, conformari Christo in vita, & passionibus ; vincere seipso, & cupiditates, & Satanam:

tanam : desierunt Papa, & sui, esse ciues cælestes,  
ac domestici Dei: contraria suscepérunt: facti sunt  
Gentiles, vt prius fuerat. & hæc mihi videtur esse  
causa, cur vox vna è medio quatuor animalium  
audiatur: quia violauit Papa Euangeliū, totam  
que euertit eius prædicationē . nam dum dicitur,  
Chenix tritici denario , & tres Chenices hordei  
denario, existimo intelligi totam prædicationem  
verbi Dei , quantū à Papa & Satana effici potuit,  
fuisse sublatam; à Papa repudiatum ēternū Euangeliū,  
totā Dei legem , & quicquid locutus est  
Spiritus sanctus in diuinis literis . in tritico enim  
signauit Christus prædicationem Euangeliū, cùm  
dixit: Exiit, qui seminat, seminare: item, Regiones  
albæ factæ sunt ad messem . item : in Lege spicæ  
iubentur post se relinquī . quare h̄c per triticum  
prædicatio mihi videtur intelligenda . quod ve-  
rò dicatur Chenix tritici, & tres Chenices hordei,  
Euangelium intelligo, quod continetur in Lege,  
in Euangeliis, in Prophetia, siue Euangeliū præ-  
dicatum tempore Legis, tempore Euangeliū, tem-  
pore innouatae Ecclesiæ in euentis Prophetiæ. Si-  
ue dicamus, dum respuit Papa & sui Ecclesiastici  
Euangelium, respuunt promissa quæ cōtinentur  
in libris Mosis, & Deum Patrem; respuunt digni-  
tatem & gloriam filiorum Dei, & Iesum Christū:  
respuunt præmia futura , & dona Spiritus sancti,  
ipsumque Spiritum sanctū : pro nihilo habuerūt  
terrā desiderabilem, Psal. 105. hunc locum aperit  
nobis Ozeas cap. 3. dum dicitur Christianis alienis  
à Papatu, vt in quindecim agenteis retineant  
celebrationem Cœnæ, & memoriam Christi pro

se passi: atque in Choro hordei, dimidioq; Choro hordei prædicationem Euangelicam, Deique verbū, nam in Choro hordei signatur tertius statutus, & prædicatio Euāgelica in Prophetis nuntiata, in dimidio autem Choro hordei tempus medinm in secundo statu Filij, quando promulgabatur prædicatio ab Apostolis suscepta. quæ tota futura erat mediij temporis status Filij, & totius status Spiritus sancti. dico futurā medio tempore, quando & quam diu purē fuit nuntiata post Apostolos. quod tēpus vocat Daniel dimidium Hebdomadis. Ac si intueamur tēpus præteritum, non autem futurū solum, & agi dicamus de prædicatione, quam retinebant pij viri status primi Patris, & dimidiij status secundi Filij, fortè ita dicemus: iussum esse his, qui non facerent cum Papa, vt retinerent promissiones quæ sunt in libris Mosis: item gratiam suscepta Euangelij: reliqua quæ consequi deberét, expectarét, veluti in Ozea dicatur piis viris, postquā Ecclesiastici Papæ i recesserunt à cultu Christi, vt retineant ipsi quod sibi esset datum, chorū hordei, & dimidium chorū hordei: hoc est, ipsam prædicationem, quæ fuit primū Legis, deinde Baptismi usq; ad ipsorum tempus, quando cœpta fuit violari. ipsam retinerent, atque expectarent Dominum, à quo reliqua suscepturi essent. De Papa autem & de Ecclesia Romana loquendo fit mentio de chenice tritici, & de tribus chenicibus hordei, vt signaretur, dum prædicationem Euangelicam violarunt, violasse Legem, & Prophetiam: dum peccarunt in Christum, peccasse simul & in Patrem: dum pri-

priuarunt se prædicatione pura integrâq; , & gratia Filij , priuasse se omnibus promissionibus , & donis quæ obtinebuntur in statu tertio . *Denario.*  
 Violauit & respuit prædicationem , & gratiam Euangelij denario : respuit promissiones Patris , & præmia futura denario : ob auaritiam & ambitionem aspernatus est Papa munus suum : pro scutella lentis , pro nihilo habuit ius hæreditarium . Eadem persistenter reliqui propè Papę agere , qui consecuti sunt . ac multò magis nostro hoc tempore repetitę prædicationis Christi , prohibuit Papa cum suis Ecclesiasticis & Principibus prædicationem Euangelicā , & libros in quibus illa contineretur iam innouata : quantum potuerunt , & quibus potuerunt , prohibuerunt sacra Biblia : interfecerunt quos potuerunt Euangelicam doctrinam repetentes , & se Euangelicos profitentes . Dum ad stateram reuocatur veritas , & Cōcilium cogitur Tridenti primū , ibi pro suo denario euerit Papa prædicationem Euangelicam . Episcopi pro denario quem habent Papa , permittunt Papę ut sua , non Concilij decreta , proponantur populo Christiano . historia doceat totius temporis Papatus , quæ egerit Papa contra omnes se ad doctrinam Euāgelicam , & munus Apostolicum reuocantes . *Vinum & oleum ne leseris.* Quarenius tu Papa pro denario respueris æternum Euāgeliū , Legem , Euangelistas , & Prophetas : quamuis doctores antiquos , qui fuerunt post Apostolos , Prophetas , & nuper prædicatores Euangelicos ; tamē non potuisti prohibere lectionem verbi Dei piis viris : non libros sacros veteris & noui testamenti

violare, quin verbum Dei remaneret integrum. id  
 enim vetitum fuit à Deo, contra cuius voluntatem  
 nemo venire potest. Spiritum sanctum non potest  
 prohibere Papa, quin impellat quos vult ad lectio-  
 nem verbi Dei, ad prædicationem illius, ad cultum  
 Spiritus, quantumvis multa sibi promittat Papa.  
 Ophni & Phines cum patre non potuerunt effi-  
 cere, quin Samuel obtineret suum locum: nec ver-  
 bum, quod Deus in eo locutus fuerat, impedire.  
 hos multi imitati sunt usque ad eos, qui Christum  
 crucifixerunt: ut Saul, ut alij parum prij reges: ut  
 populus & ante captiuitatem, & post captiuitatem.  
 Post Apostolos Ecclesiastici Papæ semper auxerūt  
 eandem impietatem. Haec tenus exposita sit senten-  
 tia tertij sigilli: in qua adhuc videtur querendum,  
 qua ratione equus niger ponatur pro tertia ætate,  
 incipiendo earum numerationem ab Ecclesia A-  
 postolica, quando tertia hæc ætas fuerit Ecclesia  
 tempore Constantini, in qua pius cultus prodierit  
 in lucce facta ipsa libera; ac mulier fuerit visa vestita  
 sole. quomodo pro denario defecit à Christo tunc  
 Ecclesia illa vestita sole? verum hoc quidem est, sed  
 tunc facta fuit diuisio signata in statera. Syluester,  
 & alij Ecclesiastici reuocarunt se ad denarium, se-  
 men a ute[m] mulieris vestitæ sole petiti deserta re-  
 tinens cibum verbi Dei, & vinum, & oleum. apud  
 illos ergo qui retinuerunt verbum Euangelicum,  
 fuit, & perseverauit pius cultus. atq[ue] ita fuit tertia  
 illa ætas; piorum. in Papa autem, & Papatu contrà  
 res se habuit. Papa induit vestem rubeam crudeli-  
 tatis priorum tyrannorum; quæ si non tunc, at  
 post in successoribus exarsit. ac dum extra rubet  
 Papa,

Papa , & collegium Cardinalitium , intus sunt tenebrae : & haec offenduntur vniuersae Ecclesiae , & prædicationi . atque ita duæ Ecclesiae deinceps perseverant , Babylonica Papæ , & Apostolica mulieris ductæ in desertum . Et haec prodiens nunc in publicū , venit cum Papistica in iudicium , vt de utræque iudicium fiat . quomodo autem facta sit diuisio harum duarū Ecclesiarū , exponet Ioannes cap . 12 . iudicium cap . 17 . Interea vox quæ exit è quatuor animalibus , est ipsum Euangelium , quod distinguit veram Ecclesiam à falsa .

*Et cùm aperuisset sigillum quartum . Quartum tempus significatur in equo pallido , quando non multò post quam Papa induit vestem rubeam , facta est Ecclesia Romana alia ab Apostolica : nec vindetur fuisse interuallum temporis longum ab ætate tertia ad quartam , vt non fuit in Adamo à tempore quo ingressus est in paradisum , & dum peccauit . Et vt Adam peccando incurrit in mortem , ita Ecclesia Romana cum Papa fuit mortua , & mortem attulit omnibus secum facientibus , dum scepitam vult esse prædicationem Euangelicam , dum admittit in populum Christianum ceremonias Iudaicas , & cultum impiarum gentium antiquum . moriuntur ergo Papæ in cessatione prædicationis , & descendunt in infernum . pertraxit enim Ecclesia Romana & Papa alios in cultum Diaboli , in mortem , & in infernum , dum per tempus , & tempora , & dimidium temporis vera Ecclesia incolit deserta : dum sacrificium , & hostia , verus cultus Euangelicus desit in communi conuentu , & publico ; dum Christus differt aduentum suum*

secundum. & cùm id dicam, non intelligo omnes  
sub Papatu fuisse perditos: quia vidi multos &  
viros simplices, qui in vita & morte retinuerunt  
illud firmum, vt in misericordia Dei per mortem  
Iesu Christi sitam haberent fidem de sua salute.

*Et data est illi potestas interficiendi supra quar.* Dum  
commoratio & vita Ecclesiasticorum debuit esse  
in cælestibus; dum debuerunt efficere vt itidem  
esset vita totius populi Christiani, ipsi terreni facti  
& gentes, vt prius fuerant antequam Christum  
cognoscerent; cogut ut possunt omnes idem esse,  
quod ipsi sunt. atque eos interficiunt qui à se re-  
cedunt, ac se conferunt ad prædicationem Euan-  
gelicam. idque agunt supra quadrantem terræ: hoc  
est, super totum populum Christianum diuisum  
in quatuor orbis partes, obtinentē terminos duo-  
decim tribuum Israel. quæ tribus positæ sunt ad  
Ortum, Occasum, Meridiem, & Septentrionem.  
*Gladio.* Non solùm singulos credentes percutit Ec-  
clesia Romana fidos Christi; sed semper impulit  
in arma principes, & populū Christianum. *Fame.*  
Nec auit populos sua authoritate Ecclesia Romana  
cultum impium constituendo, & Ecclesiam Chri-  
stianorum priuando prædicatione, qua omnes, qui  
saluantur, saluari oportet. *Et morte.* Multos igne  
combussit, ac multis generibus mortis sustulit ē  
medio. *Et à bestiis terra.* Per magistratus politicos  
interfecit Ecclesia Romana non solùm priuatim  
& seorsum quosdam; sed & cedès vniuersales fecit.  
Vt Christus permisit Papæ & Ecclesiae Romanæ,  
vt interficerent Euangelicos, permisit & vt à Poli-  
ticis interficerentur. Hæc omnia quæ dicta sunt

de quarta ætate, quando Papa cœpit ut tyrannica  
authoritate, eadem intelliguntur peracta quarto  
tempore prædicationis Euangelicæ. quæ vis Anti-  
christica maximè viguit, & aucta fuit Papa Paulo  
quarto Caraffa obtinente Papatum, & aperiente  
aditum ad perturbationes quinti & sexti tempo-  
ris, ut ostendetur cap. 16.

*Et cum aperuisset sigillum quintū, vidi sub altare.*  
*Ætas quinta cap. 1. Gen. tribuitur tota bestiis. vn-*  
*de quinta ætate quando tyrannis Papæa fuit fir-*  
*mata, & aucta per Carolum magnū, propè abla-*  
*ta fuit cognitio Euangelij; & propè omnes facti*  
*fuerunt ut animantia rationis experitia, delierant*  
*tūc Euangelij defensores, & boni doctores aper-*  
*tè loqui. iccirco cap. 13. vbi exponitur hæc ætas*  
*quinta, bestia surgens è mari, & bestia terrestis di-*  
*citur dominari; reliqui gestare imaginem bestiæ.*  
*hę autem bestię vim suam ostenderunt maiorem*  
*tempore quinto prædicationis Euangelicæ repe-*  
*titæ, quando ortæ sunt perturbationes Gallicanæ,*  
*& Belgicæ: in Italiam ducta fuit inquisitio Hispa-*  
*nica: concilium fuit secundum Tridentinum, in*  
*quo machinata est Ecclesia Romana pestem cor-*  
*porum, & animarum, ut infrà dicetur. Hoc quin-*  
*tum tempus videtur ductum ab initio perturba-*  
*tionum Galliarum usque ad cædem Gallicanam*  
*anni 1572. seu à Papatu Pauli quarti ad eandem*  
*cædem Euangelicorum. Quæ autem internecio*  
*Euangeliorum facta fuerit hoc quinto tempore*  
*in Gallia, & in Belgico, historia doceat, tempore*  
*Eliæ multa contigerunt similia, & deinde tempo-*  
*re aliorum Prophetarum. Vidi sub altare. Non re-*

petam h̄ic quæ multis in locis veteris Testamenti dicta sunt de altari: vnde varia interpretatio elicī possit. illud tātūm dicam: Altare videri h̄ic mihi ponī pro Christo, pro eius pio cultu, ac sacrificio spirituali, cui præsit Ecclesiasticus ordo. Si altare pro Christo capias, intellige membra Christi cultum Christi tuentia interempta ab Ecclesiasticis. quos latuit aliquando, illos quos combusserunt, fuisse membra Christi, & iam non latet oppugnantes veritatem cognitam. Dum verò in altari simul intelligis piūm cultum, ac verum sacrificium, noscas sub altari decidere cineres sacrificij, quod super altare mactabatur Deo, & concremabatur in odorem suavitatis. hinc dictum cognoscamus sub altari animas interfectorum propter verbum Dei clamare: quodd ab Ecclesiasticis ob piūm cultum Euāgelici sint cōcremati, in quose sequi verbum Dei contendebant: & ob testimonium quodd testarētur esse verbum Dei, quod loquebantur; verum cultum, & veram prædicationem Euāgelicam, & Apostolicam, quam nuntiabant. vt vidimus factum. Dum autē sunt perturbationes Gallicanæ, & bella perseverant, & magna sit internecio Euāgelicorum, clamāt hi:  
*Quousque, Domine, qui sanctus es, & verax. Et pertinet, vt Christus præstet promissā, liberet iam se à tyrannide Antichristica, & à cædibus. nunc tandem, quando venit, ac cœpit virga ferrea agere; adsit iudex, qui in veritate iudicaturus sit orbem, vt dicant: Tu qui es Christus Dominus omnium seculorum, non autem Papa, non quisquam alius tyrannus: es sanctus, qui præstas omnia quæ locutus*

cutus es verbo tuo sancto in omnibus diuinis scripturis: es verus, qui verbum tuum nuntiasti, & verum eius cultum, & in veritate omnia iudicas; debes hoc tempore iudicare causam nostram veram. quum sis Dominus, quum potens, quum promiseris, debes pro eadem veritate stare quam prædicasti; iudicare ac punire illos qui habitant in terra; eos qui facti sunt terra: facti sunt gentes, ut olim fuerant: alij ædificatores turris Babel, cōburentes Dei cultores; alij Esau, Pharaones, Philisthei, Antiochi, Nerones, Dioclitiani, & similes. ac, ut extat in Prophetis, sunt facti illi, qui se interficiebant, quum suscepissent Euangelium. Et hec pertinent ad cap. 4. lib. 4. Esdr. & ad Psal. 44. *Et datus sunt singulis stola alba.* Prophetis, qui propter verbum Dei passi sunt: Christianis ante, & nunc, passis propter idem verbum, præmiū manet certum. vt in Christo videlicet passi, in Christo iustificati inueniantur, ac in eo glorificantur. interea vt interfectores Prophetarū fuerunt puniti, punientur & Papistæ. sed expectandum est vt perficiatur iudicium Domini in domum suam: interficiantur qui interficiendi sunt in aperiōne sexti sigilli. hoc est, à tempore cædis Lutetianæ anno 1572. & deinceps dum vñ secundum, & vñ tertium adductū fuerit in magna perturbatione. in septimo sigillo erit finis.

*Et vidi quum aperniisset sigillum sextum.* Hic describitur sexta ètas ante Hieronimum Sauonarolam ducta illa ab Abbe Cirylo, & Ioachimo; seu ab Albigeris: & sextum tempus à prædicacione Lutheri, quando in Galliis ab anno 1572. 24.

Augusti factæ fuerunt cædes Euangelicorum vniuersales, & deinceps fuerunt bella & occisiones, tandemque inducta est magna perturbatio. In terremotu signantur cædes vniuersales, in quibus populi, & status publici in seditione, & perturbatione venturi sint: cædibus, & igne miscebuntur omnia. hinc dixit Christus: Erit tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi. erit tempus angustiæ, ait Daniel cap. 12. quod non fuit antè. commotione commouebitur terra: agitatione agitabitur terra: contritione conteretur terra, clamat Isaias cap. 24. in Prophetis aliis multa de hoc tempore extant. *Sol factus est niger tanquam saccus silicinus.* Qnum Euangelici interficiuntur, & erit ubiq; multis in locis plurima mortis imago, status ipsorum tenebris inuoluetur: & ubi non erunt cædes, erit timor, & tremor; ecce & in statum Papisticum inuadent tenebrae: Ecclesiæ Romanae status concutietur Papa: qui fuit tanquam Sol in mundo: atque Ecclesia Romana, quæ ab imperitis habita fuit pro muliere amicta Sole, de qua agitur cap. 12. cognoscentur tandem fuisse dracones, & tenebrae: cadentque de sua autoritate, & fiunt obscuri. erunt tanquam hi, qui oppressi calamitatibus sacco inuoluti cælestium & terrestrium misericordiam implorent. Et Luna facta est ut sanguis. Reges, & principes, & status politici bello inuoluti, se & alios sanguine comaculabunt. Et stellæ de celo cadent super terram. Doctores, prælati, duces, & in altioribus gradibus constituti, & auctoritate pollentes in Ecclesia, & in populo cadent, ut ficus, qui grossi appellantur,

tur, & sunt; tanquam magno vento flante cadunt ex arbore: ita illi deturbabuntur è suo statu vi perturbationis, & tempestatis futurę agitati & inuoluti. *Et calū recessit sicut liber qui conuoluitur.* Statutus prior Ecclesiasticus inuoluetur totus illa tempestate, nec vlt̄rā emerget. *Et omnis mons, & insulae ē suis locis mota sunt.* Reges tyranni deturbabuntur è suis solis: Duces, & Principes, & Cardinales, & alij similes ditiones decident è suo statu: magni & parui è suis sedibus mouebuntur ex ea tempestate, & commotione populi Christiani. *Et reges terra Erminia explicat h̄c Ioannes quid intellexerit per montes, & insulas.* *Absconderunt se in speluncis.* Ex hac similitudine vim magnam vexationum exprimit. qua similitudine usus est antē Isaías cap. 2. vers. 21. atque etiam petent latibula homines in montibus, & sylvis. *A facie sedētis super thronum.* H̄c omnino significatur secundus aduentus Domini, atque eius iudicium contra domum Dei, & contra Papatum. quod non aduerterunt prop̄ omnes, ut dixit Christus: Cūm venerit Filius hominis, putas quōd inueniet fidē in terra? sub sexta tuba h̄ec repetentur.

*Argumentum in Caput 7.*

Antequām fiat iudiciū, & intereat in eo multi, secernuntur qui sunt futuri Ecclesia Christi, & cum eo regnaturi.

*Post h̄ec.* Quia sexto tempore fiunt illa in perturbatione magna, quae dicta sunt in superiori capite, & est magnum iudiciū; fitque separatio eorum & qui futuri sunt ad dexteram, & qui futuri sunt ad sinistrā; exponitur h̄ec separatio, & quo-

modo fiat, & quomodo apparitura sit post iudicium peractis magnis cædibus.

*Vidi quatuor Angelos.* Mihi videtur hîc ostendi antequâm magna perturbatio insurgat, futurum aliquod tempus quo quiescant homines perditi, ne statim inducant tanquam mare æstuans populum Dei in magnam tempestatem, qua mergatur vniuersus : futurosque Euāglicos inter spem, & metū. vt vidimus euenisse in Gallia ab anno 1570 usque ad 1572. siue post cædem illam Gallicanā usque ad magnam perturbationem per Papatum inuestitam . quod videtur significatum in quatuor Angelis tenentibus quatuor ventos terræ, & prohibitis nocere , antequâm signentur qui non sint perituri. quatuor Angeli, & quatuor vēti ponuntur, vt vniuersalis vbiique significetur perturbatio, vastatio & interitus, quod ita videtur intelligendum, dum ait : Neque super terram, neque super mare, neque in yllam arborem. hoc est, ne adhuc status Politicus, & Ecclesiasticus, & Reges omnino perdantur iudicio cœpto à domo Dei , & excurrente in peccatores & impios . & hîc duo aduertuntur: primum, Deum dare spatium ad pœnitentiam, & mittere monitores : vt fuit factum ante cædem Gallicanam anni 1570, & post. deinde nullam vim esse, & quæ possit aliquem tueri, quin incidat in manum Domini : & quæ valeat eum perdere, quem Deus saluare statuerit. vt inde non casu, non fortuna dicas esse factum, vt hic incolumis euaserit, ille iudicium Dei subierit.

*Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis.* Christus custoditus est suos in magna illa pertur-

perturbatione, quemadmodum fecit in cæde Gallicana anno 1572. in quā non omnes occisi fuerūt Euangelici; seruati fuerunt multi, qui cap. 9. Ezecl. dicuntur fuisse signati signo Thau. ab ortu Solis dicitur Angelus ascendere, vt illi seruandi videantur, qui Patres, & Apostolos, & Christum secuti fuerint: quibusque firma sit illa promissio, Qui crediderit, saluus erit: & quibus offertur spes magnæ lucis ab ipsis conspiciendæ in reuelatione Iesu Christi, afferentis in suo secundo aduentu promissa in Lege, & in Euangelio, & quæ promittuntur in hoc capite. *Qui habet sigillum Dei viuentis.* Christus qui nouit quid quoquo tempore fieri debeat; siue Christus, in quo agit Pater quicquid statuit futurum in mundo, & in Ecclesia: estque imago Dei inuisibilis; qui est haeres, & rex, & administrator. Sin aliqui ministri Christi, & nō ipse Christus, intelligendus sit in hoc Angelo, qui nuntient statum futurum Euangelicorum, vt omnes parati sint singuli lucernam suam ardenter tenentes expectando Dominum suum; dicentur hi ascendere ab ortu Solis, quod videant in Scripturis sanctis statum futurum regni Christi, & suorum, tenentes sigillum Dei viuentis, prædicantes illum tam, qualem hæc tenus ostendimus, ac videntes euenterum futurarum in sexto, siue septimo tempore: habent esque in ea re vocationem. veluti antea fuerunt in Ecclesia Prophetæ, qui nuntiarunt futurum in magna tempestate, vt si tres fuerint in uno lecto, malus qui fuerit in medio, rapiendus sit à turbine superstribus duobus illum circumplexentibus. omnino autem in sigillo Dei viuen-

tis intelligimus , quod est filij Dei , qui est imago  
Dei Patris , in qualimagine credentes formati sunt  
filij Dei: qui debebunt apparere , quādo in regno cū  
Christo constituentur hæredes . *Qui clamanit voce  
magna .* Per totum terrarum orbem excurret vox  
hæc magna Christi incumbentis suo Spiritu supra  
omnes mortales: vt prædicetur saluator credenti-  
um in magnis perturbationibus , & terræ commo-  
tionibus . quæ vox cognoscetur in omnibus sacris  
libris , ac fuisse ab initio in his qui prius propheta-  
runt , & esse nunc in omnibus credentibus . *Nolite  
nocere terra , &c.* Manifestum fit Christum Iesum  
seruare suos , dum perit magna multitudo: & ante-  
quam in turbinem ac tempestatem vocentur sta-  
tus politici cū Ecclesiasticis , signantur & statuun-  
tur quinam sint non credentes & peccatores ej-  
ciendi è regno Dei , & quinam credentes pij poti-  
turi illo . ac nuntiauit hæc omnibus ætatibus antè ,  
& nuntiat nunc verbū Dei eadem antequam fiant:  
vt hic sciamus , non casu remansisse in vita singu-  
los fideles , qui restabun in columnes postquam se-  
data fuerit tempestas bellica , & perturbatio quæ  
per omnes partes orbis terrarum manabit : non  
casu remansisse certas Ecclesias , non casu certos  
principes . Ac vt in Ægyptiaca clade primogenito-  
rum signatæ erat sanguine agni Hebreorū postes ,  
ita quisq; fidelis saluandus erit insignitus caracte-  
re filij Dei , dealbatus sanguine Christi . à quo vt ab  
eterna morte , ita per eundē ab illo incendio belli-  
co eripietur ab Angelis , qui characterem in quouis  
videbunt . nec inquisitio , nec ignis , nec ferrū , nec  
quidquam aliud cōtra fidelem valere inuenietur .

Et

*Et audiui numerum signatorum. Certū est apud Deum, qui numerat omnes stellas, & singularum nomina vocat, certum esse numerum fidelium. siue iam hic numerus proprius ac certus sit signatorum, siue numerus finitus ponatur pro infinito nobis, qui non sit infinitus apud Deum; nolo ego hic quicquam statuere. numerantur autem credentes sub nomine duodecim tribuum. quia nos Gentes credentes ingressi sumus in duodecim tribus, in Ecclesiā distinctionā in duodecim tribubus, ut cælum distinguitur illis duodecim signis, quos appellant, & domos. de qua re dictū est in Mose, & cap. i. huius libri. Vnde Israēlitas vocat Paulus credentes: quia Moses dixerat, terminos Gétium diuidendos secundūm divisionem tribuum filiorum Israël. Quare in prædicatione Euangelica vindendum est, quæ loca apud Christianos respondeant locis duodecim tribuum, cum sint facti filii Israël per fidem. quæ quidem loca si in prædicatione Euangelica non cognoscuntur, nisi generaliter ex euétu, quod simus ex duodecim tribubus nos qui credidimus, accedendum erit ad Prophetas. qui secundūm distinctionem factam à Spiritu sancto duodecim tribuum de nobis loquuntur. quæ distinctio in diuinis literis veteris Testamenti ter, & tribus modis fuit constituta. vno modo vidimus in Iosue: alio modo, vt fuit in populo Christiano obtinente Europam descripta, nam illa repetitio distinctionis, & collocationis duodecim tribuum tertio modo, vt distinguitur ab Ezechiele futura in toto terrarum orbe; voluit indicare distributionem primam factam in Syria: in qua*

in qua & illa significabatur, quæ fieri debuit in populo Christiano, ad quam respexerunt Prophetæ; atque tertia futura in toto terrarū orbe. vt ad ortum in Asia cognoscantur tres tribus: ad Septentriones in Europa tres: ad Meridiem in Africa tres: ad Occasum tres in mundo nouo, qui appellatur Zodiaceus, in quo distinguuntur duodecim signa, ducitur à Cancerō per Arietem, & Libram ad Capricornum. similiter duodecim tribus in cælo Ecclesiæ ducuntur ab Israële ad Christum, à Christi primo aduentu ad futurum secundum. nos ad tempus Lunaris regni, siue Israëlitici perducti sumus filij Iacob regenerati per Spiritum sanctum. Iacob fuit filius Isaac; nos per Spiritum sanctum regenerati in Christo: Isaac pater Iacob fuit filius Abraham; nos per Spiritum sanctum regenerati in Christo filij Dei patris sumus. quando venit Christus in medio temporum, cinxit se zona cælestis Ecclesiæ; assumpsit in se duodecim tribus ab Abraham usque ad postrema tépora: quod in Isaac facta fuisset promissio diuinæ benedictionis. Pater in Abraham semine posuit benedictionem futuram in duodecim tribubus. hic multa dici possunt: sed hæc pauca attigisse satis sit, vt pateat aliquo modo ratio duodecim tribuum extédi à Iacobo ad Christianos, & deinceps in regnum Israeliticum restitutum. Itaque Ioannes vt moneret nos de hac prophetica, vt in Prophetis cognoscemus nostra, & quæ sunt hoc tempore, memorat credentes nomine duodecim tribuum filiorū Israel, qui sumus nos: quia propriè credentes dicuntur Filii Israel. ubi tribus Dan non adest; sed eius loco succedit

Manaf

Manasses . quia Iudas Scariotes fuit è tribu Dan ,  
 in quam venit Papa : illius Episcopatum alter ac-  
 ceperit , & huius alter est accepturus , vt vidimus ca-  
 pite 22. Isaiæ : & vt noui Prophetæ nuntiarunt . Ve-  
 rūm hīc quæreret aliquis quomodo tribus Dan sit  
 repudiata , quandoquidem illa capite postremo  
 Ezechielis recenseatur in ordine illarum , quæ fu-  
 turæ sunt postremo tempore . breui respōdemus ,  
 quòd vt in Prophetis legimus Moabum , Ammo-  
 nem , Esau restituendos , ita & tribum Dan . idquæ  
 intelligitur in innouata Ecclesia , cùm omnia loca  
 à piis & credentibus tantùm obtinebuntur . &  
 tunc qui reuertentur ad Christum Ecclesiastici  
 Romæi , & quicunque Papistæ , venient in nume-  
 rum signatorum , & in regnū Christi . vt illis pro-  
 mittitur in fine primi capituli Isaiæ . non erit di-  
 stinētio personarum . qui factus Domini , recesser-  
 rit à Domino , peribit : qui alienus à Christo , fiet  
 Christi : saluabitur . fiet illud quod prædicare iu-  
 betur Ezechiel capite 3 . & 33 . Non inimicè inse-  
 ctor Papistas : vt verbum Dei intelligo , ita illud  
 expono ; ac doleo vicem illorum . qui errore du-  
 cuntur ; malitia autem in Christum peccātes , quis  
 probabit ? Quæ restant de numero tribuum , de  
 duodecim millibus , de 144000 . explicabunt  
 mysteria , qui sunt futuri in innouata Ecclesia : il-  
 lud tantùm addemus de numero 144000 . signa-  
 torum : quòd idem numerus ponitur cap . 14 . vbi  
 ætate sexta nuntiatur secūdus aduentus Domini ,  
 hīc liberandi significantur ab æterna morte . Et si  
 aliquid mihi esset dicendum , repeterem quæ dixi  
 in ornatu Aaronis de Vrim & Thumim : de zona ,  
 &c

& de ter repetito nomine Iehoua . itē quæ capite primo huius libri . vnde colligerem in singulis fidelibus futuram gratiam quæ fuit in Prophetis , & Apostolis , siue dicas in tota Ecclesia : repetetrem & illa quæ dicta sunt in p̄fatione in Exodum . Post hæc vidi , & ecce turba multa . His qui numerati sunt Israelitæ in duodecim tribubus , & inserti sunt in arbore , è qua absclisi fuerant Iudæi non credentes , adiungentur multialij qui p̄dicationi Euangelicæ crediderint , non solum ex his qui Christiani antè fuerint appellati , ac numerabatur in duodecim tribubus , respondéti bus duodecim tribubus antiquis Iudæorum , siue in has ingressis ; sed ex omnibus ḡtibus , & nationibus , & populis , & linguis , qui nunc promulgatae p̄dicationi Euangelicæ crediderint , & credent . In libris veteris Testamenti si rectè vidimus , intelleximus in quatuor prouincias trāslatas esse tribus quæ erant in Syria , in Germaniam , in Galliā cum Belgica , in Hispaniam , & in Italiam . & in his fuit aquila illa quæ describitur in quarto libro Esdræ trium capitum , & duodecim alarū , & octo subalarum . aliæ prouinciæ Europæ veniunt tanquam subalares . de qua re videatur interpretatio in Eldram . Ergo præter fideles Germanos , Gallos , Hispanos , & Italos , qui (vt existimo) numerantur in illis 144000. signatis , ex aliis prouinciis magna multitudo credidit : item ex Turcis , Persis , ex tota Asia , Africa , & ex terris nuper inuētis ad Occasum : qui omnes ingrediuntur in locum non creditum . Hi igitur omnes cum illis 144000. millibus signatis vocantur in ecclesiam Catholicon ,

cam, & in Christi regnum, iustificati per fidem, & dealbati ipsi quoque in sanguine Christi, victoria ferentes ex omnibus qui se persecuti sunt. qui aderunt in concilio Christianorum, & recognoscet salutem suam in Christo apud Patrem, quem solum Deum habebut, ac semper Deum suum profitebuntur, & Christum regem, ac Dominum suum aeternum. Atque hinc quoque significatur concilium totius populi Christiani, totiusque orbis. & ad hunc locum videtur pertinere illud Zach. 2. v. 4. Instar urbium absq; muro habitabitur Ierusalem praem multitudine hominum. *Et omnes e Angelis stabant in circuitu throni.* Hec eadem dicta sunt in fine capitulis quarti, & quinti: quae hinc repetuntur propter mysterium, & quod plura concilia futura sint. ut tandem cum cælestibus creaturis hominum futura sit conspiratio in eundem cultum, qui Deo prestatibit. *Et respondit unus de senioribus.* Dicitur respondit: quia cogitationibus nostris etiam respondit Christus, & Angeli eius. & haec mihi videntur dici, ut omnes credentes ex toto orbe, qui & passi sunt propter Euangelium in magna perturbatione bellica, censemantur ut priores credentes in numerum duodecim tribuum, & populi Christiani: qui adepturi sint regnum Dei, & possessuri illud ingressi (ut dixi) in locum Papistarum, & non credentium. Non esurient. Aderit expectatus secundus aduentus Domini: salus expectata; regnum Istraeliticum expectatum; quod expectarunt Patres antiqui: erit finis ærumnarum, & persecutionum: erit aureum seculum, & beata vita; in quam non ingredientur nisi qui habebut vestem

nuptialem: & tunc videbimus primos factos nostra  
uiissimos, & nouissimos primos . Non esurient  
Turce, & aliæ gentes beatam vitam vltra: quia in  
Christo habebunt illam, & erunt defensi ab omni-  
bus malis : fruentur bonis Christi sine anxia soli-  
citudine.

*Argumentum in Cap. 8.*

Instauratur narratio rerum antè denuntiatarū,  
ita ut certa ratione æternum Euāgelium assumatur;  
certa ratione narrantur quæ sunt prædicatio-  
nis, & temporis secundi aduentus Domini: atque  
exponuntur quæ sunt quatuor temporū à prædicati-  
one Lutheri usq; ad perturbationes Gallicanas,  
& nuntiantur tria vētriū temporū consequentiū.

*Argumentum aliud.*

In sigillo septimo intelligimus secundū aduen-  
tum Domini in Spiritu, & septimam ætatem, quæ  
distinguitur in septem tempora. vnde in septimo  
sigillo aperto prodeunt septem Angeli canentes  
quæ sunt secundi aduentus Domini. priùs ponit  
ur generatim ipsa prædicatio Euangelica instau-  
rata per Christum ad innouationem omnium:  
quæ deducetur in omnia tempora . deinde quia  
venit Christus in Spiritu, & est status Spiritus san-  
cti, in septem Angelis canētibus tubis exponun-  
tur summatim opera quæ septē temporibus fiunt,  
dum progreditur prædicatio. Exponuntur quidē  
hoc capite quatuor tempora, quæ sunt quadra-  
ginta & plus annorum , à prædicatione cœpta in  
Lutherò usque ad perturbationes Gallicanas , ut  
vidimus cap . 6. in quatuor animalibus , & qua-  
tuorequis. Primum capita doctorum Papistarum  
sunt

sunt fracta, victa disputationibus: fructus Ecclesiastici diminuti, dum tamen afflictiones & persecutione sustinent Euangelici. post Papae auctoritas minuitur, & nudinationes Ecclesiasticorum, dum patiuntur Euangelici morientes prima morte, perduntur non credentes, qui intereunt secunda morte. post habetur concilium primum Tridentinum, in quo Ecclesiastici a Christo deficiunt, & Ecclesiam perdunt: decreta haeretica supponunt pro Catholicis. quartum tempus est inquisitio Pauli quarti, quae parit tria va, & haec tria va nuntiantur in tribus reliquis temporibus.

*Et cum aperuisset sigillum septimum.* Quoniam in sigillis sex superioribus assumebatur aetas ab Apostolis usque ad secundum aduentum Domini; & simul sex tempora prædicationis in eodem secundo aduentu, quæ tempora respondent illis ætatibus; in septimo sigillo non tantum septimum tempus oportet afferre, quod respondeat septimo sigillo; sed & septem tempora describenba sunt. idque propter duas causas. primum quoniam septima aetas, quæ est secundi aduentus Domini, complectitur septem tempora operum quæ agi debuerunt in ingressu in ætatem septimam: quæ tempora, & opera distinctè debuerunt exponi. deinde quia ratio habenda est Spiritus sancti, qui est ostendendus unus Deus cum Patre, & Filio. nam in septem Ecclesiis ante dicebamus indicari Patrem creatorem omnium, in quo sit Filius, & Spiritus sanctus. in sigillis septem verbum Dei Filium, qui sit aeternus cum Patre, & Spiritu sancto. in septem iam Angelis tubis canentibus cognosci-

nius Spiritum sanctum manantē à Patre & Filio,  
 vnuq; Deū cū Patre & Filio, qui egerit omnia ab  
 initio quæ fuerunt Patis, & Filij. Vnde vt Patri  
 tributus est septimus numerus in creatione Eccle  
 siarū ab initio mundi ad finē usque: Filio item in  
 formāda Ecclesia ab initio mūdi ad finē usq; da  
 tusest septimus numer⁹: similiter Spiritus sanctus  
 eundē numerū in se ducit, à quo eadem Ecclesia  
 perficitur ab initio mundi ad finē usq;, vt in creā  
 do omnia omnibus ætatis & temporibus semper  
 fuerunt in Patre Filius, & Spiritus sanctus; in for  
 mando fuerit in Filio Pater, & Spiritus sanctus;  
 in perficiendo semper fuerit in Spiritu sancto Pa  
 ter, & Filius: vt vnu Deus appareat Pater, Filius,  
 & Spiritus sanctus ex ipso opere in Ecclesia, &  
 populo suo. Patri quidem tribuatur opus septem  
 ætatum mūdi ab Abrahamo, & antè usque ad in  
 nouatam Ecclesiam. quia verò venit Christus in  
 medio temporum, & septem sigilla ei tribuuntur  
 septem ætatum à suo primo aduentu in carne ad  
 secundū in Spiritu, reuocauit Ioannes capite pri  
 mo in prima visione opus Christi ad ætates septē  
 tributas Patri, vt vbi vidimus. dum verò Spiritui  
 sancto tribuitur in septima ætate tertius status  
 mūdi, & suum opus diuidit in septem tempora  
 operis secundi aduentus Christi in Spiritu, vt  
 Deus ostendatur cum Patre & Filio: antè assumi  
 tur Euangelium prædicatum à Christo, ac idem  
 Euangelium æternum prædicatum septem æta  
 tibus mundi, atque per Spiritum sanctum osten  
 ditur suppeditatum omnibus ætatis mundi in  
 Ecclesiis ante Deum Patrem. Et hæc videtur esse  
 ratio,

ratio, quod in apertione sigilli septimi videantur  
 septem Angeli, qui astat coram Deo cum septem  
 tubis, ut Pater & Filius ostendatur omnia egisse per  
 Spiritum sanctum: ac Spiritus sanctus cognoscatur  
 aeternus Deus cum Patre, & Filio: cognoscatur in  
 septimo sigillo, in septima aetate manare a Filio  
 quoque qui venit nunc in Spiritu ut Deus, qui in-  
 sufflavit, & dixit Apostolis: Accipite Spiritum san-  
 ctum. Et hec sint hoc loco posita, ad quae reuocabu-  
 tur multa quae interpretabimur in hoc cap. ac in  
 aliis. Videtur & aliae rationes ordinis venire hic  
 in contemplatione apud illos qui diuina meditati-  
 tur. Ut si ad aetates septem Mosaicas positas cap. 1.  
 Gen. reuocemus quae agit Ioannes cap. 1. de filio  
 Dei aeterno, de septem Ecclesias deinde, de septem si-  
 gillis, de septem Angelis tuba canentibus; ut visio 1.  
 capititis ponatur pro quarta aetate Mosaica, in qua  
 lucet Sol Ecclesiae omnium aetatum Dei Filius: septem  
 Ecclesiae pro quinta, in qua requiruntur quae esse  
 debet Ecclesiae Dei creatae Christo: septem sigilla  
 pro sexta, in qua nuntiatur missus secundus adactus  
 Domini; & aperiuntur summatim quae contine-  
 batur in prophetia, & mysterio: septem Angeli septem  
 tubis canentibus pro septima: in qua reuocantur  
 quae sunt nuntiata, & aperta aetate sexta, quinta,  
 quarta, tertia, secunda, & prima. hoc est, quae nun-  
 ciarunt abbas Joachimus, & alij: & Sauonarola  
 usque ad Lutherum: item Rabanus, & alij: Her-  
 ma, & alij: maximeque quae sunt Euangelij, & do-  
 ctrinæ Apostolorum; quae omnium Prophetarum,  
 quae Mosis, quae fidei Patrum. Et dum Ecclesiae,  
 sigilla, & Angeli veniant in numerum septenum,

illa de vno Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto si-  
gnantur quæ antè dicta sunt: vt vnu Deus sit Pa-  
ter, Filius, & Spiritus sanctus: in Pater sit semper  
Filius, & Spiritus sanctus: in Filio Pater, & Spi-  
ritus sanctus: in Spiritu sancto Pater, & Filius: in  
opere Patris sit opus Filij, & Spiritus sancti: in opere  
Filij opus Patris, & Spiritus sancti: in opere  
Spiritus sancti, opus Patris, & Filij. cognoscatur  
æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus san-  
ctus. idem dicas de potentia, & de aliis attributis  
diuinis. ætate postrema & septima non erit distin-  
ctio, vt antè, nec cōmutatio in vna Ecclesia: quia  
tunc omnia ad vnum æternum & omnipotentem  
Deum referes. quem, & qualem, & quantum co-  
gnoscere ac suspicere debeas, ostendent tibi quæ  
operatus antè fuerit in Ecclesia, & quæ tunc præ-  
stabit. Alius ordo mihi videtur considerandus se-  
cundūm rationem quoque Propheticam, & Mo-  
saicam: de quo initio 12. capititis pauca dicam.  
nunc videamus quæ dicat Ioannes de septimo si-  
gillo, & in eo de septem Angelis tuba canētibus.

*Et cum aperuisset sigillum septimum. In apertione*  
sigilli septimi intelligo totum opus secundi aduen-  
tus Domini: in quo aperiuntur Prophetæ in his  
quæ sunt aduentus Domini, & temporis iudicij  
Domini, ac restitutionis omnium, & separati,   
quæ distinctè aguntur singulis septem temporibus  
tributis operi Christi in suo secundo aduentu. vn-  
de datur aditus ad alia, vt aperiantur quæ sunt  
septem Ecclesiarum, & septem ætatū mundi, quæ  
cap. 1. Gen. nobis in ipso aditu diuinarum scriptu-  
rarum ob oculos proponuntur. *Et factum est silen-*  
*tium*

*tum in celo media ferè hora.* Existimo in apertione  
 sigilli septimi signari tēpus Hieronymi Sauonarole,  
 qui nūtiauit illa iam debere fieri quē sunt secun  
 di aduentus Domini: & simul reliquum tempus o  
 perum Christi usque ad Ecclesiam, & regnū Israe  
 liticum restitutum. quē tempora veniunt sub se  
 ptimum sigillum, quod comprehēdit septem tem  
 pora septem Angelorum tubis canentium: silen  
 tiū autem quod fuit media fermē hora, fuisse  
 tempus à prædicatione & contētione Sauonarole,  
 ad prædicationem, & concertationem cœptam in  
 Lutherō. quē deinceps durauit, ut vidimus. *Et vi  
 di septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datae  
 sunt illis.* Hic significatur prædicatio, vt dixi, cœ  
 pta in Lutherō; quē perseuerauit deinceps & in aliis.  
 & dicuntur Angeli stare in conspectu Dei, vt in  
 telligatur Spiritus sanctus, de quo in salutatione  
 dictum fuit: Et à septem Spiritibus, qui astant ante  
 thronum eius. vt intelligamus per quem Spiritum  
 sanctum egit Pater omnia omnibus seculis, per  
 eundem agat nunc filius Dei in secundo aduentu.  
 intelligas nunc venire filium Dei in Spiritu, & esse  
 Deum cum Patre, atque ab utroque manare Spi  
 ritū sanctum. *Et alius Angelus venit.* In hoc An  
 gelo mihi videtur signari Christus, qui repetat præ  
 dicationem quam prædicauit in carne, & quam  
 debuit repetere in mēbris suis in Spiritu veniens.  
 quæ dum promulgatur, fiunt illa quæ narrantur  
 futura dum quisque ex septem Angelis tuba ceci  
 nerit. Ergo in Angelo stante ante altare cū thuri  
 bulo aureo, signatur, vt mihi quidē videtur, præ  
 dicatio secunda Euangelij, quæ est eadem cum pri  
 ma,

ma, quæ continetur etiam in libris Mosis, & Prophetarum, non solum in Evangelistis. quam canere eandem videmur debere intelligere septem Angelos septem tubis canentes: ut efficiantur illa quæ dicuntur effici in sonu tubarum. Et hic ordo videatur esse, ut in apertione septimi sigilli septem Angeli tubis canant: quod scilicet post prædicationem Sauonarolæ sequatur prædicatores illam expondere, & propagare: ut Apostoli baptizarunt baptismocoepio à Ioanne, & secuti sunt promulgare prædicationem Christi. inducitur verò ipse Christus hic à Ioanne sub nomine Angeli indicare suam prædicationem à se nuntiatam in carne, repetendam in aduertu suo in Spiritu per os suorum prædicatorum, quemadmodum fecit in Apostolis postquam ascendit in cælum. *Stetit ante altare.* Ante Patrem stat Iesus, missus antè in mundum ad redimendum credentes: exhibet se Patri oblatum in cruce holocaustum. ut quemadmodum sua morte liberati sunt credentes à peccato, ita & nunc in magno iudicio propter eandem & à magna poena eximantur, qua vniuersalis orbis puniēdus sit. *Habens thuribulum aureum.* Qui obtulit carnem suam in cruce cōcremandam, ut placatum erga nos Patrem redderet; sanguinemque suum fudit pro peccatis nostris, & pro nobis orauit. Et data sunt illi incensa multa. Vocibus iam prædicatorū personantibus omnibus locis de salute donata in morte Christi, concursus magnus fit credentium ad Christum, ut in illo saluentur, ut in illo etiam patientur: saluati deinde obtineant remissionem peccatorum: & hinc producent gratiarū actiones, & laudes quas offerunt credentes

credentes Deo patri, ac Iesu Christo. *Et ascendit fumus.* Obtinet fides credentium apud Patrem per mortem Christi, & effusionem sanguinis eius remissionem quidem peccatorum; sed & ut ipsorum preces suscipiantur, & exaudiantur: gratiarum actiones, & laudes, quæ vna dantur à nobis sint ei gratæ acceptæque. Hoc est Euangelium, quod prædicauit Ioannes Baptista, quod prædicauit ipse Christus, & Apostoli; quod repetiuit Sauonarola, & Lutherus, ac alij explicarunt, & nuntiarunt. Et quia significata est prædicatio huius Euangelij in thuribulo aureo, etiam intelligendum est prædicatum fuisse à Mose, & à Prophetis: atque eundem Spiritū sanctum idem omnibus ætatibus mundi prædicasse Euangelium. *Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit.* Christus venit primò in carne in mundum: tunc igne altaris Dei confectum fuit sacrificium sui corporis: venit secundò in mundum in suis membris iudex viuorum & mortuorum: prædicatur iterum hoc Euangelium: ignis ardoris incipit à domo Dei comburere, ac dum progreditur prædicatio, iterum in membris suis concrematur Christus ab Antichristo. incensio ignis serpit & peruenit tandem ad impios, dum progressus maiores facit Euangelium. & quod credentibus salutem nuntiabat, affert condemnationem, & interitum impiorum, & non credentibus. nam quo iudicio, & igne torrida fuit caro Christi in cruce, & eius sanguis effusus: eodem est iudicandus orbis, pīj cum Christo torrendi, per ignem ducendi, & prima morte afficiendi: impīj autem quidam secunda, quidam

prima , & secunda multandi . Si enim Filio suo non pepercit Deus agno immaculato , nec membris eius in se sanctificatis , quomodo parcet impiis & impuris ? Missus est ergo Christus primò & secundò prædicaturus Euangelium in membris suis , ut per Euangelium saluentur credentes castigati , & perdantur non credentes puniti . Et ut prius venit in Elia Ioanne Baptista , ut nuntiaret eius aduetus ; ita nunc prius venit in Elia Hieronymo Sauonatola , ut nuntiaret septem tubas statim in mundo audiendas . *Et facta sunt tonitrua , & voces , & fulgura , &c.* Vidimus ab initio diuinarum scripturarum usque ad finem , sub cælo intelligi sepe Ecclesiam . ergo quæ fiunt in cælo , signant quæ facit Christus per Euangelium in Ecclesia . ergo tonitru fuit prædicatio Sauonarolæ , ut fuit prædicatio Ioannis Baptistæ : prædicatio Lutheri , & aliorum , ut fuit Apostolorum , & Pauli , & aliorum post : ut fuit Mosis , & Prophetarum . voces sunt populi credentes : fulgura sunt disputationes fidelium , qui voce & scripto ostendunt veritatem verbi Dei , ut hæc appareat ab una parte cæli , & ab alia è regione posita omnibus terram incolentibus : terræ motus sunt commotio Papæ , regum , prælatorū , & aduersariorum corruentium in prædicatione Christi . hæc fieri vidimus dum septem Angeli canunt septem tubis . Et quia capite decimo in voce septimi Angeli dicitur cōsumandum mysterium Dei , intelligenda sunt cum voce opera quæ egit Christus , dum progreditur prædicatio . *Et septem Angeli qui habebant septem tubas parauerunt .* Fuerunt parati à Deo Lutherus , & alij

alij deinceps, qui repeteret & promouerent prædicationem Euangelicam, ad quam Sauonarola nos præparauerat, vt fuerunt parati post Moysen alij Prophetæ, post Christum Apostoli, post hos alij prædicatores & doctores. Atque h̄c intelligendum est, dum Angeli dicuntur tuba canere, Spiritum sanctum, Spiritum Christi canere suum Euangelium in suis membris, seu in suis ministris tanquam per instrumenta, & ita significari suum aduentū in Sp̄itu. indicatur & in tuba vox summi regis aduentantis, & iubentis, & edita sua promulgantis per suum regnum ab extremis terris ad extremas terras. Ergo nō est spectandum quinam illi sint prædicatores, infirmi scilicet homines; sed qui prædicet in illis Euangelium. ex qua prædicatione virtus illa magna Dei conspicienda sit, qua iusti saluabūt, iniusti perdentur, cōtra quos ira illa Dei reuelatur, de qua loquitur Paulus Roman. 1. Fuerūt quæ haētenus in hoc capite dicta sunt assumenda, vt prædicatio Euāgelica nunc in secundo aduentu Domini repetita circumscriberetur, quæ videtur intelligenda in tubis septem Angelorum.

*Et primus Angelus tuba cecinit.* Quid cecinerit non dicitur: quia signatum est. nam Papistæ non intellexerunt eandem prædicationem nunc nuntiari à ministris verbi Euangelicis, quam Christus & Apostoli prædicarunt. atque Euangelici quamvis nouerint eandem esse prædicationem, non aduerterunt tamen, præter admodum paucos, esse secundum aduentum Domini: sed iam nobis constat quid cecinerint, quæ scilicet erant signata sub altari,

altari, & sub thuribulo aureo, quæ nuntiauit Christus & Apostoli. si non antè, at nunc multi sciant adesse aduentum Domini secundum; atque ipsum Christum esse qui loquatur in prædicatoribus, qui locutus sit in Apostolis, in Prophetis, in Mose. & hæc intelligi oportet in omnibus septem Angelis tuba canentibus. *Et facta est grando, et ignis mixta sanguine.* Ut hæc fiunt in tempestate, quando venti concertantes grando descendit, & ignis fulgores apparent; ita videndum est quidnam hæc sint in terris, quando inter Ecclesiasticos est contentio de Euangeliō. Scimus quid pepererit prædicatio Lutheri, & aliorum: percussit Papatum, fregit Doctorum capita, ut nescirent quod se verteret: auctoritatem minuit Papæ: vastauit deinde & combussit fruges, & fructus copiosos ac uberes: vastauit paucua bestiarum: hoc est, Ecclesiasticorum ventri seruientium: tollens Indulgentias, Purgatoriū, nundinas in festis Sanctorum, & talia. Vide Psalm. 18. vbi de eadem tempestate agitur. ibi probatur hæc interpretatio, quam attuli, propria.

*Mixta sanguine.* Non solum bona amittunt Ecclesiastici Papæ; sed & vitam, dum non credunt Euangeliō. prætereo bella quæ eodē tempore fuerunt. Et quoniam Prophetia alludit variè, si quis hæc interpretabitur & de prædicatoribus, & de credentibus, cognoscet gladium Christi ex vtraque parte acutum; & iudicium Dei, qui per Euangeliū concitauit bellum inter Euangelicos & Papistas. Papistas passos, quæ dixi: Euangelicos fuisse percussoſ multis modis, dum quidam in exilium profugerūt, quidam priuati bonis fuerunt & commo-  
dis

dis vita; quidam igne exusti, & mortui. hęc eadem  
euenerunt Apostolis & Martyribus. antę & Moses  
a filiis Chore, a Datan & Abirō; & alij ab aliis ma-  
la & afflictiones sustinuerunt. & hęc producūtur  
vsque dum perficiatur iudicium. *Et tertia pars*  
*terre concremata est.* In terra concremata status vi-  
detur intelligi siue Euangelicorum, siue Papistarū  
iacturam passus, & diminutus: illorum exustione  
credentium, horum defectione multitudinis ho-  
minum omnis generis a Papa, & ab ecclesia Ro-  
mana. in arboribus erunt intelligendi Principes  
qui defecerunt a Papatu, seu qui mortui sint: mini-  
stri vtriusque status sublati. in feno viridi exusto  
intelligo ipsam omnis generis bonorum copiam  
diminutam. Et hęc mala dum cępta sunt initio  
prædicationis sustineri, quotidie magis aucta fue-  
runt. Quod verò hic & in aliis tribus vocibus agi-  
tur de tertia parte, ostēditur apud Deum esse certa  
mensura eorum omnium quæ fieri debuerunt: si-  
ue dicamus secundū illud Amosi capite 1. Super  
tribus sceleribus, super quatuor non conuertam.  
Deus semel castigat allata pœna, id agit secundò,  
agit tertio: dum autem non extat emendatio, per-  
dit impoenitentem. Ut prædicatio sub Lege nun-  
tiabat pœnam, quæ bello, fame, peste consumebat  
multos; idem egit sub Euangelio, idem agit nunc  
in secundo aduētu. quod insignitè apparere debet  
in quinta, sexta, & septima tuba, quando inducun-  
tur perturbationes, vt quas vidimus in Gallia, &  
Belgico: quando inducuntur vniuersales cædes, vt  
quas pariter vidimus Herodianas in Gallia, & antę  
separatim Valdensiū in Prouincia: quando magna  
&

& vniuersalis perturbatio vocabit in seditionem,  
in tumultum, & in mutuas cædes plures prouincias: gladius & ignis perdet & consumet homines,  
& loca plurima. vt ex tribus partibus hominum  
duç succidantur, tertia ducatur per ignem, vt nun-  
tiauit Zach. 13. quod autem iudicium conspicetur  
factum in illis tribus temporibus, in tribus vœ, idē  
censeantur subituri qui fuerint temporibus qua-  
tuor priorum Angelorum tubis canentium. & si  
non idem omnino subibunt hic in terris, apud in-  
feros idem erit. immo idem similiter erit peccan-  
tium, non solùm eorum qui inuenti sunt tempore  
secundi aduentus Domini, sed & omnium supe-  
riorum ætatum. vt qui nunc sunt tertia pars ho-  
minum ex his qui fuerunt sub Lege, & sub Euan-  
gelio, & in apertione Prophetæ hoc tempore, vi-  
deantur iudicandi pœna insigni in tribus vœ allata.  
quæ quidem pœna fuerit & antè vitanda dum pre-  
dicabatur Euangeliū quatuor Angelis tuba ca-  
nentibus: dum antè prædicabatur quatuor anima-  
libus quatuor equos ostendentibus: & dum sub  
Lege expectabatur iudicium,

*Et secundus Angelus tuba cecinit.* Post coeptam  
prædicationem & auctam, ecce præter populi mul-  
titudinem Reges & Respublicæ suscipiunt Chri-  
stum: vt Danus, Suevus, & alij, quos historia do-  
cet. & hic progressus perseuerabit, donec omnes  
principes qui resistent Christo, ac eius Euangeliū,  
ruant in mare cum Ecclesiasticis, pereant in ecclæ-  
sia Romana.

*Factaque est tertia pars maris sanguis.* Ut sangu-  
inem Euangelicorum expetiuerunt, ita in suo in-  
uoluentur

uoluentur sanguine, postquā per inquisitionem & bella mortem pararunt Euangelicis. in mare videatur hic signari Ecclesia Papæa, quæ facta est mare sanguinis, proper quam tatum sanguinis effusum est & Euangelicorum, & Papistarum, & aliorum.

*Et mortua est tertia pars creaturae.* Causa religio-  
nis quot mortui sunt, historia ingentem numerum  
non poterit docere, creature eorum dicuntur, vt  
intelligamus baptizatos sub Papatu, & Christianos  
à baptizatis, à Christianis, ab Ecclesiasticis  
Papæis interemptos. idque factum contra præce-  
ptum illud: Hœdum in lacte matris ne coquito.

*Et tertia pars narium.* Ministri quoque multi sunt  
mortui, & Ecclesiæ collapsæ. interitus intelligitur  
Euangelicorum, & Papistarum ob diuersas ratio-  
nes, vt dicebamus in prima tuba. *Et tertius Ange-  
lus tuba ecceinit, & cecidit è celo.* In Germania di-  
uersa habentur comitia, & conuentus, ac disputa-  
tiones multæ; & in omnibus cadit authoritas Pa-  
pæa. stella hęc dicitur absinthium, quia conturba-  
uit flumina scripturarum, & Euangelium ipsum,  
doctrinam Apostolicam, & Ecclesiæ. fecit Papa  
cum suis aquas diuinarum scripturarum amaras,  
vt indè homines mortem haurirent, vnde hauriri  
debuit vita. Id cœpit facere Papa in Germania, vt  
potuit post ortam prædicationem ibi Euangeli: fe-  
cit deinde in concilio primo Tridentino Paulus  
tertius: qui vt nō potuit persistere in Ecclesia com-  
muni Christianorum, egit in concilio illo, vt ibi,  
& in certis locis ipse susciperetur: doctrinā illam  
& decreta ibi pararet, per quæ homines æterna  
morte perirent. idem peractum est in concilio se-  
cundo

cundo Tridentino. in quo Papa tandem patuit An-  
tichristus. vt etiam apud suos patefactus esset ipse  
Antichristus , nec iam esse ex Ecclesia Christi. de  
qua re,& de conciliis illis dicetur cap. 17. *Quartus*  
*Angelus tuba cecinit.* Existimo hic intelligendum  
esse tempus ante primum bellū Gallicanum , quia  
in fine huius tubæ dicitur: Væ, væ, væ: in quibus  
intelliguntur bella quæ fuerunt , & suum initium  
habuerunt in Gallia. & quoniam dicitur quoque  
infrà, Et diei non luceret pars tertia, & noctis simi-  
liter; videor posse affirmarequæ hic dicuntur, & ad  
Euangelicos & ad Papistas posse referri. quia vidi-  
mus cap. 1. Gen. per diem signari Ecclesiam fide-  
lium, per noctem impiorum conuentus. Ergo di-  
camus tertiam partem solis percussam , & tertiam  
partem lunæ; & tertiam partem stellarum signare  
regnum Papæum , & Ecclesiasticum , & politicum  
iactutam magnam fecisse sub Papatu Iulij tertij, &  
Pauli quarti, quando in Gallia & Belgico habent  
Euangelici suos conuentus, & conciones noctur-  
nas. ac non solū in Germania, & Heluetia & Rhe-  
tias est defectio à Papatu; sed in Hungaria, Tránsyl-  
uania, Polonia, & alibi, est ingēs numerus defici-  
tium à Papatu & Euangelicorum, & Anabaptista-  
rum, & Arrianorum, & aliarū sectarum: vt statui  
Ecclesiastico , & Politico Papæo maior quotidie  
ruina imminere videatur. vnde & Romæ Paulus  
quartus, & in Belgico Albanus sœuiunt sua inqui-  
sitione in quosvis , qui à Papatu videantur alieni.  
in Gallia conqueruntur & carcere asseruantur Euan-  
gelici ad internectionem : contra quos & occulte  
principum fiunt coniurationes: vt vtrinq; sit labes  
facta

facta non modica. doctores & ministri omnis generis & in Papistico statu, & inter Euangelicos desiderentur. si quæ sint alia, quæ tempore Iulij tertij, & Pauli quarti euenerint, ex historiis colligi poterunt, & in horum tempus referre, & ad quartam tubam. ut quæ acta sunt tempore Leonis decimi, & Adriani ad primam; quæ tempore Clemētis ad secundam; quæ tempore Pauli tertij ad tertiam. siue quis aliter distinguat hęc tempora; paruum videntur fore discrimen. veluti anni Pauli tertij, qui diutius vixit, poterunt audituisse vnam tubam, & partem alterius: & Paulus quartus à quarto tempore in quintum duxisse calamitates, quas consecutas vidimus, & visuri sumus. & si quæ sunt alia similia. Dum item dicitur, Non luceret; videtur tempus hoc afferre initium tenebrarum futurarū ubique: & indicare ius, iustitiam, & religionem cæca nocte obregendam. quod vidimus factum.

*Et vidi, & audiui Angelum volantem. Post quadraginta annos à Lutherō condemnato hæreseos à Papa, excitatur perturbatio bellica in Gallia, & cædes magnæ ob religionem: item in Belgico sunt semina seditionū quinto & sexto tempore, & in ingressu in septimum. de quibus tribus temporibus iam dicendum est. Et quia noua opera sunt, atque à cōtentione verbi ad pugnam armorum descendit; virgaq[ue] ferrea iam agit Christus, nouus Angelus inducit nuntiare futura mala. in qua re & ad pœnitentiam reuocamus. ut cap. 3. Ezech. narratus Propheta intercessionem hanc futuram hominum, & locorum, monet nos de iudicio Domini. idem agit cap. 33.*

P atque

atque in aliis Prophetis sunt similia. debuimus ergo reuocari omnes ad precepta Domini obseruanda, quando vix, vix, vix nuntiabatur imminere nobis. videbamus virgam Christi percutientem in Gallia, & in Belgico; atque alibi inquisitionem Hispanicam saeuire: videbamus hec quidem, & audiabamus per totum cælum: hoc est, per totum populum Christianum hæc narrati ore omnium. Tria vix nuntiantur. primum, perturbationes bellicæ in Gallia, & Belgico; alibi Inquisitio, alibi pericula & incommoda multa: secundum vix, cædes universales cœptæ in Gallia anno 1572, 24. Augusti: tertium, perturbatio magna, cuius similis nulla fuerit, nec futura sit.

*Argumentum in Caput 9.*

Exponitur quintum tempus perturbationum Gallicarum, & Inquisitionis auctæ. quod quintum tempus respondet ætati quintæ. exponitur & sextum tempus iudicij cœpti insigniter à domo Dei, quod conuertitur in Papistas: quodque respondet sextæ ætati, in qua hæc fuerūt denūtiata.

*Argumentum aliud in sigillum quintum simul & tubam quintam.*

In sigillo quinto audiuimus animas interfectorum sub altari clamantes: hic videmus earum interfectores. Prætermittam quæcere interfectores Prophetarum: prætermittam comparare quatuor superiores tubas vexationibus populi Dei, quæ fuerunt tempore Apostolorum, tempore martyrum, tempore liberationis eiusdem populi Romæ, & in aliis diuersis locis, tempore Papatus ingredientis in tyrannidem. solùm contéplabor æta-

tem

tem quintā, quæ fuit Papæ, restituti in sedem Antichristicam per Carolum magnū, vt videbimus cap. 13, atque tempus quintum nostrum ab initio perturbationum Gallicarum vñque ad cædes universales factas in eadem Gallia. Ac de quinta ætate nihil dicam ego: sed quia memini me de ea legisse quadam apud Vbertinū Casaliensem Franciscanū, curauī ut illa haberē, quæ hīc subiiciam. nostri autem temporis sunt quidem multa: sed quoniam illa in historia habebuntur, capita tantum quarūdam rerum attingam, ne longioribus & variis tractationibus impediatur breuis interpretatio. Illa igitur sit quinti temporis data huic quintæ tubæ interpretatio, quod canat magistratum inquisitorium ductum iam ab initio tyrannidis Papæ, & auctum ætate quinta respondentे nostro quinto tempori, quo quidem magis, ac magis adhuc est aucta (vt datum fuit) vis inquisitoria, quæ hoc quinto tempore excitauit perturbationes. in Belgico Albanus Dux Hispanus minister inquisitionis miserabilē præbuit historiam dritatis & crudelitatis posteris, vt Paulus quartus Romæ. in Italiam totam induxit Pius quintus nouam inquisitionem sæuiores Hispanica. in Gallia si non fuit eadem inquisitio, non fuit minor furor, & vesania in Euangelicos. in his paucis verbis potest esse propria, ampla & copiosa interpretatio eorum quæ hīc scribuntur fieri dum clangit buccina quinta. Dum hoc modicum quis ita esse nouerit, poterit facilē singula verba monitus rebus ipsis, quæ aguntur in inquisitoria abominatione desolationis, interpretari.

*Et quintus Angelus tuba cecinit. Cùm inquisi-*  
*tio iam ducta à Papa, cùm primū tyrannus, & An-*  
*tichristus fuit factus, multos perdiderit, vt histo-*  
*ria quemq; docere potest, tempore tamen quarto*  
*à prædicatione cœpta in Luthero, de quo tempo-*  
*re dicebamus in tuba quarta, aucta fuit vehemē-*  
*ter inquisitio in Italia, vt præteream Belgicum, &*  
*Hispaniam, furente atheo Papa Paulo quarto*  
*replente millibus hominum carceres: aque, igne,*  
*& multis modis necante multos, variisq; suppli-*  
*ciiis afficiente, carnificina crudelissimè exerceunte*  
*Cardinali Alexandrino, qui fuit frater Michael*  
*er pago qui dicitur *Il Bosco*, sub ditione ciuitatis*  
*Alexandrinæ: quique fuit deinde Papa Pius quin-*  
*tus. hic electus ad Papatum, vt tempore quarto,*  
*& initio quinti sub Paulo quarto, & tēpore quin-*  
*to sub Pio quarto fuerat Romæ magister lanionū*  
*immanissimus: ita ducta Hispanica inquisitione,*  
*& duriore per totam Italiam, diffudit longè la-*  
*teque virulentiam suam & furorem; effecitque vt*  
*vbiique illa esset sœuior: & simul excitauit ( vt po-*  
*tuit) ad arma, & ad bellum princeps contra Euangeliros*  
*magis quam alij Papæ ante ipsum fecerint, securus abominabile cœptum Pauli quarti,*  
*vt videbimus infrā, vbi est sermo de tribus ranis.*  
*Et quia Pius iste ascenderat ad Cardinalatum, &*  
*Papatum per diligentem & impiam feritatem,*  
*qua usus fuerat in inquisitione; Monachi, qui sa-*  
*tis erant incitati per se ad interitum Euangelico-*  
*rum, & ad eorum bona rapienda, elatis animis ad*  
*spes maiores pro se quisque laborans, cotendunt*  
*ingredi in scelus inquisitoriu: adeoque vt aliqui*  
etiam

etiam qui veritatem Euangelicam nouerant, non  
 veriti sint præbere se ministros facinoris. fuit in-  
 quisitor quidā Franciscanus tempore Iulij tertij,  
 qui monuit amicum, cū quo viuebam in eisdem  
 ædibus, de nomine suo delato ad Magistratū in-  
 quisitorium. monuit quid illi agédum esset, an-  
 no 1566. narrauit nobis in certis ædibus Theolo-  
 gus Monachus, qui fuerat inquisitor, & è suo lo-  
 co deiectus ab alio, statum & morem inqui-  
 sitionis. à quo facile intelleximus quosdam vel-  
 uti coactos, quosdam duētos spe p̄mij; intelli-  
 gentes veritatem Euangelicam, & scelus inqui-  
 sitionis, præbere se tamē inquisidores & ministros  
 inquisitionis. in inquisitione quid viderim, taceo  
 ob certas causas, illud dicā, me & in inquisitione,  
 & extra inquisitionē per me aduertisse, & ex aliis  
 cognouisse, plures ibi oppugnare veritatē cogni-  
 tam: & qui non omnino nouerunt veritatem ver-  
 bi Dei, nouisse tamen omnes etiā imperitissimos,  
 & infimos ministros prop̄ omnia agiibi inquisi-  
 sumē, & sine ordine, & modo. vbi non solū  
 præsbyteratus, sed & Monachatus præbet se non  
 Iudam solū, sed Iudam, & crucifixores Christi,  
 & carnifices: & hæc in templo Dei. nam & Mo-  
 nachi, qui profitentur Spiritum Dei, & se alienos  
 à profanorum hominum vita; fiunt, inquam, non  
 solū profani ministri iudiciorum iniquissimo-  
 rum; sed & carnificum opus exercēt: fiunt latro-  
 nes, & grassatores, qui trucidant, & bona rapiant;  
 non sint autem templum, non Ecclesia, non ex  
 Ecclesia, nam dum inculcant Ecclesiam, & dicūt:  
 Templum Domini, templum Domini; respon-

dit Deus in Ieremias cap. 7. eos fecisse templū spē-  
luncam latronum , in Ozea cap. 6. vt virum la-  
trones , sic collegium sacerdotum in via interficiunt, abominationē faciunt. & hoc est quod ait  
hīc Ioannes, se vidisse stellam de cælo cadere: Ec-  
clesiasticos non esse vltra Ecclesiasticos , non ex  
Ecclesia ; non agunt opus & munus Ecclesiastici;  
sed politici. & hoc iniquissimè, ac sceleratissimè.  
Et vt adhuc intelligas descensum illorum è cælo,  
alia historia attingenda es . Dum Pius quartus  
tempore quinto cogit Concilium, vt iterum elu-  
dat populū Christianum : dum sunt perturbatio-  
nes Gallicanæ, nec propter residentiam Episcopa-  
lem benè inter ipsum & Episcopos cōuenit; Epi-  
scopi in illum cōmoti, aiunt Episcopalem autho-  
ritatem esse æqualem: Papam esse Episcopum Ro-  
manum , non autem summum Pontificem : cūm  
faciat se summū Pontificem, esse ipsum Antichri-  
stum: quòd veniat contra Christum, qui solus est  
summus Pontifex in æternū. de qua re dicetur  
cap. 17. vt iam nec apud ipsos Episcopos, & Car-  
dinales Papa habendus sit Ecclesiasticus; sed alie-  
nus, & aduersarius. atq; ita Ecclesiastici descendūt  
in terram, quando à munere Ecclesiastico descen-  
dunt ad politicū: & in hoc latrones se præbent  
& carnifices , recedentes ab omni iure diuino &  
humano : atque potestate Sataniça à Satana edu-  
cunt abominationē desolationis. In hac abomi-  
natione data est clavis putei abyssi. Papæ à Satana,  
siue à principibus datū est Papæ, vt quicquid Dia-  
bolicū est, & Satanicū agat . imò verò vt de-  
scendat in puteum abyssi, & indè educat potesta-  
tēm

tem, ac impunitatem omniū posttremorum scelerum, quæcunq; maxima patrari & admitti possunt à Satana: vt illa agat in Magistratu inquisitorio, quæcūq; posset agere Satan in puteo abyssi. & vt id tamen lateat, puteū abyssi ducunt in Magistratum inquisitorium: & à principibus datur huius putei clavis Papæ, vt occulte scilicet agant inquisitores quicquid doli, quicquid fraudis, quicquid sceleris, turpitudinis, iniquitatis, crudelitatis, abominationis, rapacitatis, detractionis, & ignominiae impunè sine modo & ordine, quam petulanter velint; & quātum libido, & cupiditas luaserit, & insurgit in inquirente. *Et aperuit puteum abyssi.* Aperuit Papa Magistratum inquisitorium data sibi clave à principibus.

*Et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magna.* Ibi est immanitas, ibi crudelitas, ibi ignis, & fornax comburens Euangelicos: iudicium illud & magistratus est fornax. hinc ergo prodit fumus, & ascēdit: fama crudelitatis, & sceleris indē erumpit, & vagatur: ac nihil auditu de illo magistratu nisi immane, iniquum, & scelestum, ac ignis conflagrans cœtus Euangelicorum. appellantur inquisitores in Osea cap.7. clibanus, vt indē habeas sententiam huius loci: & latrones cap.6. expectantes in via homines: est collegium sacerdotum interficientium consilio vno. *Et obscuratus est Sol.* Ex hac inquisitione fit, vt nullum sit iudicium in statu Papistico. scio quid viderim, in magistratu inquisitorio, & in politico. nec est vt plura ego dicam, cùm vbiique sit illa communis conquæstio. iudicium & iustitiam migrasse è terris. dicitur in Isaia cap.28.

de quadā Rep. ignorauerunt iudiciū. omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque. de omnibus generatim cap. 24. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternū. Euangelium autem quod est primus Sol, & Dei lex obducuntur à magistratu inquisitorio, trahente in se omnes magistratus Papistarū maximis tenebris ē voragine abyssi ductis. *Et aēr à fumo putei.* Non solum magistratus, sed & totus status popularis, & Ecclesiasticus circunfunditur tenebris abyssi. inuadunt tenebræ inquisitoriae non solum ministros verbi, sed & omnes qui profitentur nomen Christi in papismo: querunt Inquisidores ab omnibus quid sentiant de religione, quid quis locutus fuerit de religione, quid legerit, quos libros habeat ipsi, in quibus sit quid de religione; si habeat sacra biblia, & quis habeat; & talia. tunc quisque cogitur subire iudicium magistratus putei abyssi. apud quem nomen Christi est nomen scandalosum. præscribitur concionaturi quid dicat, quomodo dicat, & quantum dicat. Christum ipsum appetunt, Apostolos appetunt; Prophetas: inuentant quæ hi locuti sunt: contraria statuunt: cogunt ut possunt omnes iurare in Papam. *Et de fumo ex-eunt locusta.* Iesuitæ, Monachi, & alij Papæ, & exploratores habent magnam potestatem & loquendi, & prædicandi, & explorandi, & agendi in quemuis, modò id agant nomine religionis. Et ut conciones locistarum prætereamus publicas, sunt priuatim, qui se pios, & religionis amantes fingunt; aiunt vehementer peccare eos, & in postremam miseriā incurere, qui non sunt toto animo

animo erga diuina affecti. multa talia ingerunt. cùm autem quid de religione serò locutus fueris, & ostenderis te diuina curare, illicò comprehenderis, ministri plurimi adsunt cùm es captus, qui te hortentur, vt aperias liberè, & quamprimum quæ sentis: mitissimum esse inculcant sanctissimum tribunal inquisitionis. ipsi inquisitores idem tibi confirmant: vñ autem tibi si deprehēdaris tantummodo de religione locutus: quodcunque locutus sis, es reus, atque subiectus libidini infinitæ inquisitorum. quia apud ipsos nemo nec loqui, nec legere diuina debet. statuunt enim statim te contra se facere: vt qui videant in verbo Dei vbiique se, & sua argui, ac oppugnari. exederis tunc ab inquisitoribus, & à ministris; tua diuersis disperterentur.

*Et præceptum est illis ne laderent fœnum.* Per fœnum, seu gramen, & omne viride, & arborem facile intelligimus genera hominū; quia sequitur, Sed tantum homines: vt Euangelicos humiles, & horum siue adhuc non fortis; siue fortes, & prouectos in fide, priuatos, & publico rounere fungentes non posse laderere inquisitio, & vlla vis tyrannica, quin perueniant ad regnum Christi constitutū. signati dicuntur, qui seruantur in vita, vt vidimus factum in cæde Gallicana, è qua multi euaserunt, vt significatum fuerat cap. 9. Ezechielis. in Belgico & alibi noui quām plurimos, qui similiter euaserūt ignem inquisitorum, & mortem. hi omnes sunt ex illis signatis, de quibus dictū est cap. 7. *Sed ut crucientur mensibus quinque.* Ego existimo hīc esse intelligendum quintum Iosephi, & quintum Mosis, vt detur Deo obseruatio Legis, sius honos, qui est ei

ablatus, & datus Antichristo: item huius imitatoribus. fut enim multatur in quinto. semper ergo cruciabimur à Papatu & ab inquisitione, nos qui profitemur Euangeliū, usque dum cognouerimus esse adulentum Christi , suscepimus cum regem nostrum, audierimus quid loquatur nobis in Prophetis, non fecerimus nos Christos, parebimus illi in omnibus . interea affligemur vehementissime. *Sicut cruciatus scorpionū.* Ut patulis brachiis initio inquisitores te complectuntur, & caudarum aculeis post animam transfigunt; ita sub ficta pace, & vana spe deducet homines credulos Papistæ principes & eorum ministri docti à sua domina & magista inquisitione, ad cædes vniuersales, & tandem ad magnam perturbationem , cuius similis nulla vñquam fuerit. vnde sequitur. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient.* Tempestas illa armorū & ignis tanta erit, vt mors videatur magnum beneficium dedisse his, qui illam non viderint. cap. 24. Isaiæ, & alibi illa describitur , & significatur. *Et similitudines locustarū similes equis.* Cùm sint Monachi , & Ecclesiastici, & pietatem profitentes, illa tamen agunt quæ sunt impiorum militum : consilium magnarum interencionum prodit ab ipsis è puteo abyssi . hæc nouerunt omnes in populo Christiano , nec vlla tamen vercundia illi reuocantur à facinore.

*Super capita eorum tanquam corona similes auro.*  
 Supra Concilium iactant esse Papam, supra Euangeliū. ergo Inquisitio, inferunt, erit supra omnes potestates: supremum iudicium suum esse voluerunt: & hoc suū iudicium ductum ex abyso,  
quod

quod abhorret à lege naturæ, & omniū gentium, valere volunt in rebus omnibus. Habet ergo tanquam coronas, quia sibi vendicat iudicium Christi datum viginti quatuor Senioribus, veluti ipsi sint viginti quatuor seniores Satanæ, qui & Christum ipsum sint iudicaturi, dum verbum Dei, verbum Prophetarum, Euangelistarum, & Apostolorum arguunt, & oppugnant. & qui honor est Patris, qui Filij, qui Spiritus sancti sibi tribuunt, dum quæ Pater, Filius, & Spiritus sanctus egerūt, sibi vendicant: atque sua libidine volunt expendi verba Patris, & Filij, & Spiritus sancti. dicuntur & similes auro coronæ. quia videtur imperitis ipsos habere diuinam potestatem, cum sit illa ex abyssō ducta. longum præterea esset enarrare quomodo Papa, & omnes Ecclesiastici, & principes Papæ; Ministri, & participes Papatus promittat sibi certam victoriam, illam canant semper: quomodo falsi Prophetæ illam ratam & firmam promittat. Lege, si habes, formā iuramenti Pij quinti, & quæ sibi tribuit Ecclesia Romæ, & inquisitio; cognoscet quales coronas ponant super capita sua.

*Et facies eorum tanquam facies hominum.* In Scorpione significabatur quomodo susciperet inquisitores Evangelicos, & extra inquisitionem Herodiani cæsares: quibus blanditiis, quibus præmissionibus allicerent eos ad se, quos tandem transfigerent. Hic vero mihi videntur iidem indicari, quando disputat & contendunt se facere omnia optima ratione & modo. *Et habebant capillos sicut capillos mulierum.* Nihil tamen viriliter, & iure agebant; sed libidine. ac de his rebus dicetur in Iobo,

Iobo, & in Abominatione. Libido hæc sine ratione & modo extendebat longè per Italiam, Hispaniam, Belgicam, & per omnia loca per quæ mulier sedens super septem montes extendebat suos vipereos capillos. *Et dentes eorum quasi leonum.* Dum ergo ostendunt se humaniter agere; modo, ac ratione; iure, & lege; inueniuntur ferarum immanium vim exercere. Et de hac re in Iobo, & in abominatione dictum est. *Et habebant loris sicut loris ferreas.* Muniuntur non verbo Dei, non ratione, nō auctoritate Ecclesiastica, non iudicio Ecclesiastico; sed vt Magistratus politicus, ferro, igne, aqua, & similibus generibus mortis. nam vt munus Ecclesiasticum distat à politico, ita pœna quæ ab yrtoq; infligitur: vertuntamen vt tyranni agunt, & tyrannica vi fulciuntur. *Et Sonitus alarum.* Magno impetu ferruntur; concurrunt in omnes partes; volant nunc ad hunc Magistratum, nunc ad illum; ad omnes reges & principes; peragrant omnes regiones, vt nil sibi detrahatur de sua potestate; sibi dentur in manus nunc isti, nunc illi. contra quoscunq; ferruntur, vt qui in prælio currunt cōtra hostes, vbi que auditur eorum bellum, & feritas. *Et habent caudas similes scorpionum.* Repetitur de scorpionibus, quia in omnibus quæ agunt, est illis propositum pungere, interficere, mactare Papæ. ferrunt semper illum aculeum in cauda quādo promittunt, & quando promiserunt, & quando quid cum Euangelico & Euangelicis egerunt: Hæreticis non est seruanda fides. quandiu id facturi sint, dictum est antè. *Et habent supra se Angelum abyssi.*

*abyssi.* Papam Antichristum , qui est abominatio desolationis. Hebraicè, Græcè, & Latinè significatur desolator , siue vastator , & perdens . fertur contra Deum, Christum Iesum , & Spiritum sanctum , ut vastet Ecclesiam, aboleat Legem, Evangelium , & Prophetas.

*Væ vnum abiit.* In hoc vae non solū intelliguntur quæ patiuntur pīj ab Inquisitione, sed & quæ in Gallia, Belgico, & Hispania sustinent Euangelici à Papistis in perturbationibus bellicis . nam dū sunt quæ memorauit in Inquisitionibus, sunt perturbationes bellicæ Gallicanæ, quæ narrantur in Prophetis, ut ait Ioannes cap. 10. quæ tamē sunt Inquisitionis referuntur & ad ætatem quintam, in qua viguit eadem Inquisitio, ut dicetur ca. 13.

*Et ecce veniunt duo vae post hac.* Alterum vae videbimus in sexta tuba ; tertium in initio septimæ. Nunc verò quia iniuti persequimur quæ sunt status Papistici scriptis nostris; & cogimur id facere, ut posteri cognoscant Dei patientiam erga illum, & tandem iudicium ; conquisiui Vbertinum, qui de Papatu , & quinta ætate hominum Papistarum multa scripsit: atque pauca hīc ex ipso addā, sumpta ex libro de septem statibus Ecclesiæ : vbi expōnit partem noni capititis Apocalypsis. Ait casum stellæ ē cælo, esse casum Episcoporum & Abbatum in enormes cupiditates , & lasciuias vitæ. de locustis ait: Quamuis per has locustas possint signari omnes mali Christiani, quorum malitia est multa, & publica, & multorum læsiua & cruciatiua ; magis tamen propriè signant prauam multitudinem Clericorum, & Monachorum, & Iudicum, & cætero-

terorum Curialium, qui plurimos & temporaliter  
& spiritualiter pungunt, & cruciant multis modis,  
qui omnes de fumo putei abyssi exierunt. Et cum  
dicitur: Locutus similes equis ; ait, (loquens de iis-  
dem Clericis, Monachis, & Iudicibus) Sunt fortes,  
& animosi, & prompti, & a Dæmonibus, quasi ab  
equitibus, vel equitantibus agitati ad omnem ri-  
xam, & vindictam, & lædendum homines tam spi-  
ritualiter quam temporaliter, & ad causidicationes  
& horrenda litigia expediti. Et paulò infra ait : Et  
etiam sibi promittunt æterna præmia: quia dicunt  
se pugnare pro libertate Ecclesiæ. Cum agit de An-  
gelo abyssi Abaddon, & Apolion, ait: Videtur mihi  
quod Angelus abyssi vocetur ille, qui per abyssa-  
lem malitiam Dæmonum, & illorum procuratio-  
nenm malignā , & sui ipsius ambitionem malitiam,  
quæ in omni malo erat inabyssata, ad gradū sum-  
mi Pontificij non canonice , sed fraudulentē  
ascendit. quem sic tyrannicè usurpauit, ut supra  
quam credi posset vniuersaliter contrastaret. De  
tempore autē futuro nostro ait : Intellige autem  
quod dolus erit talis, quod qui destruent Euau-  
gelium, defendere Euangelium se iactabunt. &  
sicut Pontifices, & Scribæ, & Pharisei se defende-  
re dicebant Legem, & Legis cultum, & honorare  
Deum, & tamē ipsi crucifixerunt filium Dei Le-  
gis medullam, & finem; sic similibus modis simi-  
les istis in Ecclesia dicent se tenere locum Chri-  
sti, & veritatem docere Euangelij ; & tamen ipsi  
veram medullam Euangelij, & perfectionem vi-  
tae Christi, horrendis transgressionibus, & mali-  
tiosissimis condemnationibus crucifigēt. Multa  
alia

alia sunt apud hunc Monachum, & apud alios,  
quæ immanitatem quintæ ætatis in Ecclesiasticis  
ostendunt.

*Et sextus Angelus.* In hoc sexto Angelo vide-  
tur signari tempus à cæde Gallicana anni 1572.  
vsque ad magnum iudicium vallis Iosaphat Ioë-  
lis cap. 3, Ieremiæ 46, Micheæ 4. quæ vallis Iocelis  
erit testis. Ac narratur sub sexto Angelo apertum  
scelus Inquisitorum, & Papistarum: qui aperta vi  
inducant vniuersales cædes in quibuscunque lo-  
cis possint, non solum clædestinis latrociniis peri-  
mant Euangelicos. præter cædes improuisas pu-  
gnabitur exercitibus quoque, & adducetur ma-  
gna perturbatio: fiet magnū iudicium Domini.

*Et audiui vocem unam ex quatuor.* Existimo si-  
gnificari illud Amosi cap. 2, & 3. Super tribus sce-  
leribus, & super quatuor non conuertam. Cùm  
statuant Papistæ triturare Euangelicos omnes in  
Gallia, & id denuntiatum quoque sit futurum,  
videbatur & denuntiari iudicium Dei in Euan-  
gelicos, quod in Papistas deinde esset progressu-  
rum. vox quæ auditur ex quatuor cornibus alta-  
ris, videtur esse vox Christi: qui nunc est altare su-  
per quod fit holocaustum Euangelicorum rena-  
torum in Christo, vt sint filij Dei, patientur cum  
Christo: resurgent, vincant, & obtineant regnum  
Dei: vt nihil illis eueniat, quod Deus non viderit  
& statuerit. Hic videtur esse signata cædes Euan-  
gelicorum in Gallia anni 1572, 24. Augusti.

*Dicentem sexto Angelo.* Post cædem illam quæ  
exponitur cap. II. excitabitur magna perturbatio  
significata eodem capite versu 13. Venient cum  
Papi-

Papistis aliç gentes, Antichristus Antichristo iungetur, vt fiat Antichristus mixtus, de quo locuti sunt noui Prophetæ: vt puniantur tandem ad locum iudicij, vt dixi versu 13. ibi fient conflictus & conflagratio. in igne Dominus iudicabit & in gladio cum omni carne, vt ait Isaias cap. 66.

*Et soluti sunt quatuor Angeli. Annus, mensis, dies, & hora statuta est apud Deum omnium que fieri debuerunt, & magni iudicij ad vallem quam dixi. Ut occiderent tertiam partem hominum. De tertia parte dictum est capite superiori. qui non sunt occisi ab Inquisitione, occiduntur cædibus vniuersalibus. deinde sequetur iudicium quo Papistæ puniantur, quemadmodum dictum est.*

*Et numerus equestris. Nam in hoc numero videntur signari bella quæ interea fient, vsque dum collectæ gétes innumeræ note, & numeratae apud Deum cedantur, victoriam obtinentibus Euangelicis. Et ita vidie quos in visione. Videtur complecti cum conflictibus bellicis triturationes Euangelicorum, quæ passim factæ sint, & exustiones per Inquisitionem. Thoraces igniti dicuntur, & hycinthini, & sulphurei; vt signetur exustio Euangelicorum, que fit igne, pice, & sulphure. unde & colores varij apparent: fient & exustiones locorum, ciuitatum, & agrorum: vt dicitur in Iocle cap. 2.*

*Et capita equorum. Principes, duces, milites ignem omnibus minabuntur: ac igne, non solum ferro nos inuident. atque etiam hic intelligimus ab eadem Inquisitione tartarea prodire vniuersales cædes, & bella, & incendia locorum, tanquam à ministris Inquisitionis, & Satanæ.*

*Ab his tribus plagiis. Ab igne, pice, & sulfure.*  
 quia ad comburendos pios his tribus vtuntur Pa-  
 pistæ. si separatim intelligantur, ignis est bellum;  
 fumus, seu pix, vt existimo, iniqua iudicia, & cæ-  
 des vniuersales; sulfur ipsa inquisitio. nam à puto  
 inferni ducta est inquisitio, & fumus est obscuratio  
 iudiciorum, vt scelerata non factitata admittantur.  
*Potestas enim eorum in ore.* Hoc est, in falsis iudiciis  
 principū, & in caudis eorū, hoc est, in inquisitorib-  
 us, à quibus vt ferro, & igne, & aqua noceat; vi, &  
 malitia agetur. *Et ceteri homines.* Dū ita hēc pestis  
 crassabitur in pios, etiam Papistę idoloatrę multi  
 peribūt: de quibus dictum est in sigillo sexto, &  
 significatur in capite quod sequitur; & dictum est  
 cap. 46. Ieremiæ, & 4. Micheæ, & 32. Ezech.

*Argumentum in Cap. 10.*

Hoc capite, & vndecimo vsque ad versum. 14.  
 repetitur secundum vœ, & clangor tubæ sexti An-  
 geli. Dum perseuerat pacificatio, pax nō pax, inita  
 ante anno 1570. ecce Belgę profugi quidā propter  
 Euangelium, quidam ob tyrannidem Hispānicam  
 vagantes circa maritima, anno 1572. tertio Aprilis  
 inuadunt insulas, occupant Zelandiam & Hollan-  
 diam. & ibi fuit initiū belli maritimi, in quo Euan-  
 gelici fiunt superiores, futuri tandem terra, mari-  
 que victores. bella non narrat Ioannes; sed reuo-  
 cat nos ad Prophetas antiquos, qui illa exposuerūt,  
 dum certum tempus statuit ipse victoriæ nostræ.  
 significanturque hæc omnia iterum denuntianda  
 siue quando incipient fieri apud nos, siue eadem  
 futura apud gentes; quemadmodum antè per no-  
 uos Prophetas tota ætate sexta fuerunt denuntiata  
 apud nos futura.

*Et vidi alium Angelum fortē descē. Si per Angēlū sextū tubā canētēm signati sunt illi , in quibus locutus est , & egit Christus; hīc ipse Christus maximē significatur. quia dum locuti sunt , dum egerunt ministri verbi , & status politici quae sibi visa sunt anno 1570. usque ad magnam perturbationem , & nihil effecerunt; ecce ille , cuius solius est gloria salutis nostræ, indicatur adesse , & punire fontes , & liberare innocentes. vnde dicitur fortis ipse , & ē cælo descendere , & alia quæ sequuntur. quibus describitur Dei filius. fortis, inquā, dicitur, quia Iesus Christus est Deus exercituum , contra quem non mundus vniuersus poterit obtinere victoriam. dicitur ē cælo descendere , qui ostendat potentiam suam, quam haec tenus absconditam continuit, dum apparuit in suo primo aduentu in carne , & in humilitate, & deinceps semper, atque hoc tempore in membris suis humilibus. Amictus nube. Descendit in membra sua, vt sit in Ecclesia sua, seu hic dicamus in toto suo exercitu, vt cap. 19. Isaiae dicitur equitare, seu ferri super nubē leuem, quando incipit miscere bella in Gallia inter Euāgelicos, & Papistas. quod autem signetur quoque agere , & esse in ministris verbi videbimus cap. 14. atque hīc non animaduerterunt homines, id fieri, quod dixit Christus: Et videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli. errauerunt in tēpore iudicij non audientes Petrum, qui illis dixit, vnum diem apud Deū esse sicut mille annos, & mille annos sicut vnū diem. Et iris in capite eius. Potentia & potestas Patris, & Filij, & Spiritus sancti apparebit, vt perdat Christus omnes impios ea potentia qua creatus est mundus ; effecta , & perfecta sunt omnia in mundo:*

mūndo: aperiet Prophetiam , mysteria Legis , &  
Euangelij: afferet promissa , & dona, quæ sunt Pa-  
tris, Filij, & Spiritus sancti: afferet signa victoriæ,  
& pacis futuræ æternæ in regno Dei . attende h̄ic  
& illud Petri: Cæli autem qui nunc sunt , eodem  
verbo sunt repositi: & cognosce in hac iride super  
caput, omne iudicium esse datum Filio. vt qui  
induxit tempore Noë diluvium superfaciem vni-  
uersæ terræ , & illud amouit, & recedere iussit; esse  
eundem qui nunc perditurus sit hunc statum mun-  
di, & allaturus nouum, in quo regnabit iustitia.  
in quo aderit semper iris, præsentia Patris, & Filij,  
& Spiritus sancti, vt & in fine primi capituli Eze-  
chielis significatum est. *Facies eius erat ut Sol.*  
Qui aperiet omnes scripturas diuinæ , aperiet se  
filium Dei, lucem, & vitam omnium credétiū,  
quibus affert Sabbathismū, statum lucis tantum,  
& non etiam tenebrarum, vt fuit in sex prioribus  
ætatibus, de quibus dictum est cap. 1. Gen. Ac vt  
fuit totus propè mundus in tenebris ante lucem  
allatā in promissionibus Abrahæ; sic sabbathis-  
mus erit totus lux, dum Christus erit præsens no-  
biscum, erit caput nostrum, quo omnia membra  
secundūm præscriptum capituli mouebuntur , &  
agent. *Et pedes eius tanquam columnæ ignis.* Capite  
primo dicti sunt pedes Christi similes aurichalco  
in fornace ardentes, vt significaretur eius iudiciū,  
quod postremo tempore ostendet, & exercebit in  
impios : nunc tanquam columnæ dicuntur , vt  
ostendatur eius iudicium firmum: & ipsum Chri-  
stum, & eius regnum fortissimum futurū & nunc  
contra statum Ecclesiasticum, & politicum Papi-

starum; & contra omnes in oīnnibus terris ipsi  
 aduersantes idem eius iudiciū duraturū deinceps,  
 vīq; ad nouissimam tubā Pauli. nec ultrā in regno  
 eiusdem permittetur im punitas peccandi , vt fa-  
 ctum fuit sex prioribus aētatis; sed vt sēpē alibi  
 dictum est , punientur peccata manifesta per ma-  
 gistratum, occulta ab ipso Christo, & à Deo. cuius  
 rei multa hactenus & illustria aduerti exempla, &  
 in multis profitentibus Euangelium priora quæ-  
 dam peccata repetentibus, & in me ipso expertus  
 sum adhuc adolescens . ad perfectam interpreta-  
 tionem columnarū, quibus assimilati sunt pedes  
 Christi, intelligendæ sunt hīc illæ duæ columnæ  
 q̄reç positiæ in porticu tépli fabricati à Solomone:  
 intelligendæ, inquam, cum sua interpretatione. vt  
 quid propositum sit in regno Christi , sit positum  
 ante oculos. *Et habebat in manu sua libellum aper-*  
*tum.* Libellus hic erat veluti quedam aduersaria,  
 qua solent vti oratores , vt in ea habeant omnes  
 partes causæ dispositas. in eo libello desumpta  
 erant è Prophetia, & ex omnibus diuinis scriptu-  
 ris peccata nostra, & Papatus, ac omnium impio-  
 rum nostri temporis, vt iam exerceretur iudicium  
 contra illos, quod cœptum fuerat à domo Dei:  
 atq; re efficeretur quod Deus omnibus aētatis  
 mundi per Legem, per Euangelium, per Aposto-  
 los, per doctores, per prædicatores, & hos omni-  
 bus temporibus repetitos , nuntiauit, reperiuit,  
 inculcauit perpetuò sine vlla cessatione , & inter-  
 missione apud populum desertorem suæ salutis:  
 & qui semper à Deo, à Christo, à pietate defece-  
 rit ad Satanæ impietates, & studia. *Posuit pedem*  
*suum*

*sum dexterum super mare.* Tanquam veniat à Septentrione vbi cœpta est prædicatio, & perueniat in Belgicam, posuit Christus pedem dexterum super mare ad Antuerpiam, Zelandiam, & Hollandiam, & sinistrum super terram ad cursum Rheni progressurus per totam Belgicam, eiusque prouincias per Gallias, & Italiam Romam usque: peracturus suum iudicium in utrumque statū Ecclesiasticum, & politicum. Et hic historia doceat bella Belgica cœpta in Hollâdia, & Zelandia, usque ad ipsam totam Belgicam victam Christi opere. *Et clamauit voce magna quemadmodum cum leo rugit.* Bellum magnum, & perturbatio omnium maxima significatur hac voce, ut leo de tribu Iuda, ut Christus ipse ostendatur, qui magna voce clamauit in cruce cum moreretur: clamabit & nunc dum crucifigetur in membris suis in magna perturbatione: ut deinde in eisdem resurgat, pugnet, & vincat. clamores, & vociferationes: fremitus, & tonitrua nostra audient vniuersi incolæ terræ. *Et cum clamas- set, locuta sunt septem tonitrua.* Dum appetetur Christus, & ad mortem vocabitur, dum ipse clamabit in membris, audientur septem tonitrua. seu dicas, ob prædicationē Euangelicam exurget perturbatio, & magna tempestas: propter illam erit clamor bellicus: vocabuntur omnes ad arma, ad ignem. Ut prædicatio per septenas ætates fuit ducta, & nunc per septem tempora ingredientibus nobis in septimam ætatem, ita septem tonitrua bellica sunt audienda. Et quemadmodum verbum Dei factum est in illis septem ætatibus, in quibus semper denunciata fuit pœna; ut etiam dum septem

temporibus, in quibus audita sunt tonitrua prædicationis, & prædicantium, ut dicebamus capite sexto, poena fuit repetita; ita ipsa poena septeno numero est inferenda: ut secundum iudicium præfens magnum veniant iudicati qui fuerunt antè, & temporibus postremis prædicationis, & omnibus ætatibus & seculis quæ antecesserunt.

*Et cùm locuta essent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram.* Ego existimo significari has voces tonitruum esse voces Prophetarū, qui narrant bellicas perturbationes. quas voces & tonitrua dum iubetur Ioannes signare, & non scribere, existimo quoque indicari futurum, ut non intelligantur in Prophetis narrata nedum etiam quando fient: siue non credi cùm denuntiabantur; atque futura signata non credentibus, qui videbunt, & non cognoscent; audient, & non intelligent, usque dum terra desolatione desoletur, ut dictum est in Isaia cap. 6. atque ita perueniatur ad septimum tonitruum antequam intelligant qui debuerunt intellexisse. siue autē propter peccata, propter cor impoenitens, propterea quod pugnant homines cōtra veritatem cognitam, dicitur in Isaia: Aggraua autē excēta cor populi hūius: atque hīc, *Ob signa que locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.* siue sit aliqua ratio Christo cognita, nos hīc illa quoque partim signabimus, partim exponemus, relinquentes perfectam cōpositionem in aduersaria. Primum ergo tonitruum videtur mihi esse illud, in quo cædes factæ anno 1572. repetēdē sint in magna perturbatione, ut audiatur subito magna tempestas, & sonitus triturationium

turantium viros, & mulieres, & infantes, vt memorat Ieremias cap. 44. rex Sedecias, & rex Ephree dabunt signa magnæ triturationis cùm dabuntur in manus inimicorum. erit passim fuga, internecio hominum, & exustio locorum, vexatio, perturbatio, & direptio. hinc ait Isaias cap. 13. Vastatio à Domino veniet. omnes manus dissoluentur; omne cor tabescet; facies combustæ vultus eorum; omnis qui inuentus fuerit occidetur; & omnis qui superuenerit gladio cadet: infantes elidentur in oculis eorum; diripientur domus, uxores violabuntur. In primo tonitruo fiét magnæ triturations Euangelicorum, multa eorum loca vastabuntur, quinon credētes ista futura sibi non cauerint. In secundo tonitruo colligentur exercitus, & sient adhuc illa quæ cap. 13. Isaiæ, & 24. narrātur. collectique exercitus confligent ad vallem, seu in valle losaphat: de qua ait Ioël cap. 3. vbi magnum iudicium Christi conspicietur in igne, & sanguine. Dracones Arabum & Carmojaderunt, & confligent. repetentur clades, auctis vndique exercitibus, vt sit sanguis à gladio usque ad vētrem, & simus hominis usque ad substramen camelī, vt narrat Esdras lib. 4. capite 15. tandem apparebit magnum iudicium, quod dixi, ad Euphratē: in quo ostendet se Christus exercitu Pharaonico, & incircūcisis ducibus magnis & multis interfectis, vt narrat Isaias cap. 14. Ieremias 46. Ezech. 32. Ibideinde aspiciet Lot uxore versa in lapidem incédiū Sodomæ, & fororum. Sapientiunc qui non respexerint retrò, non steterint in tota planicie, ad montem concesserint,

Gen. 9. attende hæc futura in finibus Germaniæ, ut moneris ab Esdra cap. 15. lib. 4. Tertium tonitruum audietur, cum Christus conuerterit exercitus contra Palæstinos, Gazam, Ascalon, Tyrum, & alios, ut narrat Ieremias cap. 47, & 48. Abscedetur cornu Moab, & brachium eius conteretur. attende hic cap. 23. Isaiæ, 26, & 27. Ezechielis, 9. Zach. & hæc attendat Philistæa. Quartū tonitruum audietur in Syria, in Ægypto: apud Ammonitas erit vastitas: ut repleta fuit terra cadaueribus hominum, ita regiones conspicientur stratae cadaueribus ciuitatum, oppidorum, & villarum. Damascus desinet esse ciuitas valle visionis, ut ait Isaias 22. vocata ad fletum. Memphis non habitabitur, ut Ier. 46. Alexandria vocabitur in tumultum: Taphnis exuretur. sicut quæ narrantur de Ammonitis cap. 49. Ier. quæ de Ægyptiis cap. 32. Ezech. haec audi Ammon. In quinto tonitruo regnum Moab euertetur, ut narrat Isaias 15, & 16. Iere. 48. peccatum Rubenitarum punietur consendentium cubile patris. Æthiopia festinabit portigere manus suas Deo, Psal. 68. Et tunc in uitis hostibus erigent altare, qui è captiuitate redierint. & hæc attendat Moab. Sextum tonitruum audietur super montes Israël, de quibus narrat Ezechiel cap. 36. primum domus Ieroboam sentiet manum Domini. subito veniet, ut ait Isa. 30. contritio, & comminuetur lagena figuli, ac munitiones vastabuntur, ut ait Oseas. iudicium ignis deuorabit abyssum, ut Amos. & tandem gladius demolietur excelsa idoli. A Samaria Hierusalem usque perueniet gladius, ut narratur cap. 1. Mich.

cada-

cadavera & h̄c conspicientur ciuitatum magnarum. h̄c audi Edom. In septimo tonitruo amphora egressa, in qua erit mulier, deportabitur in terram Sannar, & ibi confringetur, ut narratur capite 10. Zach. ibi excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur. h̄c & ibi vniuersa Babylon cadet, & corruet, atque Syluester deponet vestem rubeam, induetque saccum. Tunc altare posito, & eresto templo ædificabitur ciuitas: regnum constituetur Israëliticum: atque sponsa erit parata, & ornata, quæ accipiat virum suum. fiat, fiat. Attendant ergo vbiique omnes Euangeliū profitentes, vigilent, sint prudentes, & parati dum exurget magna tempestas. Rhenus fluvius videat ne non sufficiat ad extinguendum ignem, ne tingatur sanguine. videat Belgicū, Gallia, Hispania, Italia, Germania, quid decreuerit Deus exercituum super Ægyptum, ut monet Isaias c. 19. videamus omnes quæ ait hoc capite Ioannes, Deum nūtiasse seruis suis Prophetis, ut benè agatur nobiscum.

*Et Angelus quem vidi stantem super mare, & terram.* H̄ec quæ signata sunt in septē tonitruis, omnino futura sunt. quia ille qui cœpit mari, terraque agere virga ferrea, (ut vidimus factum in Gallia, & Belgico) statuit filius Dei cum Patre & Spiritu sancto efficere reliqua. Ut enim non potest fieri quin facta sint illa quæ vidimus gesta in Gallia, & in Belgico; ita deinceps quæ nuntiata sunt futura, oportet ut simul necessariò fiant. h̄ec & illa destinata sunt omnino futura, quod indicant verba illa, Sustulit manum suam ad cælum,

vt intueamur æternum decretum Dei.

*Et iurauit per eum.* Et Deus Pater adducitur testis, qui creauit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in ipsis sunt. nam qui creauit hæc omnia, in ipsis creauit ab initio omnia quæ futura erant omnibus temporibus mundi, ut ostensum est capite 1. Gen. Vnde hic significatur illud Ier. cap. 31. Qui dedit solem in lucem diei, & statuta lunæ, & stellarum in lucem noctis: qui rupit mare, & sonuerunt fluctus eius, Deus exercituū nomen eius. si amoueri possunt statuta ista à facie mea, dixit Dominus, etiam semē Israel amoueri poterit: & quæ sequuntur. simile est illud Christi: Cælum & terra transibunt: hoc est, potius cælum & terra ruent, quam ista non fiant. *Tempus non fore amplius.* Non vlt̄r̄ perseverabit status Papisticus, & tyrannicus. *Sed in diebus vocis septimi Angeli.* Nota hic dici in diebus, ut in unoquoque sigillo, & Angelo, & tuba intelligas tūm ætatem, tūm tempus annorum aliquot. quemadmodum & cap. 1. Genesis vidimus in septem diebus positas eis septem ætates. atque cūm ad finem sextę, & initium septimę peruetum erit, mysteria statim erunt completa, in quibus significauit Deus quæ fuit acturus in populo suo. & hæc omnia nuntiata sunt in Prophetis. oportet ergo ut nunc omnia fiant, quæ dixi septem tonitruū. nam quæ nuntiavit Deus futura, facta sunt hactenus omnia: facta sunt quæ fuerunt sex ætarum: fient ergo quæ denuntiata sunt septimæ. Quamobrem cūm iam visa sint signa secundi aduentus Domini, & posuerit Christus pedem dexterum super mare, & sinistrum super terram, debuimus fuisse certi de secundo

secundo eius aduētu, de perficiendis his quæ nuntiarunt Prophetæ de secundo aduētu Domini: atq; ita debuimus fuisse certi, vt fuimus certi Deum esse, Deum creasse cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt. & vt sunt illa, ita sunt hæc nunc futura, quæ describuntur in Prophetis. item qui author fuit fidei in Patriarchis, Legis, & Prophetiæ in populo Israelitico: qui Euangelij, Ecclesiæ Apostolicæ, & aliarum deinceps, atque nunc prædicationis Euangelicæ secundò repetitæ: qui fuit Deus exercituum, & author omnium commutationum omnium statuum mundi: qui populum in vtroque statu insigniuit suo nomine, vt appellaretur olim, & nunc populus Dei, arque nos item Christiani: qui vocauit nos in vnam Ecclesiam, & in singulis in ea fuit author Baptismatis & fidei: qui hæc omnia, inquam, egit, is est qui hoc postremo tempore in suis prædicatoribus & ministris loquitur, & bella gerit. qui ponit pedem dexterum super mare, & sinistrum super terram, vt dixi. & quoniam Prophetia alludit variè, qui ponit alterum pedem super statum Ecclesiasticum, alterum super statum politicum, atque vtrunque iudicat. qui peracturus est opus repetitæ prædicationis Euāgelicæ, & opus regni. id iurauit Christus, futurum nunc est omnino. non producetur vltrà iudicium. iam in sexta tuba peragit opus. quod perficietur in septima. Ad hoc pertinet & illud Ezech. cap. 12. Non protrahetur vltrà: sed in diebus vestris loquar verbū, & faciam illud. *Sicut Euangeliꝫ auit per seruos suos Prophetas.* Narrationem rerum gerendarū à Christo per virgam ferream, & quæ sunt septem tonitruum

truum ait Ioannes se non percusurum , quid s̄int illa narrata in Prophetis : ad quorum lectionem reuocamur hoc tempore. apparet autem hic Prophetiam extendi ad hæc nostra tempora. quod nou cognouerunt nunc Papistæ , & multi alij. *Et vox quam audiri.* Intelligo ego hic repetitam fuisse denuntiationem harum rerum futurarum hoc tempore, quando iudicium cœptum est , & factæ sunt cædes Herodianæ, atque moniti fuerunt reges, & principes, & populi de Prophetia nunc aperienda, & de his quæ futura sunt , per quæ perueniendum fuit ad innouationem omnium. fuit autem iucundum , & veluti dulce hæc intelligere antequām fierent; sed in euētu rerū, in his efficiendis fuerunt dolores parturientis. Præterea , quia dicitur oportet te iterum Prophetare coram populis, gentibus, & linguis, & regibus multis; oportebit prædicare Turcis, Persis, & omnibus aliis gentibus usque ad postremos fines terræ Euangelium regni , vt dixit Christus: exponere illis omnia in omnibus sacris literis denuntiata: ostendere omnium denuntiatorum euenta ducto initio ab his quæ acta sunt hoc nostro tempore secundi aduentus Domini. quando erit cogitandum nobis omnibus Deum punuisse singulis temporibus populum suum ob alia peccata; sed quando negauit Messiam , filium Dei ad se misum, tunc reieciisse illum , ne esset suus populus , vt nuntiavit futurum Daniel , & significatum fuit in Mose : atque expulsi sunt è regno Dei Hebraei. quod idem eneturum nunc est Christianis rejicientibus Christum in suo secundo aduentu. Quare, ô Turcę, ô gétes omnes, parate vos

**Vt in locum electorum ingrediamini.**

*Argumentum in Caput 12.*

Capite superiori repetebantur quæ dicta fuerant futura sub tuba sexti Angeli, atque futura affirmabantur omnino, quod Deus affirmasset se illa effecturum: hoc autem undecimo capite initium adhuc repetitur eorum quæ sunt sextæ tubæ, & secundi vñ; atque generatim comprehenduntur quæ sunt secundi vñ, & tertij, dum quales futuræ sint cedes & afflictiones in una Gallicana significatur, atque postremo erit certus finis, ut perfectis septem tonitruis, constituatur nouus status in apertione librorum, & Prophetiæ.

*Et datus est mihi calamus similis virgæ. In calamo simili virgæ significatur verbum Dei factum singulariæ ætatibus, & ductum ad postremam, secundum quod futurum sit iudicium. Initia igitur pace anno 1570. inter Euangelicos & Papistas, videbantur Euangelici obtinere locum suum, ut in cultu Euangelico Euangelicè viuere possent: atque expectabatur ut Ecclesia Christi, ac eius regnum constitueretur, verum quoniam nihil immundum nec inquinatum debet in templū Domini ingredi, ac certa ratione legis Dei illud est constituendum; constitutio templi Dei proponitur, & quinam sint illud futuri, ac in regno Dei permanenti. In mēsura templi Dei indicatur ipse status secundum verbum Dei constitui, ut secundum illud omnibus viuendum sit. Altare est ipse cultus Euangelij; qui adorant in eo sunt ipsi Euangelici, qui Christum induerunt, & secundum eius cultum Deum adorant, Deo seruiunt, atque*

hi eliguntur ut sint templum Dei in Christo: & sit  
discrimen inter hos, & alios; atque inter eos qui  
permansuri sint in vita, ut ex ipsis constituatur  
Ecclesia innouata, & alios qui non sint peruen-  
turi ad illud tempus. Nam quotiam inter Euau-  
gelicos sunt qui non mensurāt calamo, non agūt  
in Ecclesia secundūm verbum Dei datum per Pro-  
phetas & Apostolos; sed quisque iudicia sua se-  
quitur: & sunt qui parent libidini ac cupiditatī;  
in cultuq; Euāgelico non inueniuntur constātes;  
& sunt quoque plurimi martyrio coronādi; vni-  
uersalibus cædibus percutiuntur in Gallia Chri-  
sto ostendente se in suo secundo aduentu, qui di-  
xit 24. Matthæi, & 17. Lucæ, diem Filij hominis  
futurum sicuti dies Noë. percutiuntur verò mor-  
te prima: & ex ipsis excitandi sunt qui sint tem-  
plum Dei, & verum cultum offerentes Deo.

*Et atrium quod est extra templum ejice foras, &c.*  
Per atrium quod foris est existimo signari iudicia  
politica, & Ecclesiastica status Papistici, in quibus  
nec Ecclesia, nec status populi Christiani fuit ad-  
ministratus secundūm verbum Dei, ut oportuit.  
& ob id Papistē illi & omnes non secundūm statuta  
Christi viuentes, extra Ecclesiam Christi innoua-  
tam ejiciuntur, nec veniunt in numerum & con-  
fotationem eorum, qui statum regni Christi &  
eius Ecclesiæ administrabunt.

*Quoniam datum est gentibus.* Datum est genti-  
bus atrium, quia Ecclesiastici & politici multi facti  
sunt gētes, ut fuerant prius, antequām susciperent  
nomen Christi, ut vidimus cap. 63. Isaiae. datur  
nunc illis atrium, quia non sunt ex Ecclesia Chri-  
sti.

sti, permittitur autem, ut credentes, & Euangeli-  
cē viuentes ingrediantur: aperietur illis porta. au-  
diunt quidem multi prædicationem, sed non cre-  
dunt: ergo ejicientur.

*Et ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadra-  
ginta duobus.* Videtur hoc iudicium pronuntiatum  
fuisse decreto Dei iam tum dū Papa defecit à Chri-  
sto, tempore scilicet Syluestri: perfici vero illud hoc  
tempore sextæ & septimæ tubæ. quod colligimus  
ex diebus 1260. politis pro annis. qui dies 1260.  
conficiunt quadraginta duos menses. Et quia ratio  
Prophetica dicit rem eandē sēpè à suo initio usque  
ad suum finem; in quadraginta duobus mensibus  
possimus intelligere illos 1260 dies, hoc est annos.  
quia capite duodecimo omnino hi dies inueniun-  
tur positi pro annis. ut calcata & oppressa intelli-  
gatur Ecclesia à Papatu iam à Sylvestro usque ad  
hæc tempora: quando tandem Papatus ejiciendus  
sit. ob hanc igitur causam existimo positum nume-  
rum quadraginta duorum mensium, ut intelliga-  
mus Papistas impiè agentes ejiciendos ab Ecclesia:  
quia ab initio Papatus conculetunt & oppresse-  
runt pietatem Christianam. *Et dabo illam duobus  
testibus meis, qui prophetauerunt diebus 1270. ami-  
cti fassis.* Hoc iam tempore quando peruenti su-  
mus ad finem annorum 1260. ducto initio à Papa  
Sylvestro, dabitur Ecclesia, & eius administratio  
his qui retinent testimonium Christi. Prophetæ  
noui & pietate doctrinaque insignis ille Petrarca  
numerant illos 1260. dies positos pro annis ab an-  
no 313. usque ad illud tempus, quando cum po-  
testate, & virtute educet Christus Ecclesiam cō-  
seruo.

seruo. ergo si illis 1260. addes 313. quo anno Syl-  
vester sulcepit vestem rubeam prona nigra, erunt an-  
ni 1573. quando & in Gallia, & in Hollandia, &  
Zelandia conculcati, oppressi, & macinati, combu-  
sti, & trucidati erèxerunt se Euangelici, & timo-  
rem post iniecerunt aduersariis, ut dicitur infra.  
Duo dicuntur testes propter verbum Euangelicum,  
& Propheticum: propter ministerium Euangeli-  
cum, & Propheticum. quæ duo fuerunt in Eccle-  
sia, ut re ipsa patet. in ministerio autem horum  
duorum intelliguntur populi qui perstiterunt in  
verbo Euangelico, & Prophetico, cum muliere  
quæ fugit in desertum, acfuerunt eius semen su-  
stinentes persecutioes Papisticas. *Amicti saccis.*  
Sustinentes, inquam, afflictiones & incommoda  
vitæ; eiecti ex urbibus, ex communi vita; priuati  
communi iure. *Hi sunt duo olinæ, & duo candelab-.*  
*ra in conspectu Dei terræ posita.* Ut dictum est se-  
pren spiritus stare in conspectu throni: ut dictum  
est, Christum stare ad dexteram Patris: ut dictum  
est in Zacharia cap. duos filios olei stare ante  
dominatorem terræ; ita hic intelligo Spiritum san-  
ctum, & Deifilium. Et quoniam venit Christus  
in membra sua, Spiritusque sanctus in illa infun-  
ditur, & operatur, vocantur ministri Euangelici,  
& verbi Prophetici olinæ, & candelesbra: dicun-  
turque duæ olinæ, & duo candelabra, quia con-  
iuncta sit Prophetia in ipsis cum Euangelio, &  
Euangelium cum Prophetia, ut fuit in Apostolis:  
& quia quod est Christus in ipsis, est Spiritus san-  
ctus; & quod est Spiritus sanctus, est Christus.  
Hęc ergo duo munera fuerunt in Apostolis, & ad  
hęc

hæc duo reuocauit fideles Petrus initio cap. 3. Epistolæ secundæ: & fuerunt haec tenus in Ecclesia, & maximè erunt deinceps: & ad ea nunc suscipienda in maiori lumine vocamur omnes. quod & nobis significatur in complenda Prophetia horum, qui hic describūtur, duorum testimoniū. quando & nos hoc tempore futuri sumus omnes testes veritatis Euāgelice, veritatis verbi Dei prophetici. *Et si quis velu eis nocere.* Prædicant iam iudicium Domini adesse: & quicunque eis nocebunt, dabunt pœnas. vnde infrà ait Ioannes: Qui occidit, occidetur: qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem ducetur. idem prædicant Prophetæ breui ait Abdias: Sicut fecisti, fieri tibi.

*Hi habent potestatem claudendi cælum, &c.* Vixi prædicti doctrina Euāglica, & prædicti munere prophetico fuerunt semper in Ecclesia, quāuis à multis hi non fuerint noti: nec Papatus haec tenus prohibere illos potuit. ac dum perseuerauit tempus 1260. annorum, clauerunt ipsi cælū, ne plueret: clauerunt cælum Papistis. vt Papa verbo claudit cælum, non re, his quibus iactat esse clausum; ita re isti claudunt cælum Papæ, & suis: prædicant eorum aquam Baptismatis nihil esse, dum fides conuersa est in Papam. conuertunt aquas in sanguinem, condemnant baptizatos seruientes Papæ ad interitū. quod apparebit hoc tempore, quando in baptizatos factos Anti-baptistas exercebitur iudicium Christi gladio, & igne. *Et cum finierint testimonium suum.* Hoc est, vt existimo, postquam prædicatum fuerit Euāgeliū 40. & plus annos: atque cœptis perturba-

tionibus Gallicanis nuntiatū fuerit adesse opus  
secundi aduentus Domini: dum cœpta fuē in illa  
la fieri quæ nuntiarunt Prophetæ, & motuit ipse  
Christus cap. 24. Matthæi futura signa sui aduen-  
tos; tunc permitiet Christus, ut bestia Papalis  
ascendat ex abyssō, agat quæ sunt contra ius, &  
mōrem humanum: quæ sunt Satana, & cōtra fidē  
datam, & iurātā ante Deum & homines, impar-  
atos trucidant infidi Euangelicos. quod fuit sā-  
etum in Gallia anno 1572. 24. Augusti Lutetiae,  
& deinde in aliis locis & cīvitatibus. Fides iura-  
ta ante Deum, & homines; siue Deo, & homini-  
bus, si frangatur; is qui frangit illam, conuincitur  
contemnere Deum; & ius diuinum: contemnere  
ius gentium, & ius naturæ. Papistæ multi super  
Euangelia iurant Deo, & hominibus iurāt se ser-  
uatores quod est iuris gentium: & hæc iuramenta  
frangunt. Lex diuina docet, quod iurasti; iuratū,  
& promissum fuisse Deo. quod & gentes confir-  
marunt. si iam iuramentum violas, perinde agis,  
ac si nullum Deum esse statuas, aut ostendas te  
Deum cōtemnere, ac nibili facere. & cùm iurant  
Papistæ illa forma, ponendo manus super librum  
Euangelicum, & dicendo: Iuro per hęc sacrosan-  
cta Euangelia; & deinde irriso iuramento con-  
tra illud agunt; conuincuntur & irritidere, & con-  
temnere Christum cum suo Euangēlio, non so-  
lū Deum ipsum. Cùm deinde iurarunt homi-  
nibus, & Magistratibus publico iuramento Papi-  
stæ, & hoc item violant, nullam omnino conuin-  
cūtur habere religionem, postquam nullam fidē  
habent. hos ergo Papistas, cuinam in mundo assi-  
milabis?

milabitis non yllis hominibus. ergo ex abyssō pro-  
dit hæc bestia, quæ sui similes perdit, quod nullæ  
bestiæ terrestres faciunt. quod dicunt hæreticis  
non esse seruandam fidem, contrā statuit Deus, &  
homines in Gabaonitis hereticis, & Dei inimicis,  
& iussis à Deo occidi, Ios. 11. unde Sa. 1 fuit pu-  
nitus, qui non seruauit fidē datam hæreticis, Sam.  
2. cap. 21. *Et corpora eorum iacebunt.* Quòd cada-  
uera Evangelicorum iacuerint in plateis Lutetiæ,  
nōrunt omnes. Lutetia iam cum aliis ciuitatibus,  
in quibus scelus idem patratum est, vocatur hīc  
Sodoma, & Ægyptus. Sodoma, quòd ibi sit abo-  
minatio Romæa, de qua dictum erit in Daniele:  
Ægyptus, quia & perfidia, & crudelitas Pharaoni-  
ca ibi fuit: atque vocat Prophetæ Galliam pro-  
pter simile opus in Israëlitas Ægyptum. cap. 13.  
Gen. dictum erit de hac Sodoma, & Ægypto. ad  
quem locum mihi videtur respexisse hīc Ioānes.  
*Vbi & Dominus nōster crucifixus est.* Illud constat,  
Christum non fuisse crucifixum Sodomis, & in  
Ægypto: & ne multa verbā hīc faciam, breui di-  
cam, ex hoc loco, & ex multis similibus, Prophē-  
tas nōnos, qui fuerunt tota ætate sexta, scripsisse,  
fore, ut Christus iterum crucifigeretur in mēbris  
suis. Si est secūdus aduentus Domini, & ipse ad-  
est in Spiritu in fidelibus: si hi crucifiguntur, cru-  
cifigitur in his & ipse. hinc dictū est Gen. 9. Qui  
effuderit sanguinem hominis in homine. quod  
attende Papista, qui effundis sanguinem fratrum  
tuorum. *Et videbunt ex tribubus.* Qui fuerunt in  
Gallia, viderunt; & res fuit talis, ut fuerit perspecta  
& alibi, atque ex variis nationibus qui fuerunt in

Gallia, vel etiam talia futura sunt iterū, & alibi,  
vt vbiique similes cædes conspiciendæ sint.  
*Post tres dies & dimidium.* Quia dictum est antè,  
Vbi Dominus crucifixus est, existimo hic ponī  
dies, quod Christus tertia die surrexerit ē mor-  
tuis, & paulò post suis Discipulis apparuerit vi-  
vus, nuntiata sua resurrectione in suis Apostolis.  
Similiter fuerint resurrecti Euāgelici in locum  
demortuorum, qui post certum tempus timorem  
injicerēt aduersariis, ac Christus appareret in ipsis  
viuus, & non mortuus.

*Et habitantes terram gaudebunt.* Gauisi sunt  
Papistæ multidum audierunt mortem Lutheri, &  
aliorum deinceps; ac sibi gratulabantur. idem e-  
gerunt in morte ducum belli. in cæde principis  
Condensis publica facta est lætitia in Italia, ac-  
censis ignibus, sonitu campanarum, & aliis ine-  
ptiis. in cæde autem vniuersali Euangelicorum  
anno 1572. maior triumphus factus est in Gallia  
& in Italia. caput Admiralij missum fuit Romam  
ad Papam; ibi plausus fuit multus. de quo plura  
non dicam. tantum hic subjiciam insignetrum-  
phi missum ad Papam nomine regis Galliæ, ela-  
boratum per Cardinalem Lotharingium.

D. O. M.

*Beatissimo patri Gregorio xiiii. Pont. Max.*  
*sacro illustrissimo Cardinalium Collegio.*

*CAROLVS ix. Christianissimus Francorum*  
*rex, Zelo Zelatus pro Domino Deo exercituum,* re-  
pentè, velut Angelo percussore diuinitus immisso,  
sublati una occasione propè vniuersi regni sui hæreti-  
cis, perduellionibusq; tanti beneficij immemor nun-  
quam

quam futurus, consiliorum ad eam rem datorum, auxiliarum missorum, duodecennialium precum, supplicationum, votorum, lachrymarum, superiorumq; ad D. O. M. suorum, & Christianorum omnium planè stupendos effectus, omnino incredibiles exitus modis omnibus redundantem diuino munere sacerdarem ipse nunc solidissimorum gaudiorum affluentissimus gratulatur.

Tantam felicitatem que beatissimi patris Gregorij X IIII. Pont. initio non multo post eius admirabilem & divinam electionē euenerit, unācum Orientalis expeditionis constantissima & promptissima expeditione Ecclesiarum rerum instaurationem mācescentis religionis vigorem, & florem certo protendere auguratur.

Pro tanto beneficio coniunctis vobiscum hodie ardentissimis votis absens corpore, præsens animo, hic in æde Sancti Ludouici aui sui D. O. M. gratias agit quam maximas. ut q; spes huismodi ne fallat, eius bonitatem supplex deprecatur.

Litteris Romanis aureis maiusculis descriptum festa fronde velatum, ac lemniscatum supra limē ædis sancti Ludouici. Romæ appensum anno & die prædictis.

Parisiis apud Ioannem Dallier, in ponte  
D. Michaëlis sub rosa alba.

Qui duo Propheta. Quomodo cruciarint Euāgeliī Papistas, ex hoc suo īcripto potes iudicare; & ex plagiis Ægyptiacis, quæ referebant cruciatus, quos immiserunt Ecclesiasticis Romæis, & horum assertoribus idem Euangelici. Et audierunt vocem

R. 3 magnam:

magnam: *Ascendite huc: Et ascenderunt in cælum.*  
 Futurum fuit ut iustum victoriam obtinerent, &  
 vt in conciliis susciperentur Euangelici, qui admi-  
 nistrarent Ecclesiam, & regnum Dei: quos Papa-  
 tas ut impios & hæreticos interemit. hæc videtur  
 esse summa sententiæ. *Et viderunt illos inimici eo-  
 rum.* Papistæ videbunt Euangelicos obtinere re-  
 gnum Christi, & Ecclesiam, atque in his admini-  
 strare omnia. *Quæ autem hic dici possunt multa  
 de resurrectione, de ascensu in cælum per iubem,*  
 & de inimicis qui videbunt pios in cælo; *quæ*  
*quidem possunt reuocari ad tertium aduentum*  
*Christi, non plura dicam ego. in Ecclesia innouata*  
*hæc contéplabuntur alij. satis sit nobis nunc sum-  
 mam historiæ secundi aduentus attigisse. Et in illa*  
*hora factus est terremotus magnus. In illa hora exi-  
 stimo intelligendum esse tempus, quando ad val-  
 lem iudicij obtinebunt Euangelici victoriam con-  
 tra Papistas, audita voce magna, hoc est, facta ma-  
 gna cede ipsorum in maximo prolio, in quo cadet  
 omnes illorum opes. hic intelligendum est illud*  
*Isaiæ cap. 9. Septrum exactoris confregisti, sicut in*  
*die Madiam. omnis qui pugnat, pugnat cum*  
*commotione. tunc magno terrore concutientur*  
*impij, & magna acclamatio erit in triumpho pio-  
 rum. Et decima pars urbis cecidit, & occisa sunt.*  
*Ibi & imperium, & regnum Papæorum, & Papa*  
*cum Ecclesia Romæa magnam cladem accipient.*  
*in decima parte urbis existimo intelligendam esse*  
*partem status Papistici vastadæ ad vallem iudicij:*  
*vbi & internecio futura sit magna viroru, signata*  
*numero septeno finito pro infinito.*

Et

*Et reliqui territi sunt, ac dederunt gloriam Deo.*  
 Tunc multi cognoscent adesse Christum verum  
 iudicem. fiet illud Luc. 17. ut patefiat & reueletur  
 Filius hominis: multi conuertent se à Papatu ad  
 Christum. nam si Hebrei crucifixo Christo fuerunt  
 percussi, & eieoti, ne essent vltra populus Dei, ne-  
 cessariò idem eueniet Papistis crucifigentibus ite-  
 rum Christum in membris suis. qui ergo sapient,  
 non persistet in duricie plusquam Iudaica; pœnitabit.  
*Væ secundum abit.* Existimo secundum vñ perduci  
 à cede Gallicana anni 1572. vsque ad magnum iu-  
 dicium vallis peractum, quod dixi. Vñ tertium erit  
 deinceps. vt primum vñ fuerint perturbationes  
 Gallicanæ vsque ad annum 1572. secundum com-  
 plectatur cedes vniuersales, & bella, vsque ad iudi-  
 cium, vt dixi, peractum in valle. & in duobus vñ  
 prioribus videtur peracta quæ sunt duorum toni-  
 truum. tertium vñ ferat quæ sunt quinque reli-  
 quorū tonitruum, vt profligetur Papatus in quin-  
 que locis insignibus sub septimo Angelo tuba ca-  
 nente. *Et septimus Angelus tuba cecinit, & facta.*  
 Postquam audita fuerint septem tonitrua, & pro-  
 fligati fuerint inimici Christi; tūc canetur victoria  
 Christi. perficietur mysterium de quo dictum est  
 capite superiori, vt compleantur quæ scripta sunt  
 in Prophetis, ac paretur Ecclesia Christi vbiique &  
 regnum Dei: sicut concilia, in quibus innouentur  
 omnia: regna quæ fuerunt tyrannorum, siant re-  
 gum Christo seruientium. *Et vigintiquatuor Se-  
 niores.* Tū omnes ministri verbi Euangelici, & Pro-  
 phetici, qui aderunt, prædicabunt Christū verum  
 regem regum solum suscipiendum, & habendum:

aperient scripturas, & quæ in eis continentur de Christo, ut ipse Dominus & Deus noster cum Patre cognoscatur ab omnibus in toto orbe terrarū. *Gratias agimus tibi Domine.* Non opus est hic alia expositione hotum verborum: tantum intelligentia est hic, quæ suprà dicta sunt de eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, nunc facta plena, & nota piis omnibus. *Et regnasti.* Regnasti nunc tandem, dicēt, debellatis Antichristis, & tyrannis aduersariis: qui & regnasti semper, dum omnia tua volūtate facta sunt, & sine qua factum est nihil, quod usquam sit factum. *Et iratae sunt gentes.* Christiani facti gentes ut olim fuerunt, & persequentes Euangelicos, & oppugnantes Euangeliū, ira æstuabūt, & tum maximè excandescunt, quando videbunt iudicium Dei contra se conuersum; Euangelicos, & pios præmio affectos à Christo, constituendo eos in suo regno, & Ecclesia regale sacerdotium; perdenturque tum illi qui perdidérunt seruos Christi. *Et apertū est templum Dei.* In Ecclesia visa est aperta omnis diuina scriptura. *Et visa est arca testamenti eius in templo eius.* Et Christus promissus visus est in omni diuina scriptura mortu⁹ pro peccatis nostris, resurrexit propter iustificationem nostram: venisse iterum, & liberasse nos ab omnibus tyrannis, & ab Antichristo, ut liberauit à peccato, lege, damnatione, & morte. In arca erant tria: manna, virga, tabule. In manna signatur filius Dei datus vita omnibus credentibus, ut vivant in æternum: in virga, sacerdotium Christi, & regnum: in tabulis, omnes promissiones præstite in Christo, atque omnes figuræ in cor-

in corpore eius ad veritatem adductæ. Et facta sunt fulgura. Dum ista aperiūtur, bellatur verbo, & armis, ut antè dictum est: fiunt prœlia, euersiones regnum, & interitus, & conuersio rerum in delendo statu Antichristico, & tyrannico; & adducendo regnum, in quo reges & populi seruant Christo, viuant secundū præscriptum legis Dei. significantur hīc simul voces, & sermones, & disputationes, & disceptationes, quæ erunt de verbo Dei dum aperientur libri. Et hæc omnia quæ facta fuerint apud Christianos, sicut & apud Turcas, & reliquas gentes, & Hebræos: ut omnia regna mundi fiant Christi.

*Argumentum in caput 12.*

Describitur quarta ætas ducta prima ab Apostolis, secunda à martyribus, tertia à fine persecutionum. & in hac quarta ætate oritur Antichristus, qui velit ducere hanc suam ætatem quartam in quartam Christi ductam à promissionibus: ut quæ præstítit Christus, sibi tribuat, & in locum Christi veniat: regnet ipse in Ecclesia, non autē Christus; ac persequatur eos qui erunt Christi capite facinorū satana, & illo qui obtulit Papę pomum, ut fuit litan, & mulier, authores peccati Adamo. Et signum magnum apparuit in celo. Ordo ille solet sèpè existere in exponendis rebus per numerum septenium, ut postquam exposueris primum opus septeni numeri: atque à primo ad septimum, seu à primo proposito tempore percurreris ad septimum, fiat redditus ad secundum: atque illud expnatur pariter percurrente ad septimum post fiat redditus ad tertium, & percurritur ad septimum,

& ita deinceps. ac dum hæc ita exponuntur, certa  
ratione solent etiam conduci in enarrandis fu-  
turi similia priora & præteriorum temporum,  
quemadmodū fecimus in septem Ecclesiis, assu-  
mēdo tempora, seu ætates promissionis, Legis, &  
Prophetarum. In tribus autem septenariis, quæ  
pertinacata sunt hactenus septem Ecclesiarum, &  
septem sigillorum, & septem Angelorum tubis  
canentium, est quidem seruatus ordo, ut superio-  
ra tempora circuncisionis assumerentur, non au-  
tem ut percurso primo numero septeno Ecclesia-  
rum, fieret redditus ad secundum in sigillis, & ad  
tertium in Angelis tuba canentibus: sed in distin-  
ctis ter septem enumerationibus, à primo numero  
ductum est ter initium percurrēdo omnes septē.  
quod videtur esse factum, ut Deus Pater, Deus Fi-  
lius, Deus Spiritus sanctus ostenderetur, dum tri-  
buuntur tribus, quæ sunt æternitatis in eodem,  
ut dixi initio interpretationis sexti capitū. Ergo  
in septem Ecclesiis constituebantur septem æta-  
tes ab Ecclesia Apostolica ad Ecclesiam innova-  
tam Catholicam totius mundi. in sigillis videba-  
tur deinde debere duci initium à secunda ætate  
martyrum, atque percurrēda esse sex tempora ad  
innovatam Ecclesiam. verū non est ita factum  
propter rationem, quam dixi, quia cùm sigilla, &  
aperīcio illorum tribuatur Filio, & sit idem cum  
Patre, oportuit illi tribus ut Parri, quæ sunt æter-  
nitatis. & siccirò septē sigilla sunt posita. In An-  
gelis pariter septem canentibus septem tubis vi-  
debatur pariter ducendum esse initium à tertia  
ætate, seu à tempore cessationis afflictionum, &  
per se-

persecutionum: atque ab ea ætate percurrente reliquæ usque ad septimam. nec hic est ita factū: quia in septem Angelis illis signatur Spiritus sanctus, qui est idem cum Patre & Filio: ut oportet ei quoque dari quæ sunt æternitatis. atque ita in his septem narrationibus constituerentur ordines, quos dixi in fine argumenti in hunc librum. ut opus Patris, & Filij, & Spiritus sancti contemplaremur distinctum in tribus statibus, & commune in omnibus ætatibus mundi. item in eodem opere diuinam cōtemplaremur essentiam in Deo patre, Filio, & Spiritu sancto. Et hæc de ordine eorum quæ hactenus dicta sunt. in his autem quæ sequuntur tanquam in septem Ecclesiis percurrit Ioannes primam ætatem status Filij ductam ab Apostolis: in septem sigillis secundam à martyribus: in septem Angelis septem tubis carentibus tertiam à cessatione persecutionis: ita tamen ut protensio tubarum duceretur in tempora secundi aduentus Domini: nunc in hoc duodecimo capite assumitur quarta ætas, in qua fons malorum ostenditur, & vnde duxerit orum suum status Antichtisti, atque perseruerit vastare Ecclesiam. quinta deinde ætas assumitur cap. 11. & sexta cap. 14. quæ perducuntur in ingressum in septimam, in qua finis imponitur Prophetiæ. His positis, iam persequamur quæ sunt ætatis quartæ ducta prima ab Apostolis. Præter illa quæ hic diximus de ordine, status est considerandus quartæ ætatis, quam proponimus nobis exponendam, quomodo in sacra historia occulta ratione Prophetica fuerit ille consignatus. Ut præteream Mo-

sem,

sem, & multa loca scripturarum, in regno Davi-  
dis & Salomonis in primis videmur debere con-  
templari historiam quartæ ætatis, de qua nunc ac-  
gemus. Postquam regnum Davidicum constitu-  
tum fuit deuicto Saule, consecutum est regnum  
Salomonicum, in quo perpetua debuisset dein-  
ceps esse pax. verum Salomon in gloria illa tanti  
regni lapsus est in idololatriam: propter quod  
eius graue peccatum regnum fuit diuilem: & de-  
inde postquam idololatria inuicta fuit in regnū  
Israëliticum, extiterunt in confusione idololatriæ  
perturbationes, seditiones, bella, & peccata mul-  
tiplicia. Similiter in statu Filij ita ferebat rerum  
ordo, ut postquam martyres tam diu certādo con-  
tra tyrannos subegissent tandem Euangelio im-  
perium Romanum; Christus Rex haberetur ac  
Dominus in populo Christiano vbiique; Eccle-  
siastici & politici ministri continerent se in ad-  
ministracione Ecclesiae, & regni Dei: simulque  
in Christiregno propagando: quo tandem vnum  
efficeretur regnum, vnum ouile, & vnuus pastor.  
Verum Ecclesiastici cœperunt adorare Deos alie-  
nos, offerre incensum alienum, admirari imperia  
& regna: qui autem reges, non moniti ab Ecclesi-  
asticis, perstiterunt esse tyranni, & idola; libenter  
assumperunt Ecclesiasticos in eandem societatem  
tyrannidis. Itaque tandem Ecclesiastici, & cum ip-  
sis reges, voluerunt esse ipsi Christi, & non ministri  
Christi. ob quod peccatum quemadmodum Deus  
diuisit regnum Salomonicum, ita diuisit regnum  
Christianorum: atque Papæ & Imperatori duæ  
tribus assignatæ sunt, agrum Romanum, & Flami-  
nium.

nium, qui duo agri, ut Abbas Ioachimus censuit,  
veniunt in locum tribuum Iudeæ, & Benjamin: ac  
in tribum Iudeæ ponit simul Camerā Imperialem.  
reliquum imperium in quod veniūt decem tribus  
Israeliticę, apud Christianos datum est aliis: de qui-  
bus, & de loco Samariæ, domoque Ieroboamī, ac  
distinctione decem tribuum, dicetur in Prophetis.  
Historia autem hęc rerum futurarum in statu Filij  
signata fuit in Salomone, & in filio Salomonis, &  
in Ieroboamo rege decem tribuū; signata fuit alibi  
quoq;, ut videbimus in Osea. quę & à Ioanne nunc  
certa figura ostēditur, quando Ecclesiastici vineam  
Christi suam fecerunt; reliquerunt ministerium,  
atque tyrannos se constituerunt in populo Dei, fa-  
cti alieni à Christo. vnde factum est, ut Christus  
aliam Ecclesiam elegerit, sc̄que iterum venturum  
promiserit in Osea, ut in eadem tandem constituat  
regnum perpetuum, & quod nullam sit deinceps  
commutationem habiturum. Et hęc patebunt in  
Prophetis, & in libris Regū. His positis, verba Pro-  
phetę videamus.

*Et signum magnum apparuit in caelo.* In Ecclesia  
ducta ab Abrahamo usque ad finem mundi, illud  
semper videbitur magnum, quod tertia ætate ab  
Apostolis, & quarta ab Abrahamo, extiterit & ap-  
paruerit illa quasi *mulier amicta Sole*. Fuit enim  
tunc ducta Ecclesia per martyrium in requiem, &  
patiendo vicit magnum imperium, & primum in  
orbe. & id fuit magnum, & admirabile. quod ait  
Apostolus: Induimini Dominum nostrum Iesum  
Christum; apparuit in martyribus, qui in corpore  
suo circumferentes passiones quę deerant in cor-  
pore

pore Christi; non veriti sunt quæcumque genera afflictionum, ac mortis pro nomine Christi sustinere. ac tales cùm se gererent, ipsa Ecclesia visa est amicta Christo, agore quæ sunt Christi; imò vero Christum esse in ipsa, agere in ipsa. *Et luna sub pedibus eius.* Nihil faciebant martyres commoda, diuitias, magistratus, honores, dignitates, regna, & imperia, ut Christum lucifacerent, ut in Christo corū fors imienirentur. & si quæ talia expectabant, expectabant in regno Christi, in quo erit eius populus regale sacerdotium. *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Victoriam obtinuerat in ipsis doctrina Euangelica, & Apostolica: imperium Romanum iam fuerat verbo Dei subactum. hinc & vigintiquatuor seniores habuerunt coronas aureas, qui doctrina Apostolica, & Propheticæ victores extiterunt contra Antichristum, ut cap. 4. dictum est antè. In duodecim stellis signatur & duodecim tribus Israeliticæ victores in Christo mudi, & tyrannotū. quod tandem apparebit in secundo aduentu Domini. *Et in ventre habēs.* In utero habebat Ecclesia, ex qua erat Deus educatus regnū suū Israeliticū, & iam videbatur concipere, quando quærebant à Christo Apostoli, an tempore illo restituturus esset regnū Israël. cap. 7. & 8. & 9. Isaï, & secundo Matthæi, vidimus quomodo Ecclesia pariat Christū regem. *Clamanuit, ut pareret.* Dum scilicet tot cruciatus sustinuit in strage martyrum, ut Christus ex prædicatione Apostolica oriretur mundo rex, ut is solus rex regū regnaret in omnibus terris semper. *Cruciabatur, ut pareret.* Quia iam instabat partus, quando sedata persecuzione, & baptis-

& baptizato Constantino Imperatore debuit Christus oriri in imperio Romano Dominus, & Rex, secundum cuius instituta oportuit illud Imperium, & omnes in omnibus terris vivere deinceps, atque omnes status publicos administrari. Et visum est aliud signum in calo. In Ecclesia visum est aliud signum contrarium superiori. Et ecce draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, & in capitib[us] suis diadema septem. Tempus illud tertiae aetatis, quod non videtur venire in aetatem, parum durauit, sicut tempus veluti illud quod stetit Adam in Paradiſo antequam peccaret. Nam statim adfuit aetas quarta veluti deglutiens tertiam, atque natu[re] est Antichristus cognitus Christo, & hic ostensus Ioanni. Describitur igitur hic totus status Papisticus, seu Antichristi. Ut vero verbâ exponantur, & sententia habeatur, ratio Prophetica, & omnino tractationis in omnibus divinis scripturis est ante oculos habenda. Nam quae hic dicuntur, si volueris referre ad initium Papatus, nescio quomodo poteris te expedire: si recordatus fueris Deum, ut ait Propheta, nuntiare futura, & saepè initio poni extrema, & interdum vniuersa vniuersi temporis complecti, tunc poteris cognoscere, quae de capitibus & cornibus dicuntur, pertinere ad finem Papatus; & quae de cauda, ad principium. nam Papa initio non ostendit caput. si enim ostendisset, fuisset cognitus, ut nunc fuit vulgo cognitus: nec in progressu temporum se omnino aperuit, sed in fine, quando contra prædicationem Euangelicam secundò repetitam à Christo, extulit Papatus contra Christum septem capita,

capita, & decem cornua, vt videbimus cap. 16, &  
17. Ponitur verò hic initio qualis tunc debuit ap-  
parere dum rationem retinet Propheta in traçtan-  
dis rebus Propheticam. in qua Deus significatur  
cognoscere, & videre tā futura, quām prēsentia;  
tā finem & exitum rerum, quām principium, &  
omnem progressum: atq; vt indicetur Papam ta-  
lem propè semper ante plurimos annos fuisse,  
qualem in fine se omnibus aperiet: & non solum  
Papam; sed & eos qui cum Papa coniuncti fuerūt  
in eodem Papatu. Describitur igitur hīc Papatus,  
& vocatur Draco: qui draco intrā dicitur Diabo-  
lus, & Satan: de quibus singulis pōst dicemus. In  
hoc draconē tria genera personarum sunt consi-  
deranda. Papa cum suis prælati: Imperator cum  
regibus, & regulis illis qui Papæam tyrannidem  
eueherūt, & tutati sunt: Diabolus cum suis An-  
gelis. atque ab illorū capite appellātur hi omnes  
Draco. huiusmodi imaginē habes in libro quar-  
to Eſdræ, vbi in vna aquila triū capítū, & duo  
decim alarum, octoque subalarum, habes totum  
statū populi Christiani in uno Papismo. Septem  
ergo capita septem Papæ sunt, quos ostendemus  
cap. 16. qui cōtra prædicationem cœptam in Lu-  
thero ostenderūt se apertos oppugnatores Euan-  
gelij. & quod fecerunt hoc toto tempore prædi-  
cationis distincto in septem tempora septem Pa-  
pæ, & Ecclesiastici, similia fecerunt plurimi alijs  
antē. Septem capita videntur ponī, quæ ferantur  
cōtra ea quæ sunt operis Spiritus sancti, & Chri-  
sti Iesu in suo secundo aduentu. Decem cornua si  
in capitibus considerentur septem, vt in singulis  
capiti-

capitibus sit vnum cornu, restabunt tria cornua.  
vnde ego ita distinguerem, vt septem capitibus,  
quæ septem bestiæ infrà dicuntur, dentur septem  
cornua; alia tria dentur Papis illis tribus, qui in-  
frà signantur sub quaccitatione trium ranarum,  
& ita in decé cornibus cognoscemus principes,  
qui fulcierūt, & tutati sunt Papam, & Papatū, suis  
opibus oppugnantes verbum Euangelicū, & Eu-  
angelicos. in numerum quorum veniunt omnes  
qui tutati sunt, & promouerunt Papatum annis  
superioribus contra Dei legent decem præcepto-  
rum, agentes eum Papa euersore illius, & sua libi-  
dine de illa statuēte. Septem autem diademata in  
septem capitibus sunt dignitas & authoritas, quā  
retinuit Papa apud principes usque ad concilium  
secundum Tridentinum: in quo cùm disceptare-  
tur de summo pontificatu Papæ, probabatur ille  
Antichristus. quòd post aduentum Christi cesseret  
summus Pontificatus in Ecclesia, ac populo Dei:  
quòd ipse sit solus, & in æternū summus Ponti-  
fex. vnde nemo possit præter ipsum esse. qui si sit,  
non possit alijs esse quam Antichristus. Ergo qui  
coniurati fuerunt cum Papa, fuerunt cum ipso  
Antichristi, & unus Draco. Is ergo est Draco quē  
vidit Ioannes septem capitum, & decem cornū,  
& septem diadematū. qui antè non fuit vulgo  
cognitus, nisi nunc à pluribus, & breui ab omni-  
bus cognoscetur. cognosces præterea Papatum  
esse Draconem ex illo adiuncto rufus, siue igni-  
tus. si contéplatus fueris eum rufum, seu rubeum,  
cognosces eum in bestia purpurata cap. 17. Vnde  
Sybilla Erythrea in epistola ad Græcos, loquens

de ortu Papæ, ait: Gallus modicis accubans ouis,  
pallium nigrum vertet in rubrum. & in oraculis  
priuandus Papa nuntiatur ornatu purpureo, &  
suscepturus iterum palliū nigrum. si ad verbum  
ignitus respexeris, ibi videbis opus Draconis,  
quod quidem est comburere omnes Euāgelicos;  
qui etiam excommunicauit omnes ut hæreticos,  
qui se Euangelicos appellarunt. quod fecit Pau-  
lus tertius anno 1543.

*Et cuncta eius trahit tertiam partem stellarum.*  
Hic intelligimus hominem in morte Christi li-  
beratum à peccato, & per afflictiones ductum in  
hortum voluptatis, in statum liberum & felicem,  
fuisse ut Adamum tentatum à Diabolo. cui qui-  
dam restiterunt, quidam paruerunt, & ederunt ex  
arboре boni & mali; ex arbore sito in medio pa-  
radisi, ex arbore vitæ. cum primum Christiani  
obtinuerunt Romanum statum, & alios alibi, de-  
buerunt Episcopi & Ecclesiastici constituere sta-  
tum Ecclesiasticum secundum prescriptum Apo-  
stolorum, atque expositam præbere legem Dei  
Regibus, & Rebus publicis, ut esset regnum Dei  
& Christi Iesu, dum omnes viuerent secundum  
legem Dei, qua & omnes principes & magistra-  
tus administarent. quod non est factum: sed le-  
gibus Imperatorum, & decretali Papæ admini-  
stratus fuit vterque status. Itaque edimus hactenus  
ex ligno scientia boni & mali, dum iussa, & vetita  
nostra valere voluimus, non quæ sua Deus solùm  
voluit suscipi. hic non colligam loca multa ex ver-  
bo Dei, in quibus Deus suam legem tantum vult  
esse propositam omnibus. id quisque potest facere,  
& nouit,

& nouit, qui diuinās scripturas legit. cognoscamus ergo nos omnes peccasse in Patrem, qui aut sancti- uimus leges populis, aut legi hominum paruimus, dū legi Dei debuimus parere. est enim Deus solus, qui habet scientiam boni & mali. quisque simplex vir nouit patris familiæ esse, iubere, & vetare; non filiorum, non seruorum. antequam suscepissemus legem Dei, & Christū Iesum, oportuit parere legi Dominorum nostrorum. si iam facti sumus Dei patris, ac Christi Iesu; acceperimus eius legem, cui patere astricti sumus iuramento in Baptismo, tam Principes quām priuati; quomodo potuerunt magistratus aliis legibus, quām Dei administrare? nos aliis legibus parere, quām à Deo latē? Aduertamus & peccatū in Filium. iussum est, ne quisquam ederet ex ligno situ in medio paradisi: quod fecit Papa. Cūm sāpē nuntiasset Christus suam mortem breui futuram, statim cogitarunt Apostoli de primatu quisque sibi illum arrogans post mortem Christi: Christus autem illum omnibus, & singulis prohibuit: & si sit in statu regio primatus, non ita dixit oportere esse in Ecclesiastico. vnde nec Petrum, nec alium ex Apostolis legimus retinuisse primatū aliquem. Vnde & grauius peccabit, qui se pontificem maximum faciet, vt dixi, & dicetur infrā. Cūm res sit tam facilis, & aperta, mirum est, fuisse tandem contentionem de primatu in Ecclesia, quem detestatus legitur sanctus Gregorius. In Spiritum sanctum peccatū est quoq; quando edit quis ex arbore vitæ. dixit Christus: Accipite Spiritum sanctum, & quoruncunque remiseritis peccata, remittentur eis. hoc est, aiunt doctores sancti, Spiritus est qui

S 2 remittit.

temittit. Papa autem quod est Spiritus sancti, sibi tribuit, indulget suis indulgentiis peccantibus; indulget & in purgatorio his qui in mundo peccaverunt. nec verò solùm peccat Papa hac in re; sed & qui Papæ credit, ut quod est Spiritus sancti, Papæ tribuat. in hæc peccata induxit Draco Papam, Ecclesiasticos, principes, & populum: ex quo fonte flumina prodierunt peccatorum. ut dum peccatum est in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, inueniamur prolapsi in voraginem peccatorum.

*Tertiam partem stellarum celi.* Hic monitos volo omnes, me nō accusare omnes Papas, omnes Ecclesiasticos, omnes Imperatores, omnes Reges, omnes populares sub Papatu: non enim sermo hīc est de omnibus; sed de tertia parte, quæ excidit è cælo, deseruit Ecclesiam Apostolicam, & secula est vitam priorem gentium. Fuerunt ante Sylvestrum, & post boni Ecclesiastici: fuerunt & pīj Imperatores, & Reges: ex populo plurimi se in cultu Dei cōtinuerunt, ut statim dicemus. Verū nunc non possunt nō venire in reprehensionem illi, qui nō credūt prædicationi, & illā oppugnat. ut magis infrā ca. 16. & 17. patebit. *Cauda.* Restat ut dicamus de cauda. Si parum peccatum est initio, ita ut nec cognitum fuerit peccatum, tamen illud crevit semper, ut historia docet, ut perueniat ad eam saeuijam quam vidimus nostro tempore, & videmus. dolo & simulatione pietatis antē multi ostēderunt se pastores, qui fuerunt lupi; ministros Christi, qui fuerunt Antichristi. Quando caput non videbatur serpentis, sed cauda tantum agebat, non cognoscēbatur: nunc capita extulit,

tulit, & illum apertū Antichristum conspicimus.  
*Et misit in terram.* Paulatim facti sunt Ecclesiastici multi profani, gentes ut antè, carnales, studiosi pecuniarum, & voluptatum, ambitiosi, consectoratores altiorum graduum, admirantes tyrannos, contemnentes Euangelium, & suum munus.

*Et draco sterit ante mulierem.* Ecclesia tempore Sylvestri debuit parere regnum Dei, & habere in eo Christum Regem regum. verùm Satan persuasit pulchrum eis non habere Dominum, sed dominari aliis; suis legibus, & suo motu proprio administrare, & agere omnia. Malo ergo Ecclesiastici & politici prohibuerunt bonos ne constueretur regnum Dei: his restiterunt dolo, & vi ingredientes ipsi in administrationem: ita verò venerunt contra bonos, ut si Christus adesset, illum iterum crucifigerent. doceat historia quomodo Papatus persecutus sit semper, & interficerit viros bonos, ipsum in viam reuocantes.

*Et peperit filium masculum.* Prædicarūt quidem & initio, & deinceps, pīj viri Christum Dei filiū heredem vniuersorum, cui debebatur ius primogenituræ, ut esset Dominus & Rex mundi: atque suis legibus & institutis administraretur status Ecclesiasticus & politicus, non decretalibus Pontificiis, non legibus Imperialibus.

*Qui recturus erat omnes gentes virga ferrea.* Ecclesiastici debuerunt persistere in prædicatione, & eam dilatare per omnia loca, ut fecerunt Apostoli, & martyres; non cessare ab ea, donec totus mundus venisset sub regnum Christi: principes autem tueri Christianos contra omnes aduersa-

rios , postquam & Christianorum fuit magistrus , & is omnibus modis legitimus . verum quod non fuit tunc factum , fiet nunc , & virga ferre aget Christus , quæ continentur Psalmo secundo . ex capite autem septimo , & octauo , & nono Isaiae patuit ratio , quare filius Dei , qui natus fuit ex Maria virginе , dicatur nunc à Ioanne natus è muliere post plusquam trécentos annos . vt scilicet ostenderetur tempus quando Christus debuit restituere regnum Dei dictum Israëliticum , ac illud sibi sumere , in eoque se suis legibus administrare , ac ministros habere principes suæ legis . *Et raptus est filius eius ad Deum , & ad thronum eius .* Dum autem facti sunt mali ministri Antichristi , ac se Christos & Deos constituerunt in Ecclesia , & regno Dei ; cessit illis Christus ad tempus , ac dedit locum Antichristo , vt suum tempus expleretur in terris , regnaret tamen ipse cum Patre : ac sine suo nutu nihil fieret in terris : vetus deinde , & prædicaturus iterum Euangelium in toto terrarū orbe : atq; iudicaturus per illum viuos & mortuos : puniturus totum statum Antichristum . *Et mulier fugit in solitudinem .* Postquam boni non habuerunt locum in administratione , occupatibus malis illam , continuerunt se in verbo Domini retinentes Euangelicum cultum . Ac dum mulier dicitur acta in solitudinem , nō solùm intelligo viros illos , qui abhorrentes à vita Ecclesiasticorum , & aliorum vitam alienam à Christiano homine ducentium , se in diserta receperunt ; sed & alios priuatos , & illos qui fuerunt in aliquo munere , & magistratu , & illos reges qui piè vixerunt ;

integ.

integreque, ut tempora tulerunt, se gesserunt. intelligo & illos qui in Psalmis sèpè vocantur absconditi. qui maiori vi Spiritus præditi, magis quam alij recesserunt à communi cultu, & vita Papistica: qui in intimis animis nutriuntur verbo Dei, ac furtim rapiunt ex sacris codicibus cibum, usque dum iterum veniat Christus, qui publicū, & liberum restituat cultum Euangelicum. *Diebus 1260.* capite superiori dictum est de his annis, seu tempore, ad quod nunc peruenimus.

*Et factum est prælium magnum.* Ex his quę nūc sequuntur quisque aduertere poterit, non debere videri admirabile, quod diximus, capita septem, & cornua decem bestiæ spectanda esse in fine, & caudam initio. nam hic tria tempora, & tria facta, & plura nomina diuersorum diuersorū temporum, & ætatum conducuntur in vnam narrationem. tempus, & factum Angelorum peccantium; tempus, & factum Ecclesiasticoium, qui defecerunt à Christo ad Satanam, & facti sunt Dracones, Diaboli, & Satanæ; & simul totum tempus, & bellum Antichristi contra sanctos. Primū Michael & Angeli cius dicuntur præliari cum Dracone, & cum angelis eius, ut simile factū ostendatur illius temporis, & huius. imò & eosdem esse qui præliantur, non solū quia pij sunt boni Angeli, & mali horum aduersarij; sed & quodd suscepérunt hi initio semen serpentis, dicti sunt filij Diaboli, & Satanæ; & deinceps, qui secuti sunt ex eodem semine, atque maximè nūc Papistæ illi, qui veniunt cōtra prædicationem Euangelicam: quique iterum ederunt ē ligno, quod est in medio paradisi cū Papa, & cum

tyrannis. pro vno spiritu immundo electo sunt  
 ingressi septem mordentes septem capitibus, & vo-  
 rantes Euangelicos. tria autem sunt tempora pugnar-  
 Papistarum cum fidelibus. in initio Papatus, quando  
 apparebat cauda; in progressu Papatus, quando vi-  
 debatur cauda, & certa longitudo corporis; in fine,  
 quando extulit nunc vasta bestia septem capita ape-  
 rientia os contra prædicationem Euangelicam, quæ  
 septem capita narrantur cap. 17. nomine septem  
 bestiarum. his tribus temporibus fuit idem semper  
 draco antiquus: sed primo tempore parum, & a  
 paucis cognoscetur: in progressu temporis quo-  
 tidie magis ac magis corpus apparebat: ac pluribus  
 ipse se declarabat, donec tandem nostro tempore  
 visus est totus draco, cauda, corpus, & septem eius  
 capita. & palam iam ubique Antichristus voca-  
 tur. Dum Angelorum pugna commiscetur cum  
 nostra, eadem causa ostenditur occupandi locum  
 Christi, & Dei patris. unde Papa, & Papae tyran-  
 nus ita in Isaia loquens inducit: Calum ascen-  
 dam, super stellas Dei exaltabo solium meum, &  
 sedebo in monte Ecclesiæ in lateribus aquilonis. &  
 sic circò ad idem iudicium Angeli mali, & Papistæ,  
 ut ait Petrus, seruantur. Et simul cognoscimus  
 Michaelem Angelum Christi, & omnem militiam  
 Angelorum eius pugnare nobiscum, & adesse no-  
 bis contra Papam, & Papatum. & ego de hac re me  
 testem profiteor. Non repetam iam pugnam Papa-  
 tus ab initio ortus Antichristi usque ad haec nostra  
 tempora, quibus pugnatur in Gallia: historia illa  
 continet. quod verò haec pugna intelligenda sit  
 de nostro tempore, docet Daniel cap. 12.

Nequo

*Neque locus inuentus est eorum ultrà in celo. Iam ab initio tyrannidis Papatus Antichristus cū suis fuit eiectus ex Ecclesia , nec vltià fuit apud ipsum Ecclesia. eiectus, inqua, fuit vt Adamus ē paradiſo: & Lucifer ē cælo. quod autem Papa non sit Ecclesia, probatur cap. 2. Oſe. & nunc tandem apparebit. Et proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus. Quisnā sit Draco iste, disce à Ieremia cap. 51, vers. 34. disce quomodo voraverit Ecclesiam. Magnus autem dicitur, quod magnitudo eius extendatur ab Adamo ad Cain, & omnem semen eius; ad Esau, & omne semen eius; ad Pharaones, Saulos, Scribas, & Phariseos; ad Pāpam, & Papatum, peitingens ad Gog & Magog usque ad tartara, ad postremum tempus iudicij Christi: serpens antiquus , qui Adamum & Euam decepit, atque genus humanum perdidit. Qui vocatur Diabolus, calumniator, vocans hereticos omnes qui se non adorant: perueriens diuinās scripturas: bonum malum, & malū bonum faciens: se esse lucem mentitur, atque omnes præter se esse tenebras arguit; & talia.*

*Et Satanas. Qui aduersatur, & extollit supra omne quod dicitur Deus, aut colitur: iactat se esse supra Concilium, se esse Ecclesiam: non esse credendum Euangelio, nisi Ecclesiæ credatur, hoc est, sibi. Ab initio Papatus serpens & diabolus semper extitit fraudulentus, & calumniator: nunc in secunda prædicatione Christi aperit se Satanam, qui antē latebat . & tandem unus & idem, qui fuit, & est, & erit, appetet nunc Lucifer, Serpens, Diabolus, & Satanas in uno Dracone, qui in Papa, & in*

Papatu conspiciatur. *Qui seducit totum terrarum orbem.* Non repetam dolos Papatus ab initio: sunt historiæ & libri de Antichristo scripti, & de fraudibus Papæis. cap. 17. dicam de duobus conciliis Tridentinis. Per Papam verò fit, ut populus Christianus versetur in erroribus, ac perpetuis bellis exagitetur: per ipsum factum est, ut Euangelium non excurrerit per vniuersum orbem: fama verbi Dei, & pij cultus vocabantur gentes ad Euangelium: quod verbū per Papam & suos Ecclesiasticos male semper audiuit, & audit. *Et projectus est in terram.* Dū draco traxit ad se in terrā tertiam partē eorum qui erant ex Ecclesia, quales facti sint Ecclesiastici Papæi, nouerunt ipsi; & patet videntibus. Si odio ducti scriberemus, campus hīc datur magnus dēcidi de terrena eorum vita. tantū illud sit dictum, ut sementem fecerit quis, ita metet. *Et audiui vocem magnam.* Videlicet Christi clamantis in suis seruis conclamata ab Apostolis, & Prophetis illa, quæ sequuntur: quæque sēpē antè fuerunt ab aliquibus piis monita, & proposita instare. *Tunc fæta est salus.* Hac sunt aperta: sed illud attēdendū, quod hēc perfecta conspiciuntur in innovata Ecclesia: interea pronuntiantur esse antequam fuerit Papatus. quia ita sunt statuta apud Deum, ut vidi mus cap. 2. Ose. & alibi. Apostoli eadem nouerūt: & pij ita senserūt futurum tāquam rem peractam, & perfectam. vt spoliandus esset Antichristus, ac ipsi auferenda, quæ sibi vendicauit, Christi: vt salutem, virtutem, regnum, potestatem. dicitur salus facta Christi, quia in Papa Diabolus mēdax sibi tribuit salutem nostram, & à Papa vult haberi remissionem.

missionem peccatorum : in Papatu tantū futurū otium, tranquillitatem, liberationē à malis, & beatam vitam. dicitur Virtus, propter cornua, propter principes & reges in Papatu coniunctos , per quos vi obtinet Papa vbi autoritate non valet. dicitur Regnum , quia regnū Christi vult in Papatu suum esse Satan. dicitur Potestas, quia quicquid est Christi, sibi id tribuit Papatus, summum sacerdotium, ad ministracionem Ecclesiæ, ac status populi Christiani: potestatē iubendi, & vetandi, quæ sunt verbi Dei, & quæ sunt talia. Et si aliqua ex his dantur hominibus, vt administratio Ecclesiæ, & status populi Christiani , dantur ut eorum quæ sunt Christi, non Satanae. *Proiectus est accusator fratrum nostrorum.* In principio Iobi vidimus calumnias Diaboli contrapios: hic possumus intelligere accusationes & calumnias Papistarum, qui vocant Euangelicos hereticos, rebelles, seditiones, atque in tota Ecclesia Christiana, quæ est ante conspectum Dei, quam conspicit Christus, illos reos faciunt, & occidunt.

*Die ac nocte.* Inter pios & bonos, atque inter impios & malos , faciunt reos viros Euangelicos; suppliciis ac morte afficiunt.

*Et ipsi vicerunt eum per sanguinem Agni .* Euangelici restiterunt mendaciis Papæ , quod nouerint salutem suam in sanguine Christi, non in Papa esse positam : & quod nouerint verbum Euangelij verum, quod quidem ipsi confessi sunt, atque Papam, & in Papa Satanam mendacem . Itaque verbum Dei, ac Christi Iesu tutati sunt, vt non recusarint mortem in eo defendendo: certarunt, ac virtute Euangelij , quæ est per sanguinem Christi , extiterunt

runt victores. *Proptereà latamini, cali, & qui habitatis in eis.* Hęc exultatio cùm semper esse debuerit in animis piorum, quod pro veritate Christi tuenda passi sint, id fiet maximè in innouata Ecclesia: ut publica & vna omnium voce in omnibus locis populi Christiani, & tandem in toto terrarum orbe existat hęc exclamatio, & triumphus.

*V& habitatoribus terra, & maris, quia descendit Diabolus.* Hęc respiciunt totum tempus Papatus, in quod Diabolus venit obtinens statum Politicū & Ecclesiasticum externum, vt in hoc perdat omnes, quantum possit. *Habens iram magnam, &c.* Ira magna Diaboli conspicitur in Papistis crudelibus. Cùm videat Diabolus instare tempus vt restituatur regnum Israeliticum, regnum Dei restituatur in terris; Christus regat illud, & Ecclesiam, nouo adducto ouili, quod occupet totum orbem, vnde sit ipse ejiciendus; ira incenditur magis ac magis semper: ac interea, quatum potest, conatur perdere omnes Euangelicos. Et quod nunc vidimus factum à Satana, factum fuit antè semper in tyrannide Papæ: semper suspicio torsit Papam & ecclesiam Romanam, ne quis conturbaret suum statum, ne adduceretur regnum Christi, reuocarentur quae sunt Christi, & ecclesiae Apostolicæ in populum verè Christianum.

*Postquam vidit Draco quod proiectus, &c.* Postquam vidit factam diuisionem Diabolus, vt Euangelici sint à se separati, nec nisi tertiam partem stellarum potuerit sua cauda draconica in se trahere, seque non habere potestatem nisi in terrenos homines, contulit omnes vires suas & versu-

tiam in persequendo & necando illos, qui doctrinam Euangelicam & Apostolicam retinuerint. Et datae sunt mulieria alæ dñæ aquila mag. Hic significatur fuga velox, & magna; longaq; propter vim bestiæ separatio, quæ fieri oportuit ab impuro, & malo regno Papistico. Et cum in varia & diuersa loca ad dexterâ & ad sinistrâ dispersi fuerint Euangelici deserta petentes, in duobus locis mihi videntur maximè ostédi, in valle Angroniana in regione Pedemontana, in agróque Auinioniensi. sunt qui sentiant alteram alam fuisse extésam in Bohemos. Quæ religio fuerit Valdensium, eorum confessio typis impressa docet. *Vt volaret in deserta.* Valdenses quidem coluerunt deserta, vt nunc quoque colunt. Verum non solum qui extra vrbes sunt, hic intelliguntur, sed & qui sunt in urbibus serviæ spiritu Christo. Debuerunt viri Euangelici deserere terras Papistarum, qui potuerunt id facere: carere illorum commodis, & superbia, luxuque vitæ: quod præceptum fuit cap. 13. Leuitici. dicitur volare in desertum, vt alludatur ad desertum, in quo fuit populus Israeliticus à Deo nutritus, & altus. & alæ dñæ dicuntur datae, vti dicitur Exodi cap. 19, vers. 4. Tulerim vos super alas aquilarum. Atque is locus est Ecclesiæ, vbi fideles pascuntur à Deo spirituali cibo; verbo, & vita Christi. Vnde existimo factum, vt tantus numerus Christianorū olim deserta petierit, non tam vt vitarēt sævitiam tyrannorum, quam vt discrimin ostenderetur inter Christianos, & Christianos. vt Ecclesiastici fruerentur regnis & voluptatibus turpibus; simpliciores Christiani deserta colerent, ac durè viuerent,

xent, ut pudere deberet opulentos, & lascivientes Ecclesiasticos; tametsi deinde & simpliciores attracti sunt in caudam, & in corpus serpentis. vt nunc Dominicani sunt detes draconis, & septem bestiarum, virusque serpentis, ac satanæ.

*Tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Re petit tempus 1260 annorum. nam in tempore intelliguntur mille, in temporibus ducenti, in dimidio temporis sexaginta: de quo toto numero dictum est ante. Franciscus Petrarca in cantione *Spirto gentil*, ita videtur intellexisse numerum 1260 dierum: veluti alij Prophetæ noui interpretationi sunt. qui Petrarca scripsit in toto eo libro de hac muliere ducta in deserta loca, non autem de alia, ut crassa ingenia voluerunt.

*Et eiecit ex ore suo.* Papa dedit his qui secum coniuncti fuerunt multos fructus Ecclesiasticos, opulentos Episcopatus, & Abbatias, & alia. & simul iisdem bonis voluit corrumpere viros Euangelicos. qui verè Euangelici fuerunt, retraxerunt se: qui non longe recesserunt à Papatu, accepterunt huiuscmodi bona, propter quæ coniunxerunt se Papæ, & venerunt in caudam serpentis. decepti fuerunt vt Adam & Eua: gustatoque ligno quod est in medio paradisi, auersi sunt ab Euangilio, & perierūt. hoc autem tempore maximè effundit draco Papæus flumen, & largitiones suas, quibus suffocet omnes in omnibus locis. verùm qui terrei sunt imbibent illas, non autem pīj viri.

*Et iratus est Draco aduersus mulierē.* Papatus iratus semper fuit his qui secum non fecerunt, & reuo-

reuoerunt se ad vitam Euangelicam , & disciplinam Apostolicam; atq; ad suum munus, & opus. Si venissent in illorum manus discipuli Apostolorum, si Apostoli, si ipse Christus, idem egissent erga hunc & illos, quod Scribæ & Pharisæi, quod tyranni: sine ita tractassent, vt Ioannem Husium , & Hieronimum Pragensem. quia vero non potuerunt attingere mortuos, persecuti sunt semper omnes viros Euagelicos, & prædicatores, & prædicationi credentes. Intelligitur & ita hic locus. Cum non posset Papa, & Papatus sine manifesta vi Antichristica contra Anachoritas , & similes quicquam grauius statuere, persecutus est filios, hoc est, eos qui continuerunt se & retraxerunt a Papismo, atque prædicarunt veritatem verbi Dei. Et stetit super arenam maris. In perpetua custodia fuit Papa, Papatus & Ecclesiastici, ne quis contra se loqueretur, & ageret. steterunt super arenam maris, vi politica & tyrannica munierunt se, & parati fuerunt ad deuorandos pios, & ad se pertrahendos parum fidos Christi.

*Argumentum in Cap. 13.*

Progressus Papatus describitur, atq; Antichristicus eius status cōfirmatus ætate quinta per Carolum magnum. vt suprema authoritas in Ecclesia, & in populo Christiano esset penes Papam. Et vidi bestiam e mari ascendentem. Hic mihi videtur describi finis quartæ ætatis ducta prima ab Ecclesia Apostolica; item ingressus in quintam, atque eius progressus. Quinta hæc ætas tribuitur tota animali, & hominib<sup>9</sup> more belluino vitâ decentibus. mare autem hic ponitur tum pro omnibus

bus generatim hominibus, qui sunt sine spiritu,  
ac Dei cultu; tūm pro omnibus in Papatu sine  
verbo Dei more belluino, ac impiarum gentium  
viuentibus, vt vidimus cap. I. Gen. in die quinta.  
Hæc ergo vita belluina visa est in Papatu maximè  
ætate quinta. & tūc visa fuit impietas in toto pro-  
pè populo Christiano veluti in mare inundare, &  
circunnoluere omnes. indē visa est bestia domi-  
na maris ascendere, & ostentare se, ac minari om-  
nibus viuentibus in mari: hoc est, in toto populo  
Christiano. *Habentem capita septem, & cornua de-*  
*cem, & super cornua eius decem diademata, &c.*  
Hic describitur separatim Papa. sed quia potestas  
est vna, & vnum corpus Papa & principes Papæ;  
& quia dicitur deinde, Et dedit illi Draco vir-  
tutem suam, & sedem, & potestatem magnam;  
videndum est prius, quomodo de omnibus  
coniunctim dicuntur hæc, que hic dicuntur de  
bestia, deinde de Papa separatim. Diximus septem  
capita esse septem Papas, qui restiterunt hoc tem-  
pore prædicationi; & cœcito omnes Papas, & po-  
testatem Papalem, quæ antè semper oppugnauit  
Euangeliū. nam Papa prædicauit se caput omnium,  
& vt caput suscepimus fuit à toto Papilmo. decem  
cornua diximus fuisse principes, qui armis pu-  
guarunt contra agnum hoc nostro tempore; atq;  
simul apparuerunt fuisse omnes principes, quibus  
antè usus est Papa ad opprimendos viros Euange-  
licos omnibus temporibus. Coniunxerunt autem  
se Papa, & principes Papæ, & quisque quod suū  
erat quadam ratione & certis temporibus tribuit  
alteri, atq; ita factus sit vñus Draco. Quadam alia  
ratione

ratione quisq; quod suum est assumit: item quod  
est singulorum. princeps Papista, vt sit in suo mu-  
nere tyrannus, & non minister; concedit de suo  
imperio Papæ: Papa vt retineat statum Antichri-  
sticum, communicat principibus autoritatem  
Ecclesiasticam. Ita verò factum est, vt Papa & Ec-  
clesiastici facti sint politici, & politici Ecclesia-  
stici. illi, quorum munus erat adolere incensum,  
gestent gladium; isti adolescentia incensum, quoru-  
fuit gestare gladium. atque hec factitata sunt ma-  
xime nostris temporibus. vt Papæ, & singulorum  
principum papistarum simul multiplex esset po-  
testas: & quisque separatim multiplicem potesta-  
tem sibi vendicarer. quam multiplicem, & omnē  
in se vnum tandem conuertit Papa: vt quæ mul-  
tiplex fuerat, vna in se sit: atque multi tanquam  
membra in vnum corpus coëant, cuius sit ipse ca-  
put: omnesq; sibi pareant, sibi ministrent: ac tan-  
dem omnis omniū papistarum authoritas sit pro-  
pria vnius Papæ. super sua capita septem gestet se-  
ptē diademata, retineat autoritatē perpetuā &  
potestatem in omnibus Ecclesiis: gestet super de-  
cem cornua decem diademata; retineat omnem  
authoritatem & potestatem, quæ sit omniū prin-  
cipum Papistarum politicorum. vnde statim ad-  
ditur: Et dedit ei Draco virtutem suam, & sedem,  
& potestatem magnam. Nos hoc tempore vidi-  
mus septem capita Papæ à Leone vsque ad Pium  
quartum. vidimus sua septem diademata in omni  
authoritate & potestate, quam sibi tribuerunt in  
omni re Ecclesiastica. vidimus decem eorum cor-  
nua, principes Papæos pro ipso pugnare. & tandem  
T vidimus,

vidimus, & videmus nutu Papæ omnes principes  
Papæos administrare rem bellicam contra Eu-  
gelium. *Et super capita eius nomen blasphemia.* Et  
insuper sedeat in templo Dei tanquam Deus, &  
extollens se supra omne quod dicitur Deus, non  
solum supra omnes reges terræ. Quicquid Anti-  
christisticè agit, tanquam sit Deus, iactat se agere.  
Pius quintus erit hic audiendus in sua forma iu-  
ramenti. *Et bestia, quam vidi, similis erat pardo.* Si-  
milis erat pardo quatenus multiplex, & varia, seu  
diuersa, & cōtraria erat in Papa authoritas, quam  
dixi: item quatenus dolo, malitia, & fraude tutu-  
tus est statu papæum. *Pedes eius ut pedes vrsi.* Ter-  
rena consecrando, terrena lingendo, & sugendo  
vndique. *Et os eius, ut os Leonis.* Minans confra-  
ctionem, & vastationem omnibus sibi non obse-  
quentibus. *Et dedit ei Draco virtutem suam, & se-*  
*dem suam, & potestatem magnam.* Dedit virtutem  
suam, ut esset pardus varius; ut cum esset Ecclesia-  
sticus, præsbyter, & Episcopus, esset & summus  
Pontifex Romulæus; item princeps politicus,  
dux, & miles. dedit sedem suam, permisit magi-  
stratum causidicum, & litium; item inquisitoriu-  
m, ubi vrsina iracudia, & libidine infinita ageret, vi-  
tam & bona raperet. *Dedit potestatem magnam.*  
Hic non dicitur suam. quia politici cum dederūt  
authoritatem suam politicam Papæ, & loca sua  
iudiciorum, dederunt deinde potestatem maio-  
rem, quam in ipsis esset. Ut scilicet liceret fidem  
datam fallere, agere nullo seruato modo, & iure;  
peruertere diuinas & humanas leges: facere sua  
iudicia, & sua tribunalia speluncam latronum, vt  
ait

ait Ieremias. vt quātum vi leonina posset, tantum  
commiueret, & perderet, vt cædes etiam vniuer-  
sales hominum ficeret.

*Et vidi unum ex eius capitibus abscissum in mortem,  
& plaga mortis.* Hic significatur Leo quartus Pa-  
pa, qui expulsus Roma à populo & à clero, profe-  
ctus est in Galliam : & ita egit cum Carolo ma-  
gno, vt magno exercitu veniret Romam. ibi Ca-  
rolus reponit Papam in primam suam & maio-  
rem adhuc tyrānidem. Papa crebat Carolum Im-  
peratorē : hic imperator auget autoritatem Pa-  
pæ. Summū pontificem, & Vicarium Christi vult  
appellari, & reliqua, quæ infrā dicuntur, vbi agi-  
tur de bestia è terra ascendentē. caput ergo occi-  
sum in mortem est, expulso Papæ Romā: curatio  
plagæ, est restitutio eiusdem in urbem per Caro-  
lum. Quod verò caput unum dicatur abscissum,  
signatur tempore uno desisse Papam. quamuis  
enim dixerimus initio superioris capitis in se-  
ptem capitibus intelligi septem Papas, qui essent  
oppugnaturi prædicationem cœptā in Luthero,  
diximus etiam tempus & Papas ab initio tyran-  
dis Papæ usque ad eandem prædicationem ve-  
nire in illum numerum septenum. vt ubique &  
semper cognoscatur in papatu longus Draco, &  
Antichristus, insurgens contra Ecclesiam Christi,  
& Euangeliū: qui Antichristus expulsus tempore  
Caroli, fuit deinde restitutus. *Et admiratio fuit  
in vniuersa terra post bestiam.* Et fuit tam magna  
rei indignitas & scelus quod commisit Carolus,  
vt omnia secula admiratura sint tantum facinus:  
quod testatur historia. *Et adorauerunt Draconem.*

Per enumerationem afferuntur facinora admissa,  
 & memoratur rerum indignitas. Primum com-  
 probatū fuit, quòd rectè factum sit à Constantino,  
 qui voluerit vt Papa secum adoraretur; & ipse Ca-  
 rolus, vt ad se quoque defereretur adoratio, resti-  
 tuit Papam in priorem idolatriam, vt esset ido-  
 lum. vnde veniebat adorandus Carolus, qui Pa-  
 pæ dederat vt adoraretur. hinc dicitur, Et adora-  
 uerunt Draconem, hoc est Carolū, qui dedit po-  
 testatem bestiæ, vt scilicet adoraretur Papa. vnde  
 sequitur: *Et adorauerunt bestiam, Papam, dicentes:*  
*Quis similis bestiae, & quis poterit pugnare cum ea?*  
 Cum in ea sit potestas draconica papæ, Papæ  
 scilicet, imperatoris, & regū papistarum, pugnat  
 Papa contra eos, qui se ciccerant, potentia papæa  
 sibi data, & imperatoria, & regia: vt nec populus  
 Romanus, nec Ecclesiastici potuerint tunc resi-  
 stere vi papæ. *Et datum est ei loqui mag. de sua po-*  
*testate, & facultate. non est hic necesse numerare*  
*singula omnibus nota. quòd omnia possit Papa,*  
*quòd sit supra Concliu, supra Euāgelium; quòd*  
*sit Deus, quòd summus pontifex, quòd recta &*  
*rata esse debeant quæ suo motu proprio protulit;*  
*quòd nō sit subiectus legibus: & talia. Et data est*  
*ei potestas, vt faciat menses 42. Hoc est, vt in bellū*  
*concitet totum populum Christianum, adducat*  
*tempestatem illam magnam, cuius nulla vñquam*  
*fuerit similis, aut futura sit. de qua cap. II. dictum*  
*est. quòd Papa calcabit Euangelicos 42 annos,*  
*vt antè ab initio tyrannidis papæ calcauit usque*  
*ad illud tempus, quando deinde adducet pertur-  
 bationes bellicas, & tempestatem, quam dixi.*

Et

*Et aperiet os suum in blasphemias coram Deo. Quæ vidimus facta hoc tempore, dum prædicatum est Euangelium, ut Papa negauerit esse Euangelium, vocari illud hæresim, suam doctrinam cōtra Euangelicam proposuerit, & talia. nam quæ egit, & locutus est nostro tempore, eadem locutus est, & egit contra Euangelium, & Euangelicos, postquam confirmatus fuit in tyrannide. & hic repetatur historia eorū quæ egit suo tempore Leo quartus. & deinceps alij: quæ tempore Albigeriorum, quæ contra Ioannem Hussum, & Hieronimum Pragensem, & alios. vnde sequitur. Et datum est ei bellum facere cum sanctis. Hæc nota sunt, & apparet quinam fuerint Antichristi. nam Papa, & Papæi fuerunt qui bella gesserunt causareligionis, non illi cōtra quos bella fuerint suscepta. In omnem tribum, & ling. Contra Gallos, Italos, Hispanos, & omnis generis homines suscepit Papa bellum, qui eum non adorarant. Et adorabant eum omnes qui habitant terram. Omnes terreni, omnes Papistæ qui non sunt Christi, adorauerūt Papam, & iurarunt in Melchom, vt ait Propheta. iuramentum quod exigebat Pius quintus, ostendit has omnes blasphemias, & bella, & persecutionem, quæ vidimus. quis vñquam & tam diu fuit adoratus præter Papam? non erit ergo Papa, de quo fit hic sermo? Si quis habet aurem, audiat. Si quis in captiuitatem duxerit. Ostendit hic Ioannes se loqui de toto tempore tyrannidis Papæ, dum à Leone quarto descendit ad perturbationes nostras, & ad tempus iudicij. nam ubi auris ad audiendum vocatur, significatur non vnum tan-*

tum tempus intelligendum Leonis quarti ; sed & tempus secundi aduentus Domini, quando Papa & Papæ puniendi erunt , & passuri sunt ea mala quæ in Euangelicos intulerunt.

*Hic est patientia , & fides sanctorum.* Ut sustineant vim papisticā , direptionem bonorum , afflictionem , seruitutem , & mortem , usque ad iudicium : atque sperent , certoque sciant languinarios Papistas eadem passuros , atque Christū allaturum præmia , & pœnas , ut quisque meritus fuerit . hinc dictum est Psalm. 27 . Expecta Dominum , viriliter age , confortetur cor tuum , & sustine Dominum .

*Et vidi aliam bestiam ascendentem è terra.* Exponitur quomodo fuerit ætate quinta curata plaga bestiæ , de capitibus cuius unum fuerit occisum in mortem . Carolus magnus sis fuit qui eius plagam curauit . & dicitur bestia ascendere è terra , ut dicebatur Papa bestia ascensens è mari : ut in terrestri intelligentia politicum , & in maritima Ecclesiasticum . *Et habebat cornua duo similia agni.* Per haec cornua existimo signari duplē vim ac facultatē verbī & doctrinæ , atque vim bellicam & potestatem regiam . de facultate & potestate bellica & regia , manifestum est ex his quæ egit , & consecutus est . de vi verbi hic docet Ioannes , & ait : *Et loquebatur , ut draco.* Doctus à schola Parisina loquebatur quæ status papisticus docebat ; quæ Papa cum omnibus suis . siue quæ priores imperatores , & reges , qui ut Ecclesiastici , statuebāt ut daretur omnis potestas Papæ . *Et potestatem prioris bestiæ omnem fecit in conspectu eius.* Si prior bestia intelligatur draco , dicemus Carolum eam potestatem in urbe Roma-

na dedit Papæ, quæ ei data fuit initio à Constantino, siue ab alio imperatore, & rege, siue ab aliis imperatoribus, & regibus: si intelligatur prior bestia ea quæ exponitur alio membro, cuius plaga curata fuit, videlicet Papa, dicemus Carolum sumptuose sibi potestatem papeam omnia effundi, etiam proprio motu, ut aiunt, atque tanquam caput Ecclesiasticorum constituisse de Papa, quæ vi potuit, & libido suasit. *Et fecit terram.* Fecit Carolus ille, ut totus status Antichristicus, & omnes qui in eo comprehendenderentur, adorarent Papam. *Et fecit signa magna, ut etiam.* Hæc signa quæ hic dicuntur, existimo esse illa, quæ schola Parisina protrulit in suis disputationibus, in miraculis falsis: & præsertim miracula quæ promulgarunt de carne Christi in pane, & de sanguine in vino. & hoc existimo signatum in igne, quem fecerint descendere ē cælo; veluti sacerdotes Baal fecerint descendere ignem ē cælo, non autem Elias: atq; verum fuerit sacrificium sacerdotum Baal, non autem Eliæ: vera sit cœna Papæ, non Euangelicorum. hic erunt assumenda quæ dicta sunt in libris Regum de sacrificio Eliæ. & oportet cognoscere quænam schola Parisina reliquerit miracula falsa de hac re. facere autem signa hic intelligimus, illa efficere, propter quæ Papæ credatur, & eius imperium suscipiatur: dicunturque signa fieri à papatu; quia signa in diuinis scripturis data sunt de secundo aduentu Domini, & de ipso vero propheta, Deut. 18. & illa signavult Papa de se intelligi. possunt & signa hæc referri ad victorias, quas obtinuit Carolus ille, propter quæ existimatus fuerit omnia rectè egisse,

tanquam is per quem præclara Deus egerit. Et se-  
 ducit habitantes in terra. Hinc deceptus est popu-  
 lis Christianus ob illa quæ gessit Carolus in Pa-  
 patu. *Dicens incolis terra.* Quemadmodū schola  
 Parisina inuexit in populum Christianum multas  
 hæreses, & superstitiones, & miracula de Sanctis,  
 & de sanguine Christi; sic & persuasit Papam esse  
 Summum pōtificem, Deum in terris; atque oport-  
 ere omnes illum adorare: iccirco oportere erigere  
 imaginem bestiæ, & papæ Leonis quarti, qui fue-  
 rat electus è tanta authoritate ac potestate papæ.  
 hic autem non tam ipse Carolus intelligendus vi-  
 detur, quām schola regni Gallicani, quæ bestiam  
 erigat, fulciat, & sustentet in toto populo Chri-  
 stiano, ne labatur & concidat. Per imaginem exi-  
 stimo hic signari bestiam descriptā cum septem  
 capitibus, decē cornibus, & diadematis dictis  
 antè. hoc est, ipsum Papam generatim, non so-  
 lū Leonem quartum; ipsum papatum, & quic-  
 quid est papismi, credere & suscipere: esse papi-  
 stam, profiteri se papistam: reuereri insignia pa-  
 pæ, & talia. Dum mortuum dictum est vnum  
 caput, quia ponebatur pro certo tempore caput  
 illud, mortua erat bestia papalis, nullus erat Pa-  
 pa, & cultus papæus, & papismus, electo & expul-  
 so Leone quarto. Et datum est illi Carolo ut da-  
 ret spiritum imagini bestiæ, efficeret ut reuinisceret  
 authoritas papæ, erigerentur insignia, & talia.  
 Et ut loquatur imago bestiæ. Ut in authoritate sint  
 priores Papæ, & omnia illorum acta & decreta.  
 Et faciat, ut quicunque non adorauerit. Et qui-  
 cunque non adorauerit Papam, non iurauerit in  
 Papam,

Papam, non fuerit papista, hæreticus habecatur, comburatur, aut alia morte plectatur.

*Et facit omnes paruos & magnos accipere characterem. Accipere characterem in manu sua dextra, est iurare in Papam, secundum illam formulam quam proposuit Pius quartus in sua forma iuramenti, ubi dicitur: Hæc promitto, & iuro super hæc sancta Euangelia. accipere characterem in frontibus suis, est profiteri se credere Papæ, & suscipere quæ mandat, & iubet Papa. vt idem Pius quartus in eadem forma iuramenti vult, ut ita iures, quæ tibi præscripsit profitenda. Hæc est fides Catholica, (ita vocat suas hæreses) extra quam nemo potest esse saluus. quam ego confiteor omnino liberè, & verè retineo: atque promitto & iuro me illam retenturum integrè, & in uiolabilitate, & cōfiteri usque ad ultimum momentum viæ meæ cum Dei auxilio: ac docere illas alios, & prædicare, & facere, quantum per me fieri poterit, ut retineatur à familia mea, & ab omnibus qui erunt sub mea potestate. hæc promitto, & iuro super hæc sancta Euangelia. habes hic quid dextra iures, quomodo ore, animo, & opere sis characterizatus. in forma iuramenti Pij quarti, & Pij quinti, habes narrata quæ sub charactere sint consignata, similia extiterunt antè. si quis aduertebatur alienus à Papatu, dabat poenas. Prætermitto narrare certos characteres prælatorum, præsbyterorum, gregum monachorum & monacharum, confraternitatum habentium priuilegia à Papa, ferentium certa insignia papisticalia.*

*Et ne quis posset emere, & vendere. Omnia sunt  
T 5 venalia*

venalia in papatu : & haec alij persecuti sunt, &  
res est non obscura. hoc postremo tempore nemo  
potuit exercere munus publicum, qui non iuraf-  
set in formam iuramenti Pij quarti, aut Pij quinti.

*Nisi qui habeat characterem. hoc est, nisi qui sit  
professione papista, siue qui iurauerit in Papam.  
Aut nomen bestie. habeat aliquod munus, digni-  
tatem, titulum, (vt vocant) priuilegia, immuni-  
tates in papatu, aut aliquid tale.*

*Aut numerum nominis eius. Habeat aliquid ab  
aliquo certo Papa ista, & similia. Dum quis est  
sub ditione papismi, oportet eum habere Papam  
Dominum; aliâs ipsi aqua & igni interdicitur, si-  
ue potius in igne, & aqua mergitur. Usus autem  
mihi videtur Ioannes hac triplici distinctione, vt  
indicit morem loquendi, & agendi in Papatu: vt  
aliquid dicatur fieri nomine Papæ generatim, aut  
nomine addito certi Papæ, aut addito adhuc nu-  
mero nominis certi alicuius Papæ. verbi causa,  
nominatur simpliciter Papa: vt si dicatur: Papa id  
egit, iussit. interdum dicitur Papa Paulus, papa  
Pius: interdum Papa Paulus quartus, papa Pius  
quintus. ac in eo quod dicitur: Et numerus no-  
minis eius; videtur esse & alia sententia, vt post  
dicemus. deinde ita distinxit, vt in hac distinc-  
tione certam det nobis notam & notitiam certi ho-  
minis Antichristi, sub quo veniatur maxime con-  
tra Christum: vt statim videbimus. *Hic sapientia  
est.* Hinc poterit quis scire quisnam præcipue sit  
ille vir impudens facierum, dum prædicatur ire-  
rum Euangeliū, si intelligentia & prudentia  
præditus fuerit: hoc est, tenuerit rationem loquen-  
di, &*

di, & tractandi Propheticam. Ut computet numerum bestie: numerus enim hominis est, & numerus eius. Tunc noscet illum quem cupit scire præcipuum Antichristum, in quo sint alij qui venient contra Christum. Cum sint plurima scripta de hac re, ego non possum de illis iudicare, qui in peregrinatione Biblia tantum circunfero. Ac ut reliquias scripturas ex rebus effectis denuntiatis, ita hic ex eadem ratione exponam sententiā, quæ in his verbis Ioannis mihi videtur latēre. Et primum illud propono, Papam Paulum quartum mihi videri hic significari; quod ipse veniat in numerum sextum ducto primo à Leone x. in quo Paulo quarto vis Antichristica exarsit maximè: quam retinuerunt illi quatuor qui secuti sunt, & eius opus peregerunt, ut veniant in numerum eundem sextum, numerum mūdanum. Et antequam computus fiat numeri, constructio verborum est attendenda. Vbi ergo dicitur: Computet numerū bestie; existimo proponi, ut cognoscamus quid sit numerus bestie. quē ut cognoscamus, erit spectandus numerus hominis, quod idē sit numerus bestie & hominis. ut verò scias numerū hominis, attende numerū eius, si iam habebis quid sit intelligendū per numerum eius, habebis & numerū hominis, & numerū bestie: & ita tres numeros qui hic ponuntur, in numero eius est attendendum ad quidnā illud Eius referatur. videtur verò referendum ad numerum sextum, ad sextum papā ducto primo à Leone x. ut videbimus capite 16. sextus verò numerus est quoq; in Paulo, & in Papa. quia P retinet numerū 60. in lingua Latina; quod apud Latinos

Latinos viguerit papatus. Ergo dum dicitur Numerus eius, significatur numerus sextus à Leone decimo: itē sit simul numerus hominis , Pauli scilicet. item sit numerus Papæ, qui est bestia , & ita erunt tres numeri seni, qui simul ducti efficiunt 666. nec ad alium Papam propriè referes hunc numerum, nisi quod alij Papæ veniūt generatim in idem opus Antichristicū. nam numerus sextus venit in Paulum quartum, qui fuit sextus à Leone, cuius Pauli tempore fuit effusa phiala sexta. Papa ergo ille qui fuit restitutus in tyrānidem à Carolo magno, item alij qui securi sunt , cognoscuntur tempore iudicij fuisse Antichristi eadem agentes, quando in Paulo quarto, & in his qui pōst fuerunt , patet Papatus regnum Antichristi. Et hic mihi videtur contineri proprius computus numeri 666. verū quia in Antichristum excurrit impietas, & scelus priorum aduersariorum, & oppugnatorum diuini cultus , ad hoc magis vniuersē computabimus numerū Antichristi. vt in sexto Papa à Leone decimo (vti dicebamus) cognoscamus ap' Antichristi, & Antitheis, quod tempus est tempus prædicationis in secundo aduentu Domini , minus scilicet tempus : maius tempus sit papatus sexte etatis, quando Papa erexit suum Decretale: & adhuc maius sit, quādo Episcopus Romanus cœpit deficere à Christo , nomine Papæ voluit esse caput Episcoporum & Ecclesiarū: quando Antipas martyr venit contra Papæ mores, & vitam , & doctrinam. ac ita erunt quoque tria tempora signata in numero 666. siue etiam quia tyrannis, & impietas eadem superiorum temporum currit usque ad Antichristum patet factum , maior numerus.

Numerus 600. ducet Sodomæos, & alios, qui deinde securi sunt, vsque ad eundem patefactum Antichristum, oppugnatores diuini cultus, & piorum virorum. minor numerus 60. ducet opus Papisticum aut à Cōstantino, aut ab etate sexta, vsque ad eum Antichristum ductum ad finem ætatis sextæ. minimus numerus 6. sit tēpus à Leone decimo vsq; ad Paulum quartum sextum à Leone. vt enim sex ætates fuerunt secūdūm distinctionem Mosaicam ab Abrahamo vsque ad finem Antichristi, qui debuit ibi cessasse, & non ingredi in ætatem septimam: item ductæ sunt aliter sex à Ioanne, ab Apostolis vsque ad finem sextæ: item sex tempora breviora in fine sextæ ætatis; ita quoque videtur fuisse computandus hic numerus, vt Papa Antichristus ferat primas inter omnes filios superbiæ, vt vidimus in Iobo cap.41. in ipso finiatur opus Cain, vt vidimus cap.4. Gen. finem habeat successio Papatus: restituatur Ecclesia sexta ætate elapsa. Et cùm ita cognoscendum fuerit opus Antichristicum, debuit etiam separatim cognosci in certo homine, & certis hominibus, vt vidimus in Paulo quarto, & in his qui post ipsum consecuti sunt, & cum ipso vnum fuerunt: quiq; dicti sunt cauda certa ratione à nouis Prophetis, qui fuerunt tota ætate sexta. Nam quia dictum est, Qui habet intellectū, in quo verbo significatur ratio Prophetica, vt vidimus in Proverbiis Salomonis; ita mihi video debuisse interpretari numerum 666. vt quemadmodum per septennum numerum secundū tres rationes sumptum, vt vidimus in argumēto libri, & in toto libro, opus Ecclesiæ diducebatur, atque in sexto opus mundanum.

num, & tyrannicū, & Antichristicum; ita debuerit Papa fuisse significatus Antichristus; pr̄fertim vero quia propositus fuit nobis in Dracone, Serpente antiquo, trahēte in suum corpus omnes ab Adamo primū, deinde à Syluestro, non parentes Deo, ac seruos Dei persequentes.

*Argumentum in Cap. 14.*

Ætate ingrediente sexta fit apparatus cōtra Antichristum, & nuntiatur secundus aduentus Domini, qui iudicet Papatum, & innouet Ecclesiam, & orbem. vnde mittentur nuntij tota ætate sexta ad prædicandum innouationem. tandem in fine sextæ ætatis adest Christus iudex, qui innouata prædicatione Euangelica iudicet Papatum.

*Vidi, & ecce agnus stans supra montem Sion. Dum ætate sexta nuntiatur secundus aduentus Domini per Abbatem Ioachimum, & alios complures, ita ille more Prophetico nuntiatur, vt iam adsit, vt iam agat Dominus. & quemadmodum Papa vi-sus est in imagine bestiæ septem capitū, & decem cornuum, hoc est, Satan in Papa, & in regibus, ac in aliis oppugnaturus prædicationem Euangeli-cam, & regnum Christi, ne constituatur; ita vide-tur Christus stare super montem Sion, hoc est, in suo regno, in suis præparatoribus, & ducibus, & vniuersis credentibus, vt constituatur Ecclesia, & firmetur regnum Israēliticum. Quod si nō est fa-ctum initio sextæ ætatis, est tamen promissum à Deo patre, & Christo Iesu, & hīc, & in Prophetis. atque quod dictum est à Deo, idem est ac si sit fa-ctum. Hīc igitur nuntiatur Christus venturus, qui innouet Ecclesiam, & statum populi Christiani, atque*

atque agat quæ h̄ic narrantur. *Et cum eo centum quadraginta quatuor.* De his dictum est capite septimo . ac sunt illi qui crediderunt prædicationi ex toto populo Christiano, in quo sunt distinctæ tribus. *Habentia nomen eius.* Qui professi sunt nomen Christi , & nomen Dei patris , in sanguine Christi tātūm , & in Dei misericordia gloriantur: atque hæc tam prædicant quām iactant Papistæ suum Papam: iurant illi in Dominum, ut Papistæ in Melchom. fait hæc contentio tempore Abbatis Ioachimi & Albigeriorum perducta ad hoc tempus, quādo qui sunt Christi , & qui Antichristi, vensunt in conflictum. *Et audiui vocem de celo.* Vbiique vbi est Ecclesia Christi , & profitentium salutem in Agno. *Tanquam vocem aquarū multū.* Una voce omnes omnium Ecclesiarum Christi. *Et tanquam vocem tonitruī magni.* Euāgelium loquuntur, quod auditur in toto orbe, & quod concutit regna, & populos. In hac tāta multitudine, & vocibus , & tonitru , propone tibi ante oculos multitudinem Euāgelicorum in omnibus locis; voces quæ audiuntur de prædicatione; concertationes quæ verbo & armis extiterunt; & intelliges quidnam h̄ic sibi velit Ioannes. *Et vocem audiui cit barōdorum.* Loquuntur & prophetiā apertam; quæ sunt Mosis, quæ Prophetarum, quæ Euāngelij: & auditur concentus omnium scripturarum diuinarum; omnium quæ creauit, quæ dixit, quæ fecit, quæ promisit, quæ præstítit Deus : magna & admirabilia omnia. *Et cantant quasi canticum nouum.* Erunt multis noua, quæ aperientur in Ecclesia Christi , confirmata tamen illa in populo

pulo Christiano, & in orbe terrarum. cantabunt,  
 quæ noua egit Christus in restituēda Ecclesia, &  
 regno Dei , præter antiqua quæ antè audiuiimus,  
 & legimus multa. *Ante sedem, & ante quatuor ani-*  
*malia, & seniores.* Cap. 4. quatuor animalia, & se-  
 niores viginti quatuor loquuntur, & canunt an-  
 te sedem : hīc 144000 canunt ante sedem ante  
 Deum: canunt ante quatuor animalia, & senio-  
 res: quia omnes cognoscér Dominum à minimo  
 vsq; ad maximum, & erit vnum cōcentus omniū.  
 Et quæ prædicarint ac. nuntiarint prædicatores, &  
 ministri verbi Legis, Euangelij, & Prophetiæ, su-  
 scipiet populus: atque his quæ constituentur in  
 Cōcilio, assentietur; eadem profitebitur, & can-  
 rabit. quam sententiam verba quæ sequuntur in-  
 dicant. *Quod nemo poterat dicere canticum, nisi illa-*  
*144000 qui empti, &c.* Hīc significatur vocatio, &  
 innouatio prædestinatorū, qui à Deo docti fuerit,  
 ac donati Spiritu ; & ab eo ita affecti, vt quodam  
 sensu mētis ac animi potuerint canere in cunctissi-  
 mē, que verè Spiritu percepient. *Hi sunt qui cum*  
*mulieribus non sunt coinq.* Hi non inquinauerūt se  
 cum præparatoribus papisticis, illis, & suo pape  
 credendo. quòd autem mulieres accipientur pro  
 præparatoribus, dictum est alibi , & in Psalmis.  
*Virgines enim sunt.* Postquam vni viro despontati  
 sunt, nulli alio deinceps adhæserunt, non permi-  
 serunt se corrumpi à papistis: non defecerunt à  
 Christo, & ab Euangeliō : post cognitam verita-  
 tem ab ea non recesserunt. sunt illi qui persecuer-  
 runt vsque ad finem: sunt quinque virgines pru-  
 dentes: sunt illi qui iurarunt tantummodo in Do-  
 minum,

minum, non autem in Melchom. *Hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Vbicunque fuerit Euangelium, illuc accedunt, quantumuis magna sine pericula, quantumuis magna sit perturbatio: non deficiunt. *vbi est ecclesia Christi, vbi regnum; ibi sunt, ibi conueniunt cum his qui sequuntur Christum.* *Hi empti sunt ex hominibus primitæ Deo, & Agno.* Quemadmodum in prima prædicatione Euangelica electi fuerunt credentes primitæ Christo & Deo in sua Ecclesia; sic & nunc hi 144000 signati electi sunt ex toto populo Christiano, qui sint seminarij duodecim tribuum Israel, ex quibus complenda sit Ecclesia, & regnum Dei in toto terrarum orbe. *Et in ore eorum non est inventus dolus.* Verbum Dei verum locuti sunt; illud non peruerterunt: dolo, & sub ficta pace non perdidérunt fratres: non fecerunt cū papistis sanguinariis, nec cum imitatoribus papistarum.

*Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Fide purificatis eorum cordibus, & lauatis ipsorum peccatis in sanguine Christi. quod professi sunt, & præstulerunt semper: nec egerunt, vt multi alij, quod esset cōtra Christum, dum venit ad nos secundò in Spiritu: non abiurarunt. *Et vidi alium Angelum volantem.* Quæ dicta sunt hactenus vindentur esse secundi aduentus Domini, & eorum qui Dominum secundò ad nos venientem suscepserunt. quæ vt erant futura, ita nuntiata sunt perinde ac si fierent. in hoc autem Angelo volāte per medium cælum, videtur significari prædicatio de aduentu Domini, & de eius expectatione denuntiata tempore Abbatis Joachimi, & paulò antè, &

pōst per quamplurimos; vt testantur monumēta  
Abbatis illius, & aliorū. quæ denuntiatio delata  
fuit per totum populum Christianum, in qua con-  
tinebatur Euangelium æternum patefaciendum  
omnibus gentibus in toto orbe, non solum Euro-  
pam incolentibus: hæc continent illorum prædi-  
catorum scripta, si rectè expendantur, in quibus  
sumptæ sunt promissiones factæ Patribus, & in  
Prophetis consignatæ. *T imete Deum.* Cùm illud  
Euangelium æternum prædicandū iam sit omni-  
bus gentibus, secundūm quod omnes in toto or-  
be iudicandi sint, monita dat Deus antè, vt pœ-  
niteant omnes; se timeant, dent sibi gloriam, se  
Deum solum recognoscant, sibi pareant. *Et alijs*  
*Angelus secutus est.* Deinceps semper fuerunt alij  
qui eadem nuntiarūt, ac inuitarunt omnes ad vi-  
rā innouationē, vt ex libro Theleosphori quisq;  
aduertere potest. extant quamplurimi libri viro-  
rum simplicium, & parum eloquentium, qui ta-  
men res ipsas, quas vidimus euenisse, descripse-  
runt. inter quos vidi quendam fratrem Robertū,  
in quo apparebit tandem visiones non cessasse,  
Prophetiam non desississe. fuerunt præter Proph-  
etas & viri Euangeli multi, qui casum Ecclesiæ  
Romanae Babylonicae nuntiarunt; ac scelera, &  
hæreses, & errores reprehenderunt: vt Ioannes  
Hus, & Hieronimus Pragensis. *Et tertius Ange-*  
*lus secutus est.* Ut in ore trium sit testimonium: te-  
statumque sit à Patre, Filio, & Spiritu sancto. In  
hoc tertio Angelo existimo signari prædicationē  
Hieronymi Sauonarolæ: atque dici tertium, non  
solum propter duos qui antecesserūt; sed & pro-  
pter

pter munus quod gessit Eliæ, ut in Malach. cap. 4. & in Isaia 40. vidimus. quod post primum Eliam Thesbitem, post secundum, qui fuit Ioannes Baptista, sequatur ipse tertius nuntiator secundi adventus Domini, & tertij status mundi. Si quis adorauerit Bestiam, & imaginem eius, & accep. Hæc antè exposita sunt, verum breui dicamus adhuc in bestia intelligi Papæ, & qui cù eo cōcorporati sunt, se Deos exhibentes miseris mortalibus adorandos: in imagine quicquid significatur in illa descriptione bestie septem capitū, decem cornuum, & decem diadematū; in charactere cùm alia intelligimus, tum iuramentum quod fit Papæ & Ecclesiæ Romanae, ut dictum est antè. Bibet. Intelligite hæc, & interpretamini vos, Papistæ. atq; attendite Ecclesiastici Romani, quid prædicauerit vobis Sauonarola, quem combussistis: attēdite principes Christiani, & populus, quidnā propinet vobis h̄ic Ioannes: attendite cap. 25. Ierem. Si recusabitis bibere, bidendo tamen bibetis.

*Hic est patientia Sanctorum.* Ut sustineat afflitiones, & pugnam, dum contenditur, ut Papa adoretur; cultus papisticus suscipiatur; in Papam, & in Ecclesiam Romanam iuretur: atque ipsi persistant in his quæ iuratur in Baptismo, habent Christum pro salvatore, seruant eius precepta; persistant in fide Christi, & in eius Euāgelio. *Et audiui vocem de celo dicentem, Scribe.* Qui fuerunt in certamine hoc contra Papatum antè, & hoc tempore, & mortui sunt, visi sunt vulgo perditæ: at contraria enierit, ut h̄ic significatur, certa & firma apud Deum sunt illorum præmia, & beata vita in seculo

futuro. *Et vidi, & ecce nubem candidam.* Noua vi-  
sio affertur, in qua significatur adesse ipse Domi-  
nus in suo secundo aduentu, postquam misit mul-  
tos suos seruos, & Prophetas, & nō sunt suscepiti,  
& auditii; sed interfecti. vt nūtiauit Christus cap.  
21. Matthei, vbi affert parabolam de vinea. nam  
ibī tām est sermo de secundo aduentu, quām de  
primo. Nubes iam candida sunt illi 144000 si-  
gnati, & turba magna credentium: super quos se-  
det filius hominis Christus Iesus, qui venit in Spi-  
ritu. In Mose, & in libro Iosue vidimus, quando  
super arcam apparebat nubes, signum fuisse præ-  
sentem Dominū in populo suo adesse, vt pugna-  
ret cōtra hostes: atq; tūm fuisse certandum. quod  
dum faciebat populus, victor siebat hostiū. quan-  
do autem consilio & viribus suis fisi pugnabant,  
siebant inferiores, & cædebantur. res debet esse  
nota. Dum ergo Iesu Christi serui antē non po-  
tuerunt reuocare malos colonos ad colēdam vi-  
neam Domini, & ad reddendum ei fructum; ecce  
Dominus ipse adest, vt repeatat vineam suam, &  
puniat malos colonos. pugnarunt antē verbo ser-  
ui Christi illi, quos diximus, signatos in Angelis,  
vsque ad Lutherum: nec Ecclesiastici, nec politici  
paruerunt: ecce Christus concionatur ipse in Lu-  
thero, & aliis: & cogit innumerā multitudinem  
in vnam Ecclesiam credentium: atque victoriā  
parit verbi Euāgelicis contra papatum. quod v-  
erò indicetur secundus aduentus Domini, & eius  
præsentia signetur in nube candida, discere potes  
ex cap. 19. Esiae, vbi eadem præsentia Christi si-  
gnificatur in nube leui, dum virga ferrea res agi-  
tur. Vt

tur. Ut autem cognoscetur in eo capite Christus rem bellicam gestisse in Gallia, & alibi; ita patebit hic in nube candida Christum in suis ministris praedicasse Euangelium.

*Habens in capite suo coronam, & in manu sua fal-  
cem.* Hic significatur corona & victoria Christi,  
qui sit rex mundi, & sit repetitus suum regnum;  
Puniturus non credentes, & se non recipientes.

*Et aliis Angelus exiuit de templo, clamans.* In  
alio Angelo videtur significari nouum opus, scilicet  
virgæ ferreæ. vt in Filio hominis significata sit  
praedicatione Christi, quæ repetuerit salutem dari  
credenti Euangeliō, atque condemnationem &  
mortem nuntiauerit nunc per falcem futuram:  
hic in hoc Angelo opus indicetur secundum fu-  
turum per falcem denūtiatam, & per virgam fer-  
ream. vt quando fit magnus clamor in perturba-  
tionibus Gallicanis, in cædibus vniuersalibus, in  
magna perturbatione, in magnis conflictibus  
exercituum. vnde in hoc Angelo, & in aliis duo-  
bus qui sequuntur, mihi videntur illa repeti, quæ  
antè narrata sunt in tribus vñ. E templo dicitur  
clamare Angelus vocem magnam, quia mala hæc  
nuntiata sunt in Euangeliō, minanti illa non cre-  
dentibus. vnde post prædicationem quadraginta  
annorum is Christus qui insidebat nubi, misit fal-  
cem: adfuit tunc tempus virgæ ferreæ. *Misit  
igitur is, qui, &c.* Superior opus repetitur more  
prophetico, vt ostendatur quod denuntiatum sit,  
fuisse peractum. *Et aliis Angelus exiuit de tem-  
plo, quod est in calo, habens & ipse falcem acutam.*  
Trina distinctio ponitur Angelorum, vt primus

prodeat è templo , alter è templo quod est in cælo, tertius ab altari. qui prodit è templo , mihi videtur signare bella gesta in Gallia , quæ diximus signata in quinto sigillo , & in quinta tuba. vt in templo intelligatur bellum gestum per principes Euangelicos, ac ipsorum consilio : qui prodit è templo quod est in cælo , videtur signare bellum gestum per principes quidem ; sed adhibito consilio etiam aliorum , qui non sint principes, sed prudentes in populo. & hoc bellum sit quod signatum est in sexto sigillo , & sexta tuba, vt indicentur cædes vniuersales , & bella à cæde Gallicana anni 1572. vsque ad cædem Vallis. qui prodit ex altari, videtur signare bella gesta secundum monita eorum qui ministri sint verbi ; atque ex verbo Dei consilium & voluntatem Dei ostendebunt in his quæ erunt agenda contra papismum. Ergo quando dictum est : Venit hora ut metas, quia aruit messis terre; signantur bella prima Gallicana gesta consilio principum , quando adfuit tempus agendi virga ferrea , & incipi iudicium: quando verò terra dicitur demessa , nouæ cædes futuræ indicatur in magna perturbatione, in qua demessa inuenietur terra ; & multi sublati quidam prima, quidam & secunda morte.

*Et aliis Angelus prodit ex altari. Quando alata fuit perturbatio magna, ministri verbi cognoverunt verbum Propheticum, & monebunt principes Euangelicos, & credentes ex populo, vt persequantur pugnare iusto bello contra Papistas. id esse consilium & voluntatem Dei. Qui habent potestatem superignem. Quibus dabit Dominus*

vt

vt nuntient suum iudicium, nuntient quomodo  
bella peragenda sint deinceps. *Et clamauit voce  
magna ad eum qui habebat falcem acutam. Multi  
& innumeri clamabunt perdendos esse hostes  
Christi, à Baptismo Christianos abducentes.*

*Vindemia botros.* Tempus est ut iudicium cœ-  
ptum à domo Dei progrederiatur in peccatores &  
impios. Facta est messis Euangelicorum, fiat vin-  
demia Papistarum, & aliorum. *Et misit in lacum  
ira Dei magnum.* Hic significatur omnino iudi-  
cium Dei magnum. *Et calcatus est lacus extra ci-  
uitatem.* Extra Ecclesiam Christi sunt qui iam  
subeunt iudicium Domini, & moriuntur & pri-  
ma & secunda morte. *Et exiuit sanguis de lacis  
usq; ad franos equorum.* Ut fuit diluuium aquæ, ita  
erit diluuium sanguinis: si non uno tempore ubi-  
que, erit separatim in diuersis locis. *Per stadia  
mille sex centa.* Certus ponitur numerus, & certa  
mensura locorum. verum dum sit progressus ad  
mille sex centa, considerent omnes statum vitæ  
haec tenus transactum non esse retinendum. qui  
perseuerabunt illum retinere, incident in eundem.

*Argumentum in Cap. 15.*

Quemadmodum capite duodecimo siebat repe-  
titio, & redditio ad initium status Papistici, ita hic  
sit repetitio, & reditus ad initium prædicationis Euā-  
gelicæ: atq; iudicium exponitur peractum contra  
Papatum in pugna verbi, & deinde in perturbatio-  
nibus bellicis, Euangelicis victoriam per Christum  
obtinentibus de Papistis. *Et vidi aliud signum  
in celo magnum & admirabile.* Magnum fuit si-  
gnum quod visum fuit in Ecclesia, quando Anti-

christus in eam ingrediebatur: magnum quoque & nunc signum cōspeximus in eadem Ecclesia, dum pugna verbi & armorum fuit contra eundem Antichristum pugnantem aduersus prædicationem Euangelicam. atque admiratio magna est, & erit; ut pauperes Euangelici verbo & armis vincat tantam potentiam Papisticam. *Angelos septem habentes septem plagas nouissimas.* Quando Ecclesia Romana orto Antichristo defecit à Christo, misit Christus plagas in Ecclesiam, & in populum Christianum factum Papisticū. misit Gotos, & Atilam, qui vastrarunt Romam, & Italiam, euerterūt Aquileiam, Cōcordiam, & multas alias ciuitates. deinceps bella multa fuerūt, fames, & pestis sēpè usque ad hæc tempora, prætereā multi verbo Dei oppugnarunt Papatum, & Ecclesiam Romanam, usque ad Sauonarolam combustum, tandem venit Christus in suo secundo aduentu, qui postremā pœnam afferat sibi resistentibus. Ut vero appareat Papam, & papistas sanguinarios insurrexisse contra Christum, qui venit in Spiritu, insurrexisse contra Spiritum sanctum, dicuntur mitti septem Angeli, qui ferant septem plagas postremas Papati, quibus intereat iudicio Dei condemnatus, & punitus.

*Et vidi tanquam mare vitreum.* Vidiimus cōpta prædicatione in Luthero multitudinem innumeram credentium ubique in populo Christiano: qui credentes signati sunt in mari. quia aquæ multæ sūt populi multi, ut infrà dicetur: & in mari vitro, proptereā quod ita cōiuncti sint, ut facti sint multi vnu; aut quod conflati sint in vna fide, & in iisdē afflictionibus sustinendis, & morte, pro veritate Euangelica.

angelica. vnde additur, *Mixtū igne.* qui vno animo  
in vna fide sustinuerint ignem in tuenda prædica-  
tione Euangelica. *Et eos qui victoriam.* Vedit finem  
belli Euangelicorum contra Papistas, quòd victo-  
riam contra hos reportaturi sint: quòd non adora-  
uerint bestiam; nō cognouerint Papam summum  
Pontificem, non Deum, non vicarium Christi, non  
educere animas è purgatorio; & talia: non iurarint  
in Papam, & in Ecclesiā Romanam: nullius Papæ  
cultum suscepérunt; eorum instituta secuti nō fue-  
runt. *Stantes apud mare vitreum.* Quando steterūt  
Euangelici coniuncti in puritate verbi Dei, & in  
integritate viræ, contendentes ne essent Papæ, sed  
Christi, euaserunt manus papistarum. *Habentes*  
*cibarias.* De cibaria dictū est in Psalmis. hic signifi-  
catur Euangelicos extitisse victores, quando adhi-  
buerunt aures Prophetiæ: & cognouerunt status  
temporum, & quidnam eis suo tempore in Pro-  
phetia Dominus iussérat, ac sanctus Israël per Spi-  
ritum sanctum locutus sit. *Et canticum Mosis serui*  
*Dei.* Cognouisse in Mose, quæ locutus sit de no-  
stris temporibus, qui scriptis se loqui illis qui ades-  
sent, & illis qui non adessent tunc: & quæ mala  
eventura essent populo Dei in nouissimis tempori-  
bus. vt quæ bella, quæ victoriæ contigissent tunc  
populo Dei, eadem nos debere scire filium Dei ef-  
fecturum in nobis: ac nos debere idem canticum  
canere: quod scriptum sit propterea quòd debuerit  
à nobis cani. *Et canticum agni.* Ut Moses cognitus  
fuit minister Dei, ita nos cognouimus Christum  
fuisse authorem victoriæ. siue is Agnus nunc li-  
berauerit nos, qui liberauit Iudeos tintos

sanguine agni. qui erat tūc Deus exercituum illis,  
idem est nunc nobis: vt patebit & in Euangelio.  
*Magna & admirabilia.* Cūm memorarint à Mose,  
& à temporibus ante Mosem, & post Mosem ope-  
ra Domini omnium ætatum ac temporum , vsque  
ad hanc postremam liberationem ab Antichristo,  
cantabunt illum omnipotentem, ex magnitudine  
& multitudine eorū quæ gessit pro nobis: iustum,  
ex iudiciis præteritis: verum, ex promissionibus:  
Dominum ac regem sanctorum , non autem Pa-  
pam, aut alium. *Quis non timebit te, Domine?* Solus  
omnipotentes, & Dominus mundi , & verus præ-  
dicabitur Christus. vt dicebatur de papa: *Quis simi-*  
*lis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* ita nunc  
dicēt papistæ coacti : *Quis non timebit te, Domi-*  
*ne? Quia omnes gentes magnificabunt nomen tuum.*  
Vt Christiani omnes, & ipsi papistæ qui superstites  
erunt, cogentur cognoscere Christum; laudem,  
ac gloriam illi dare; cognoscere, & fateri ipsum so-  
lum sanctum, & verum, non autem papam; simi-  
liter & omnes gétes cōm nouerint per prædica-  
tionem, quæ & ad ipsas deferetur , sanctum nostrum  
Israelem locutum in tota Prophetia , & quæ locu-  
tus est præstitisse; ipsæ quoque credent, suscipient  
Christum, & profitebuntur: nomen eius prædica-  
bunt, ipsum solum saluatorem mundi Dei filium.  
Et post hæc vidi, & ecce apertum templum taberna-  
culi testimonij in cælo. Expositurus distinctius futu-  
ra in secundo aduentu Domini, ait se vidisse aper-  
tum templum tabernaculi testimonij: quæ sunt in  
diuinis scripturis de templo Domini, de Christo  
Iesu in illis consignato , qui erecturus sit taberna-  
culum,

culum, Ecclesiasticum & politicum statum, in quo  
cum Patre regnaturus sit: hoc est, prophetiam nūc  
aperiri de secundo aduentu Domini , dūm incipit  
Christus per repetitam prædicationem Euangelij  
oppugnare papatum. & quomodo id fiat, narrat,  
inquiens: *Et prodierunt septem Angeli habentes se-  
p̄em plagas.* Quæ narraturus est capite sequenti,  
proponit priùs , veluti quām s̄epissimè monuerit  
Deus pœnas , quas mislurus fuit. Septem Angeli  
proponuntur, vt opus prædicationis signetur effici  
per Spiritum sanctum . Septem plagas habent , vt  
qui nuntient æternū Euangelium , & pœnas quas  
subituri sunt, & maledictionem omnes omnium  
etiam ætatum superiorū, qui non obedierunt Deo ,  
nō cr̄ediderūt æterno Euangilio. *E templo.* A Chri-  
sto missi erunt prædicatores, qui clamēt: Qui non  
crediderit, condemnabitur. *Vestiti lino mundo, &  
candido.* Quia Christus venit insidens nubi candi-  
dæ, ita dicuntur hi , in quibus insidet , induiti lino  
mundo, & candido; qui dealbati sunt in sanguine  
Christi, & eandem iustificationem fidei prædicarūt  
& sanctificationē, vt vidimus factum. primū fuisse  
prædicatam iustificationem fidei antequam virga  
ferrea ageretur. *Et præcinclit circa pectora Zonis au-  
reis.* Qui habuerunt doctrinam Euangelicam , &  
Apostolicā , & quæ sunt verbi Dei in diuinis scri-  
pturis, prædicarūt. & hic possunt intelligi illa que  
dicta sunt c. i. de zona Christi. vt secundū illa que  
ibi dicta sunt, debuerit esse prædicatio. *Et unum  
de quatuor animalibus.* Phialæ dicūtur datæ ab uno  
ex quatuor animalibus: quia, vt existimo, prædica-  
tio æterni Euangelij pronuntiat iudicium contra  
non

non credētes: & iudicium exponitur in prophetia,  
 & fit in euentis prophetiæ dum aperitur. vnde ex  
 prædicatione Euangelica prodire debeat nunc præ-  
 dicatio verbi prophetici, quod factum est in septem  
 æstatibus populo Dei. & iccirco quod iudicium pro-  
 nuntiatum est contra prævaricatores diuinæ legis,  
 contra non credentes, peccatores, & impios in pro-  
 missionibus, in Lege, in Prophetis, in Euangeliō,  
 & Apostolis, in Apocalypsi, in Doctoribus, & nouis  
 Prophetis; reuocatur in septem tempora breuiora,  
 in quibus illud & pronuntietur, & perficiatur. &  
 hæc significantur in septem Angelis, & septem  
 phialis; vt in Angelis signetur prædicatio, & pro-  
 nuntiatio iudicij; in phialis pœna, & suppliciū. de  
 quibus dicetur in alio capite, quod sequitur.

*Et impletum est templum fumo.* Dum pronuntia-  
 batur iudicium, ac infligebantur septem plague,  
 extitit fumus ex Euangelicis combustis, & ductis  
 in varias afflictiones: ex perturbationibus bellis-  
 cis, ex caligine tenebricosi status, & temporis iu-  
 dicij progredienti è domo Dei in peccatores &  
 impios. quod iudicium dum durauit, *Nemo po-*  
*terat ingredi in templum.* De vera Ecclesia, & vero  
 Dei cultu fuit magna dissensio, vt non nisi post  
 expletum iudicium septem philarum, potuerit  
 constitui communis Ecclesia.

*Argumentum in Cap. 16.*

Septem plague numerantur, quibus Papisticus  
 status percutitur. *Et audiui vocem magnam.* Vox  
 magna fuit hæc in scripturis sanctis, & cōclamata  
 à seruis Christi, & à Prophetis antè, vt fiat iam iu-  
 dicium, iudicet Christus Papismum. contentio  
verò

verò ipsa Lutheri cū Papatu quām magna fuerit  
omnes populi audierunt. *Dicentem septem Angelis: Ite, & effundite septem phalias.* Numerus se-  
ptenus & hīc additur, quia Papatus tribuit si-  
bi quæ sunt Spiritus sancti. verū septimus  
Rex non consistet; ibit in interitum, vt videbimus  
capite quod hoc sequitur. Nam septem Papæ po-  
nuntur venire contra prædicationem Christi, &  
opus Spiritus sancti. Leo decimus, Adrianus, Cle-  
mens, Paulus tertius, Iulius, Paulus quartus, Pius  
quartus. Vis & opus Antichristum maximè in  
Paulo quarto conspectum fuit: diritas & imma-  
nitas in nullo antè fuit maior. quæ crudeliter, im-  
piè, & immanè gesta sunt antè ab aliis, mirabili-  
ter auxit ipse in sua inquisitione Cardinalis, &  
Papa, vt nihil ad feritatem eius addi posse vide-  
retur. quæ alij post ipsum egerunt, prodierunt ab  
ipso. Pius enim quintus furens, persecutus est quæ  
sub Paulo Papa, & antè Cardinali, egerat imma-  
niter, & insanè in inquisitione. ac nihil est addi-  
tum ab aliis, quod non fuerit sub Paulo quarto  
constitutum, & vt potuit cœptum. deinde post-  
quam sub Pio quarto Papa fuerat in concilio se-  
cundo Tridentino declaratus Antichristus, iam  
nec apud Papistas, & Ecclesiā Romanam censeri  
debuit Papa esse ex Ecclesia Christiana, aut sede-  
re in templo. Iccircò qui ipsum secuti sunt, non  
potuerunt venire in numerum vltra Paparum.  
Præterea qui venit cōtra Spiritum sanctum, non  
potest, quamuis conetur, peruenire ad septimum  
numerum: in sexto consistit, & terminatur. vnde  
in sexto oportuit Antichristum conspici. vt etiam  
in fine

in fine sextæ ætatis finiet, & terminum habebit  
mundanus status, & impiorum, & tyrannorum.  
Hinc duo colligimus. primum quare in Paulo  
quarto Antichristus cognoscendus fuerit. quod  
& vulgus cognouit ob immanem sauitiam. unde  
in morte eius ex Pasquillo prodidit scriptum,  
in quo ex nomine Pauli quarti Caraffæ duceba-  
tur numerus 666. deinde quare hic non dicatur  
calix iræ Dei, seu poculum, ut Iere. 25. quia Pau-  
lus ille quartus dicebatur Caraffa, quo nomine  
apud Italos significatur phiala. Ut verò hic Ca-  
raffa fuit plenus viru Antichristico, quo necabat  
pios viros; qui similiter necarunt pios viros alij  
antè, & Pius quartus antequam pronuntiaretur  
apud Episcopos in Concilio Antichristus, veniuit  
in corpus Antichristi fundentis virus in Euange-  
licos. Quia ergo Antichristus ita agit, contra agit  
Christus, & phialas suas fundit in Papatum. ut  
quod facit Christo, fiat ipsi. ut vastat Ecclesiam  
Christi, vastetur & ipsius Babylon. Hæc dicta sint  
de phialis, & de septo Papis, ex quibus, quæ dicen-  
tur hoc capite, & decimo septimo, fient planiora.

*Et abiit primus Angelus.* Dum tempore Leonis  
decimi diminuitur authoritas Papæ, multi defi-  
ciunt à Papatu. quod significatur in plagis eorum  
qui habuerūt characterem bestiarum, & eam adoraue-  
runt: quod multū sint diminuti. *Et secundus An-  
gelus.* Dum tempore Adriani oriuntur Anabapti-  
stæ, è quibus aliae heres prodierunt, innumeri  
adhuc deficiunt à Papatu. mors adeat prima, dum  
simul sequuntur bella, & interneciones hominum;  
quam sequetur & mors secunda in toto populo  
Chri-

Christiano in his qui non crediderunt veritati,  
 Deoque non dederunt gloriam. *Et tertius Angelus.*  
 Dū sub Clemēte nouę defectiones fiunt à Papatu:  
 contentiones crescunt de religione: Missa abroga-  
 tur in multis locis; sit ut flumina & fontes bono-  
 rum, quæ solebant redundare in Papismum, con-  
 vertantur in lites, & bella Ecclesiasticis. *Et audiui*  
*Angelum aquarum.* Omnes Euāgelici perseueran-  
 tes in his quæ iurarunt Christo in Baptismo, qui  
 cognoscent eundem Dei filium, in quo speraue-  
 runt antiqui patres, & qui passus est pro nobis, &  
 qui nunc iudicat Papatum, ac mundum; qui dat  
 regna, & diuitias, qui eadem aufert; qui dat vitam  
 æternam, & priuat ea quos vult, comprobabunt  
 iudicium Dei, & Christi Iesu. atque cum lauda-  
 būt, qui præstiterit quæ promisit: vltionem sum-  
 pserit de illis qui interfecerunt sanctos. *Et audiui*  
*e sanctuario dicentem.* Erunt ministri verbi qui iu-  
 dicium Christi in sacris literis ostendent. *Et quartus Angelus.* Dum sub Paulo tertio rex Anglię ad-  
 uersatur Papatui, ad Cōcilium vocatur Papa: Au-  
 gustanum *Interim*, quod dicitur, suscipitur; sit in  
 regno Papæ magna labes, ut ruinam minari videa-  
 tur. vnde magna fuit ira Papæ, & suorum. ut dum  
 Concilium habetur, bellum gerant contra Prote-  
 stantes: Papa Dominus concilij fallat populū Chri-  
 stianum: cedes faciat Valdēsium in Prouincia. hec  
 egerunt, nec dederunt Christo honorem. *Et quintus Angelus.* Dum sub Julio tertio Augustæ habetur  
 conuentus; & sunt, qui tunc, & deinceps petunt  
 ut Cōcilium repetatur; Papa subjiciatur Concilio,  
 nec sit Dominus; Theologis non denegētur suffra-  
 gia:

gia: Cōciliū sit liberū: & talia. maiori ira excā-  
descunt: non agunt, quod debent, vt resipiscant.

*Et sextus Angelus.* Paulus quartus, quem cap.  
13, & hīc, dixi ipissimum Antichristum , in quo  
sunt reliqui, & lœvitia superiorum, & posteriorū;  
fundente Angelo sextam phialam ; extrema agit  
& parat cōtra Euangeliū: quæ quidem alij post  
ipsum perficiūt. vt ad Euphratēm vastent regio-  
nem, & subigant: deinde vocent reges ab ortu so-  
lis, & ab aliis regionibus ad prælium magni illius  
diei Dei omnipotētis. Et hīc significatur magnus  
ille dies ad vallem, quam Iosaphat Ioel vocat: qui  
dies erit vt fur. vnde quisque monetur, vt sit pa-  
ratus. de hac sexta phiala plura non dicam . qui  
erunt parati, videbūt rerum euentum: qui erit in-  
terpres huius loci. Illud tantūm non præteribo,  
quin dicā aliquid de tribus spiritibus exercitib⁹  
ex ore Draconis, bestiæ , & pseudoprophetæ . In  
Dracone intelligo principes coniunctos cum Pa-  
pa, & qui in creandis Papis habent suos legatos,  
& ministros, per quo agūt, vt ad suam libidinem  
creentur Papæ. bestia est Papa, qui non lege ali-  
qua, aut iure agit; sed libidine, ac suo decantato  
motu proprio: qui creat Cardinales. Et hīc intel-  
ligitur Papa Paulus quartus sextus à Leone . qui  
Paulus quartus creauit Papam Cardinalē Alexan-  
drinum, qui fuit frater Michaël ē Bosco, spiritum  
primum immundum principibus certis id curan-  
tibus, & ipsa inquisitione, sub qua comprehendū-  
tur falsi prophetæ . Et quia sub Papatu Pij quarti  
fuit in Concilio, vt diceimus in alio capite, decla-  
ratus Papa Antichristus, non vltra qui post Pium  
quar-

quartum secuti sunt, veniūt in numerum septem bestiarum, quod nec apud Papistas sint Papē, nisi Antichristi, dicuntur autem hic Spiritus immundi, ut ranæ pluuiam, sic ipsi quacccitantes sanguinem, vocant omnes ad bellum: immudi, sine cultu humano, veluti bufones turpes, & virulentī.

*Armagedon.* Idem videtur esse Armagedon, ac altitudo iudicij; vallis Iosaphat, de qua meminit Ioël; & mons caliginosus, de quo Isa. cap. 13.

*Et septimus Angelus.* Sub Pio quarto cœptum est iudicium virgē ferreæ, quod fuit futurum in toto populo Christiano, vocata Gallia priùs in seditionem, & perturbationes bellicas. & tunc Papa patefactus est Antichristus. secutæ deinde sunt & aliæ perturbationes, & illa maxima omnium, quæ fuerunt in qua, aderit, quam iudiciū vallis sequetur. *Et prodit vox magna e templo celi à throno dicens, Factum est.* Hic significari videtur, dum ista fient, futurum ut denuntiantur in populo Christiano ab his qui sint ex vera Ecclesia, & qui habent sententiam scripturam: qui dicent, *Factū est.* hæc quæ fiunt, sunt denuntiata in Prophetis, & in aliis diuinis scripturis, quæ continent quæ sunt regni Christi in suo secundo aduentu, ut dictum fuit cap. 11. in voce septimi Angeli apertum templū, & viam arcam testamenti: ubi dicuntur deinde facta esse fulgura, & tonitrua, & grando. Et quod dicitur hic factum est, ibi est expositum versu 15. *Facti sunt sonitus.* Dum illa omnia quæ dicta sunt in hoc capite, & antè, fiunt, tanta exurgit perturbatio bellica, cædes, concursus exercituum, fragor armorum, interitus hominū,

euersio locorum, vastatio regionū, vt simile an-  
tē, vt & Christus & Daniel ait, nunquam visum  
fuerit. Et facta est ciuitas magna in tres. Quæ ciui-  
tas magna discisa sit in tres partes, & corruerit;  
quæ ciuitates gentium ceciderint, quæ Babylon  
magna venerit in memoriam ante Deum, do-  
ceat aquila trium capitum lib. 4. Esd. & cap. 11.  
Zachariae: vbi scinditur fraternitas Iudeæ, & Israël,  
& percutitur pastor stultus. Et omnis insula, &  
montes. Et populus, & princeps iudicabitur. Et  
grando magna. Ab eo qui posuit signum suum in  
calo, venient hec omnia.

*Argumentum in Caput 17.*

Capite hoc exponitur causa tantorum malorū,  
& iudicij Christi cōtra statum Papisticum. quod  
contra Christum coacta sint concilia Tridenti, &  
alibi suscepta arma. vbi & de Episcopis, & ecclē-  
sia Romana, & de Papis, & principibus Papistis  
agitatur.

*Et venit unus de septem Angelis.* Quod illa  
mala miserit Deus in statum Papisticum, quæ di-  
cta sunt in superiori capite, causa ostenditur in his  
quæ acta sunt in conciliis Tridentinis. quorum  
similia antē acta sunt, quæ omnia veniāt suo tem-  
pore punienda. & vt facilior sit huius capitatis in-  
terpretatio, summam quādam proponemus duo-  
rum Conciliorum quæ habita sunt Tridenti. in  
primo Concilio sunt Episcopi docti, & indocti.  
quicunque autem illi sint, Papa vult esse domi-  
nus Concilij; & mittit suos Cardinales Legatos,  
qui suo nutu agant omnia. præter cætera petitum  
fuit, vt fieret decretum, Papam esse supra Conci-  
liuni,

lium. quod non obtinetur. item ut sanctiones Patrum pari honore ac reuerentia essent suscipiendæ ac verbum Dei. nec id conceditur. Episcopus Superantius Venetus, qui cum episcopo Cauensi clamauerat. Non placet, non placet; dedit pœnas Inquisitioni, & Papæ, à Concilio reuocatus. & ita paulatim reuocabantur viri docti; & imperiti literarum qui usquam essent, ad Concilium compellebantur. Fui ego tum ibi. Numerus Episcoporum erat reuocatus ad sexaginta, vel paulò plures. Unus erat insignis Theologus episcopus Fanensis, olim Dominicanus: & hic cum legatione Papali mittitur in Belgicā. literati Episcopi erant circa decem, qui fuerat & ipsi Monachi, quidam Scotistæ, quidam Thomistæ: & hi habebant à Papa singulis mensibus sua stipendia, præter fructus suorum Episcopatum. erant Theologi monachi docti, & pij multi. hi singulis diebus disserabant de quaestione de qua erat sanciendum; & quidem doctè, ac piè. elapsi mense coibant Episcopi; dicebant sententias, Monachi illi negligerter, qui scitent è Roma venire decreta, quæ essent tradenda scribis describenda. alij imperiti, aut legabant scriptum compositum à suo Theologo, vel pedagogo; aut expediebant se illo communi responso: Remitto me reuerendissimis Legatis. pretereo hinc multa & miseranda, & irridenda. statim cùm excunt Episcopi è suo Concilio, adsunt scribæ qui describant Decreta Romæ iam diu confecta. Hic plura non dicam. Theologi docti non habent authoritatem in Concilio; habent imperiti Episcopi, & pecunia coempti. & dum habe-

tur Cōcilium, bellum geritur à Papa, & ab Imperatore contra eos qui causam suam debent dicere in Concilio, & quorum causa cogitur Conciliū. Et tu, Tridētum, mordes quidem nostribus dentibus eodem tempore dum das nobis decreta Papæ pro decretis Concilij, dum pro concordia das bellum contra Protestantes in Germania; dum pro pietate facis cædes vniuersales Valdensium in Prouincia. secundum Cōcilium cogit Pius quartus, vt sedetur tumultus Gallicani. & vt ei sit iusta causa reuocandi Episcopos doctos, iubet vt decernatur de Residentia; quod fit. & scribitur decretum, Residentiam esse de iure diuino, tū iubet vt parent se Episcopi, & eant ad suas residentias. erant tum multi docti Episcopi, quos voluit allegare; ac retinere illos in Concilio, qui sibi placerent. Episcopi multi, qui nouerāt Concilium illud fuisse coactum ad fallendum populum Christianum, vt antè: nec putabant vñquam futurum, vt seriò secū ageretur; grauiter id ferebant, ac irascebātur Papæ. & cùm ministri Papæ eos vrgerent ad profecitionem, respondebat, Si sibi eundum sit ad residentiam, oportere se ire cū omni sua authoritate Episcopali. quanam aiunt illi? eadem dicunt Episcopi, quam sibi vendicat Papa. nam sermo multis fuerat de authoritate Episcopali, dū ad suum munus Episcopi reuocatur à Papa: atque authoritas Episcopalis comprebabatur æqualis. vnde instabant Episcopi, Papam nihil aliud esse quam Episcopum Romanum; se esse Episcopos vt ipse, atque eadem pollere autoritate. hic instant Papæ, Papam esse summū pontificem. disputant contrà Episcopi, ita esse Anti-

chri-

christum, ut capite 12. cocludebatur. & hic occulta fuerunt ora ministrorum Papae: atque statim Concilium dissoluitur. tenetur occultum de Papa, qui sit reuelatus Antichristus in Cœcilio: minœ, & pericula intenduntur id aperientibus. principes fingunt se ignorare, & aliqui possunt nunc ignorare. Decreta non decreta per Cœciliū, prodeunt nomine Concilij, quæ non fuerunt Concilij. post enim decretum de residentia, aut alterum, statim prodeunt ista decreta antè confecta, quam in Cœcilio proposta. Et ne quis loquatur, ne quid grauius contingat Papati ob hæc quæ narravi acta in Concilio, synodi priuatim habentur in singulis diocesisibus Episcopalis, in quibus firmat Papa decreta sua; efficit ut omnes in se iurent, & in sua decreta. hæc, & alia alibi copiosius erunt exposita. summa hæc rerum cognoscenda est, quam necesse sit tenere in expositione huius capituli. *Et venit unus de septem Angelis.* Dum unus ex septem Angelis ostendit meretricem, & reges cum ea fornicantes, & bestiam; indicatur quæ narrantur hoc capite, fuisse comprehensa in superiori capite, atque hic exponi.

*Veni, & ostendam tibi damnati onem meretricis magna, que sedet super aquas.* Quod hæc sit Ecclesia quæ sedeat super populos multos, & cum qua reges agant quæ sunt contraria Christo, patere debebit cuique intuenti. nec unquam inuenientur ista in alia Ecclesia, quam in Romana. *Cum qua fornicatis sunt reges terra.* Reges fornicari cum aliqua Ecclesia, si sit cum illa conuenire in falso cultu & impio, ut factum est cum alias, tum in conciliis Tridentini; illum promouere, & defendere, alios ad eum-

dem cogere , nihil erit quod ego h̄ic plura dicam.  
Si Ecclesia Romana est illa , de qua h̄ic est sermo,  
videant principes Papistę quid agant. possunt mul-  
ta dici, quæ prætreo.

*Et abstulit me in spiritu in desertum. Qui fuerūt  
in deserto: qui fuerunt è semine mulieris, quæ in  
desertum fugerat , Euangelici rem ipsam cognos-  
uerunt , quam Papistici occultare conati sunt. vi-  
derunt Prophetas , & inter hos Ieremiam de hoc  
facto Papistarum locutum, vt cap. 18. monet ipse  
Ioannes: peruerterūt in cognitionem eorum quæ  
ab his patrata sunt. Et existimo Ioannem in spi-  
ritu raptum vidisse quæ h̄ic narrat, quæ sunt ima-  
go condemnationis Papistarum, quæque poterūt  
fuisse ostensa alicui aliquo modo nostro tempore.  
*Vidi mulierem sedentem super bestiam coccinam.*  
Vidimus nos ecclesiam Romanam, Episcopos, &  
Cardinales, qui imperant populo Christiano co-  
actos in Concilio, vt toti populo Christiano ius  
dicant. *Sedentem super bestiam.* Authoritate Papæ  
in primo & in secundo concilio Tridentino co-  
actos : atque omnia motu proprio Papæ apud  
ipsos proponi, disceptari, & concludi: quia Ec-  
clesia Romana idem est cum Papa, & Papa idem  
cum Ecclesia Romana. *Coccinam.* Hanc enim ex  
habitu, & vestitu, quæ semper gerit, potes cognoscere, & cū ea Papam. *Plenā nominibus blasphemia.*  
*Quia iactat se dominam & magistram aliorum*  
*Ecclesiarum, se esse Ecclesiam Apostolicā, & Ca-*  
*tholicam, cùm sit inimica & aduersaria, contra*  
*riaque doceat, & præcipiat: sit Romana, & Baby-*  
*lonica, non autem vniuersalis: deseruerit Christū:**

plena

plena sit iisdem blasphemis, quibus astringitur Papa. qui vocatur Sæctissimus, beatissimus, optimus maximus, Deus, vicarius Christi: qui possit omnia, qui habeat plenitudinem potestatis: qui aperiat solus cælum, & claudat: aperiat infernum, & purgatoriū: qui sit rex supra omnes reges terræ. cuius motui proprio cedat lex diuina & humana; mos & consuetudo; ius & æquum: qui adorandus prædicetur ab omnibus; & cuius pedes à principibus & regibus exosculandi sint: & talia alia nomina blasphemiae, quæ brevi cōpletātur Paulus, vbi ait: Qui extollit supra omne quod dicitur Deus, aut colitur. Erythrea in Epistola ad Græcos, vocat certam mulierem plenam nominibus blasphemiae, ut quæ prædicet nō esse seruandam fidem. *Habentem capita septem, & cornua decem.* Hæc capite duodecimo sunt exposita. & ostēditur hic esse sermonem perpetuò de eadem re, & homine, seu Papa, vt intelligas Antichristum iam diu fuisse in Ecclesia. atque & in primo & in secundo Concilio potestate & imperio Pape, & principum Papistarū esse acta omnia; nec solum in Cōcilio, sed & antè iam à prædicatione Lutheri & post Papis mordentibus, & principibus cornu-petantibus Euangelicos; extollentibus capita & cornua contra Dominum, & Christum eius, quemadmodum & superioribus temporibus vi-dimus factum.

*Et mulier erat circundata purpura.* Erant Cardinales in eo Cōcilio, & legati principum: erat in his summa potestas, & iudicium: erant ipsi domini Concilij, non Christus: non hi in quibus ipse

Ioqueretur. & quicquid fiebat in cōcilio, erat quod  
Romæ in consistorio Cardinalium, & Papæ, & in  
inquisitione statuebatur. *Et inaurata auro.* Cum  
suis insignibus aureis, cum suis annulis, & orna-  
mētis aureis, & inauratis. audiatur hic Bernardus  
Homilia 33. super Cantica canticorum. *Et lapide*  
*pretiosō.* Episcopi, Cardinales, Papa habent magni  
pretij lapillos in suis annulis, mytris, pastoralibus.  
*Et margaritis.* In mytris has maximē solent habe-  
re. hæc omnia cūm semper fuerint intelligenda in  
Ecclesiasticis factis principibus sub Papatu, &  
præsertim Romæ, tum in Conciliis proponuntur  
contemplanda, quod illi tantum laruati, & perso-  
nati sint domini Cōciliij; obtineant authoritatem,  
& sententiam dicant in Concilio; non periti, &  
ministri verbi: interea præstantissimi Theologi  
sint in angulis; cogantur tacere. *Habens poculum*  
*aureum in manu sua.* In Cōciliis suis miscent ve-  
nena hæreseum, superstitionum, ac impiatum:  
quæ propinent omnibus qui inhabitant terram  
populi Christiani. *poculum aureum est;* sed intus  
arsenicalis liquor: externa proponūt aurea, & sa-  
lutaria: quæ tibi dant, sunt fex, & mors. *Plenum*  
*abominatione & immunditia fornicationis sua.* De  
abominatione erit locus dicendi in Daniele. in  
fornicatione intelligo idololatriam quancunq;,  
in abominatione certam, & scelus Baalpeoriticū,  
& Gabaoniticum spiritualiter admissum. *Et in*  
*fronte eius nōmē scriptum, Mysterium, Babylon ma-*  
*gna mater fornicationum, & abominationum terra.*  
In tyara, in myrra Papæ habes hoc verbum My-  
sterium scriptum: ut non sit tibi opus longius in-  
terpre-

terpretationem quærere. Sub Babylōne signatur Ecclesia, quę se matrem & magistram iactet aliam Ecclesiarum; & quæ ad idololatriam, & ad scelus vocet omnes. in fronte quoq; eius dicitur scriptum nomen Babylon, quòd sub nomine Ecclesiæ sit Babylon. hoc est, ex his quę tu vides opera in ipsa; & ex impudentia potes videre, & scire, quænam sit. intucare quoque mytras in capite in altum exurgentes modo pyramidali: signant turrim Babel. qua volūt ascendere in cælum, Deum ē cælo educere, Christum arripere, ac iterum crucifigere vt hæreticum; prohibere cultum Dei, vt fecerunt ædificatores turris Babel, comburentes omnes Dei cultores. quod faciunt, vbi possunt, & confundūt cultum diuinum, vt illum non agnoscas. Et si adhuc non nouisti ecclesiam Babyloniam ex falso cultu, & doctrina, & vita, agnosce tandem illam ē cęde infinita quam facit hominū.

*Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum..*  
 Quām possit esse ebria de sanguine sanctorum, haec tenus vidimus; nec opus est hīc interpretatione. Si iam postquam Papa factus est tyrānus, iam à mille annis ecclesia Romana comburit suos reprehensores; atque semper sauitiam auxerit, vt videamus etiam Herodianas cædes fieri: nec similia conspecta sint in alia Ecclesia, quis dubitabit hanc ecclesiam non esse Babylon matrem fornicationum? *Et dixit mihi Angelus.* Hīc occasio datur, vt ostendatur tempus quando Antichristus patefactus sit, & condemnatus. vt quando ostensus fuerit Papa Antichristus, veniat ecclesia Romana cum ipso condemnata. nam initio capitinis

pollicitus est se id ostensurum; & ostendit quidem, dum mores, vitam, & opera eius exposuit. sed quia sunt vnum Papa & ecclesia Romana; & Papa est eius caput, oportet & vt in condemnatione Papæ inueniatur simul ipsa condemnata. vnde dicitur h̄ic bestia septem capitum, & decem cornuum portare mulierem. *Bestia quam vidisti, fuit, & non est.* H̄ic cognoscitur tempus quando facta sunt quæ in superiori capite, & in hoc continentur. vbi patebit de Ecclesia, & Papa, h̄ic & antè fuisse sermonem. nam per bestiam quæ fuit, & non est, cognoscimus significari papam Pium quartum. *Fuit, & non est.* Fuit secundūm opinionem hominum terrenorum papistarum Papa, sed iam non est. quia fuit (vt diximus) Papa patefactus Antichristus in concilio secundo Tridentino. summus Pontifex ostensus fuit æternus; Papa autem est mortalis. qui ergo mortalis voluit in Sacerdotium ingredi æterni Christi, qui non moritur, ostensus fuit id non posse. cùm autem vi id velit sibi tribui Papa, deprehēditur esse Antichristus. & hoc patefactum est in concilio Papistarū. Ergo antè potuit videri Papa apud imperitos Ecclesiasticos & principes summus Pōtifex: at nunc nō potest videri, dū sit patefactus Antichrist⁹. hic ergo videmus condemnationē Papæ, quæ est eadem & Episcoporum, & Principum, qui quem nouerunt Antichristum, loco Christi habere voluerunt: atque alios ad idem scelus admittendum coegerunt. Causam quare vsus sit Spiritus sanctus eo modo loquendi, *Qui erat, & non est:* & it in interitum; existimo eam esse, quod Papa fecerit te alium

sealium Christū, vendicauerit sibi quæ sunt Chri-  
sti: voluerit venire in comparationem cum Chri-  
sto, de quo dictum est: Qui erat, & qui est, & qui  
venturus est. Papa quidem opinione hominum  
fuerit, non autem re. non permanens sit nec re,  
nec opinione; sed vtroq; modo desiturus, & ita-  
rus in interitum. *Et ascensura est de abyso.* Quia  
hic bestia dicitur ascensura ex abyso: & infra,  
Quinque ceciderunt, & unus est, & aliis nōdum  
venit; videtur Spiritus sanctus nobis loqui tem-  
pore Pauli quarti, siue repetere primum conciliū  
Tridentinum factum sub Paulo tertio. vt Pius  
quartus videatur idem agere quod Paulus tertius,  
& Paulus quartus, qui fuerat tyrannus in inquisi-  
tione sub Paulo tertio: atque eadem agendo Pius  
quartus, & simili fraude, patefactus sit Antichri-  
stus. Vnde & priores fuerint Antichristi, ex qui-  
bus ipse prodidit: ac patefacto ipso Antichristo, ve-  
niant patefacti & illi Antichristi, & cum ipsis epi-  
scopi Papæ, & ecclesia Papæa. Et quia in Papis  
illis egit omnia Diabolus, & Satan, dicta est be-  
stia hæc papæa Pius quartus ascendere ex abyso,  
prodire è Papis, qui prodierunt ex abyso; siue vt  
illi prodierunt ex abyso, prodire & ipsum: vt in  
illis egit Satan, agere in ipso: & vt ipse patefactus  
est Antichristus, & produisse ex abyso, hæc eadem  
intelligantur in prioribus. qui omnes dicuntur  
Diaboli, & Satan, & prodire ex abyso: quia con-  
tra omnes leges agunt gentium, & naturæ huma-  
næ, dum audent agere contra fidem datam, & id  
rectè à se factum allerere. in sua inquisitione nul-  
lum est ius, nullus modus, nulla ratio; libidine  
imma-

immani agunt omnia; quod est ferarum. & hinc  
obtinent nomina belluarum: quiaverò vincunt  
feras immanitate, in quibus non vides genus vnū  
ferri contra seipsum, saeuire in simile: quiaque fa-  
ciunt illa quæ agit & molitur Satan contra Chri-  
stum & suos, dicti sunt Diaboli, & Satan. itē quia  
institutum sequuntur Satanæ, nolunt quicquam  
pati pro religione; sed volunt alios ipsi interfice-  
re. & secundūm hanc sententiam dixit Christus  
Petro: Vade post me, Satanas: quia non sapis quæ  
Dei sunt. *Et in interitum vadit.* Iudicatus papa  
Antichristus, desiit esse Papa etiam in animis pa-  
pistatum, qui nouerunt ipsum patetfactum Anti-  
christum. vnde & Deus facit ut intereat, & desi-  
nat, quāuis videatur durare. ac ut id nobis osten-  
datur, Papæ tres qui sequuntur Pium quartum,  
vocantur alio nomine quām alij superiores. spi-  
ritus scilicet tres immundi in modum bufonum,  
spiritus dæmoniorum, ut vidimus in superiori ca-  
pite. *Et mirabuntur habitantes terram.* Mira-  
buntur papistæ quando videbunt res papæas labi,  
ipsum quotidie minui, atque tandem desinere  
esse in populo Christiano. pij non mirabuntur.

*Quorum nomina.* Quisque pius hæc intelligit.  
*Videntes bestiam quæ erat, & non est, & tamen est.*  
Mirantur papistæ quomodo fiat ut non sit Papa,  
cùm tamen sit, cùm tamen dominetur. at pij ha-  
bent illum tanquam interierit, qui à Deo sit con-  
demnatus; ut fieri non possit quin breui omnino  
intereat, & perdatur. *Et hic est mens.* Euangelici  
viri satis poterunt intelligere quæ dicam.

*Septem capita septem montes sunt super quos mu-*  
*tier*

*lier fēdet. Vt sunt septem colles Romæ, super quos ecclesia Romana habet suam sedem; ita contra prædicationem Euangelicam niti visa est ecclesia Romana septem Papis. atque vt antè cap. 12. dicebamus, in numero illo septeno septem Paparum intelligebamus etiam totum tempus tyranidis papæ. & nunc ecclesia Romana, auctoritate antiquorum patrum vfa, sedet in Concilio, vt condemnet Euangelicos: & fuit ipsa à se ipsa condemnata.*

*Et reges septem sunt. In his septem regibus intelligimus septem Papas, qui restiterunt prædicatio- ni Euāgelie à Luthero vsque ad concilium secun- dum Tridētinum: Leo, Adrianus, Clemens, Pau- lus tertius, Iulius, Paulus quartus, Pius quartus septimus. hi omnes restiterunt prædicationi, illam oppugnarunt, interfecerunt prædicatores, & credentes vsque ad concilium ortis perturbationibus Gallicanis. Quinque ceciderunt. Vt dixi, videtur Spiritus sanctus loqui nobis tempore Pauli quarti, aut repetere illud tempus, quo ab illo auēta fuit crudelitas inquisitionis, & internctionis martyriū Christi. & ait quinque cecidisse, periisse, desisse esse in mundo, Leonem, Adrianum, Clementem, Paulum tertium, & Iulium. Et unus est. Paulus vi- delicet quartus. qui veniens in sextum numerum septem belluarū, portat in se opus Antichristicum priorum, & posteriorum: vt septima bestia, & tres spiritus immundi in ipso comprehendendi sint. quod Antichristus non possit peruenire ad opus perfectum numeri septeni, qui veniat in compara- tionem cum Christo in opere Spiritus sancti. ergo unus*

vnum sit Paulus quartus, sexta bestia, in qua sit terminus operationis Antichristicæ. si vlt̄rā progediatur, adsit cōdemnatio, vt intereat. *Et alius nondum venit.* Cūm alius, septimus scilicet, esset venturus in sedem papæam; antequam venisset, non erat habendus pro papa. *Et cūm venerit oportet.* Quādo venit Pius quartus septima bestia, fuit condemnatus in ipso Papa Antichristus, idque paulò post quām fuit creatus Papa: & nō multò pōst condemnationē, defatigatus in scortatione, moritur, repetens vsque ad extrēmum halitum, Deum vereor, Satanā metuo. Ut hic intelligas Pium quartum, & quæ antè dixi, datur tibi signum, & argumentum satis firmum. dicitur enim: *Bestia quæ erat, & non est, ipsa octaua est.* Bestia, quam dixi, erat, & non est; octaua est, & de septem est. hoc est, octaua est à Leone, si numeres Marcellū: si non numeres Marcellum, qui non venit in numerum bestiarum similiter ac alij, erit septima bestia. & ita cognoscis quæ bestia sit illa, quæ erat, & non est: & simul quæ hoc capite, & in superioribus, & in duobus quæ sequuntur. Quod autem Marcellus non venerit in numerum earundem bestiarū, dixerunt quidam id factū esse, quod nō peruererit ad signaturam, vt ipsi loquuntut: nam vigessimo primo die à sua creatione obiit: & vt quidam medicus, qui ei adfuit, narravit, veneno infectus. quidam affirmarunt ipsum cōpisse cogitare de restitutio[n]e vineæ Christi. videtur & illa manifesta causa, quod nihil visum sit ab ipso actum contra munus Episcopi: & in Concilio primo visus est mihi, & aliquibus minimè malus Nicodemus. *Et decem cornua quæ videris.*

disti. Ut fuerūt decem, septē bestiæ cum tribus spiritibus immūdis, ita fuerunt illis semper principes papæ cornua: & armis pro ipsis pugnarūt. vnde inde decē cornibus intelligimus omnes principes, qui omnibus tēporibus vi tutati sunt tyrannidē papæ. & quia & ipsi Papæ vibrant gladiū, & bella gerunt, sunt Ecclesiastici, & politici; vis quoq; tyrānica, & robur ipsorum significatur. & ita & per se soli, & cū principibus bella gerunt, præsertim verò contra Euangelicos. *Qui regnum nundum accep.* Ego existimo hic significari quoddā singulare tempus: ut quādo Francisco secundo mortuo cū regina madre, & Antonio rege Nauarre, Guisiani, & alij multi intruserūt se quoque in administrationem regni, vires suas conferētes omnes aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. *Cum bestia.* In gratiam Papæ, & cum ministris Papæ administrabant omnia. *Hi vnum consilium.* Hi, inquam, cum omnibus principibus aliis Papistis extra Galliam, & cum papa communia consilia habuerunt: suis opibus, & robore pugnarūt pro tuendo statu papæo. *Hi cum agno pugnabunt.* Pugnando contra Euāgelicos, pugnarunt contra Christum: conuenerunt in vnum aduersus, vt dixi, Dominū, & aduersus Christum eius. sed tandem vicentur ab agno, virga ferrea confringet eos. *Et qui cum eo vocati sunt, & electi, & fideles.* Vincent cum Christo & illi qui erunt vocati; & non solū vocati, sed & electi. quia multi sunt vocati, pauci verò electi. & cùm fuerint vocati, & electi, sint fideles Christo, non faciant se ipsos Christos. *Aqua quas vidisti.* Id additur, vt cognoscamus Papam, & Ecclesiam Romanam bestiam

stiam, & meretricē magnā. quia nullus alius princeps, nulla alia Ecclesia sedet super populos, gentes, & linguas, vt ipsa cum Papa. *Et decem cornua quæ vidisti in bestia.* Futura indicatur rerum commutatio, vt qui pugnabant pro Ecclesia Romana, conuertant eadem arma cōtra ipsam; spolient eam omnibus bonis eius sedem auferant. *Deus enim dedit in corda eorum.* Permittit interea Deus vt pugnant pro Papatu, donec perficiantur quæ scripta sunt in Prophetia de bello Antichristi contra Christum. *Et mulier quam vidisti, est ciuitas illa magna.* Est Roma, hoc est Romana Ecclesia, quæ se vocat matrem, & magistrum omnium Ecclesiarū: in qua Papa retinet regnum super regna aliorū, vt ostendit Pius quintus in sua forma iuramenti verbis: vbi se dominum, & distributorem regnorū iactat: qui revoluti priuare Imperatores & Reges regno, & imperio; creare reges, & duces. nec adhuc ista intelligimus? quā diu, Domine, claudes oculos, cor aggrauabis; ne oculis videanius, ne mente intellegamus?

•

*Argumentum in Cap. 18.*

In vna Babylone significantur plura loca, vbi sit sedes Babylonica, non vna Roma tantum. vbi cunq; ergo euertetur Babylon, ibi erit luctus Papistarum, & triumphus piorum. vbi autem vna Babylon erit vastata, clama & cætetas vastatas. quia qui cœpit euertere, est Deus, qui non impeditur quin possit persequi euertere, quæ statuit à se euertenda. & hīc assūme illud 4. lib. Esdr. 16, **Immissus est vobis gladius, & quis est qui auerat illum?** eadem enim res hīc, & ibi agitur.

Post

Post hæc vidi Angelum descendenterem è celo. Post  
hæc quæ narrata sunt cap. 16. de septem plagis, &  
capite superiori 17. de Ecclesia Romana, extabit  
magnus dux, qui cōclamabit Euangelicis victori-  
am de Romana Ecclesia, & statu Papistico: ex-  
tabunt tūc in Ecclesia Euāgelica multi, qui ostend-  
ent quæ euenerunt Ecclesiæ Romanae, & statui  
Papistico, vbinam fuerint nuntiata in Prophetis.  
Vnde Ioannes hoc capite affert verba ipsa Pro-  
phetarum, vt videbimus: quasi ipse debeat venire  
in numerum eorum qui eadem nuntiabunt; &  
Prophetæ qui scripserūt, videantur adesse, & scri-  
bere, & loqui nobis: ita sicut apeta quæ nuntia-  
runt. *Habentem potestatem magnam.* Erit tūc ma-  
gna potestas ministrorū, in quibus loquetur Do-  
minus, & ager, vt virtus Dei ac eius verbi in illis  
admirabilis visenda sit in rebus bellicis, & in præ-  
dicatione. *Et terra illuminata est à gloria eius.* Ex-  
ponit se ipsum Ioannes, & ostendit quænam ma-  
gna potestas futura sit, quod per prædicationem  
terra, quæ erat circunfusa tenebris, lucem magnā  
suscepturna sit, propter lucem magnam quæ ape-  
rietur in omnibus diuinis scripturis. quæ lux scri-  
ptura um aderit à gloria eius, hoc est, à rebus ad-  
mirabilibus quæ ager Christus in perdendo suos  
aduersarios, tunc vulgo incipiet intelligi prophe-  
tia, seu conspici eius eventa. *Et clamauit in forti-  
tudine voce magna.* Exaudietur vox Prophetatum  
per totum populū Christianum, vt exaudita fuit  
vox Lutheri, & aliorum. nec erit vox illa inanis,  
atque ei assensus dabitur cum magna hominum  
admiratione: magna quæ perficiuntur vi, quæ re-

stabut in subigendo statu Antichristi. *Cecidit Ba-*  
*bylon magna.* quæ sibi subiecerat totum populum  
 Christianum. tempus præteritum ponitur, & ta-  
 men intelligendum est quoq; futurum more pro-  
 pheticō. In Ierem. enim ca. 50. dicitur, Capta est  
 Babylon; & tamē dicitur deinde, Ecce ego susci-  
 to, & ascendere facio contra Babylonem multi-  
 tudinē gentium. quamobrem cùm dicitur: Ceci-  
 dit Babylon, non tam tempus præteritum, quām  
 futurum intelligendum est; vt scilicet post effusio-  
 nēi sextæ phiolæ, seu in hac effundēda, seu dum  
 Sodoma incipiet ardere, concludetur viatoria: vt  
 eodem modo illa euertatur, usque dum Romanū  
 perueniat, & ibi cadat Babylon tota; & semper  
 concludetur. Cecidit Babylon. nam ubique fieri  
 quod nuntiabitur: quia Deus dixit: & apud Deū  
 idem est quod dixit, ac id quod factū est. Et fa-  
 etia est habitatio Dæmoniorum. Hæc sumpta sunt ex  
 cap. 13. Isa. & ex 2. Soph. & ex 50. Ier. & ex aliis:  
 qui nuntiarunt diruendā ecclesiam Romanam &  
 vastandā, nec unquam instaurādam. in qua ciui-  
 tate intelligitur ipsa Ecclesia. *Quia de vino prost.*  
 de his dictum est in superiori capite: & à ministris  
 verbi sunt exposita. & sunt verba Iere. 51. *Et au-*  
*dini vocē ē cælo, dicens:* Exite de ea, popule mi. Hæc  
 est vox Ierem. cap. 50, 8. & cap. 51, 6, 9, 45. Hic ad-  
 uertendum est, cælum poni pro scriptura sancta.  
*Quoniam peruererunt peccata eius.* Et hæc senten-  
 tia est Ierem. cap. 51, 9. *Reddite illi.* Et hæc est cap.  
 50, 28. quod hoc tempore paria reddenda sint  
 Babylonis, ut & in Psalmis sæpè nūtiatur. *Sede o re-*  
*gina, & vidua non sum.* Verba sunt Ecclesiæ Ro-  
 manæ,

manæ, & Papisticæ, quæ putauit se nunquam ca-  
suram è tanto regno cùm reiecisset à se Christū:  
& non esset vidua: haberet Imperatorem, & Re-  
ges pro se pugnates, cum quibus & fornicaretur.  
Et est sententia eadem in Ieremia cap. 50. & 51. &  
vbi loquitur de monte versu 25. in quo signatur  
Papa Antichtistus. Ideò in una die. Fortior est  
Christus tyrannis. *Et flebunt illam, & plang.* Prin-  
cipes Papistar, & qui mereatur faciūt eorum quæ  
sunt diuini cultus. nam cùm vendiderit Papa &  
Ecclesia Romana spiritualia, & quæ sunt cultus  
Dei, vendidit & homines tyrannis, & animas suis  
sacerdotibus sc̄ colentibus. nam in rebus pretiosis  
signantur spiritualia; in animantibus diuersi gene-  
tis homines, & animæ hominum, ynde concludit,  
& animas hominum. *Væ, væ.* Pulchra & fructuosa  
prædia, palatia, & omnia qua h̄ic memorantur,  
fuerunt copiosa apud Ecclesiasticos. væ, væ, tet re-  
petitur. quia vbiique & in perpetuum, & omnino  
spoliabitur Ecclesia Romana bonis suis, & dignita-  
tibus. conscientur Papistarū simul bello, fame, &  
peste. *Exulta super illam cœlum.* Eadem sententia  
est in Ieremia cap. 51, 48. *Et sustulit unus Angelus*  
*fortis lapidem.* Existimo Prophetiam apertam fu-  
turam in Ecclesia, in qua cognoscetur Romana Ec-  
clesia, vt Hierosolymæ nunquā reædificanda. dici-  
tur lapis quasi molaris, propter prædicationem fu-  
turam in Ecclesia doctrinæ Euangelij, & Proph-  
etiæ apertæ, & cultus qui describitur in Prophetis  
seruandus: qui est idem cum Euāgelico, quod an-  
tiquare conatus est Papa. ynde ita dicitur, vt dictū  
fuit in Prophetis Ecclesiæ Romanæ: *Vox mole non*

audietur in te amplius. *Et vox citharædorum.* Cūm non erunt voluptates hę, quę hic memorantur in Ecclesia Romana, & Papistica, tum ministerium verbi Dei erit ab ipsa ablatū. non erunt Papęi interpres nobis scripturarū signati in citharis, & musica. in Psalmis sēpē dictū est de his instrumentis musicis. quę ibi dicta sunt, erunt hic assumenda. non erunt concionatores signati in tubis: non erunt titulati, vt ipſi aiunt, Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, Plebani, Canonici Papistæ, vt antè, signati in artificibus: quòd in illis muneribus ut artifices lucrum tantū querāt. *Et sonitus mola non audietur in te amplius.* Administratio Ecclesiæ non erit vltrà penes vnam ecclesiam papisticā: verbūque nouum dabitur Ecclesię, signatū in lapide molari projectū in mare: atque Ecclesia Romana cum eius cultu petet profundum, vt lapis projectus in mare. *Et lux lucerne.* Iudicia, magistratus, decreta, & talia, nulla erūt apud Ecclesiasticos papistas. *Et vox sponsi, & sponsæ.* Non iā vltrà dicetur Ecclesia Romana Ecclesia Christi, non Ecclesia. id ex Ieremia sumptum est cap. 7. & 51, 26. *Quia mercatores.* Quòd Ecclesia Papistica habuerit venalia omnia, prædicatores ostenderunt: quòd errauerit totus populus Christianus propter ipsam, iidem docuerunt; & nos vidimus: quòd interficerit seruos Christi ab initio tyrannidis Papæ usque ad finem, historia docet. quòd autem in ipsa inuentus sit sanguis sanctorum omnium qui interfici sunt in terra, significatur, vt existimo, quòd iidem fuerunt Papistæ, qui fuerunt tyranni; Scribæ, & Pharisæi: quòd idem cōsilium, & animus, & studium

dium fuerit. si illorum tempore fuissent, fecissent  
eadem quæ illi. & hoc est simile illi, vt veniat su-  
per vos omnis sanguis iustus: quod & de Papistis  
his nostris Christus dixit, & huc Ioannes retulit.

*Argumentum in Cap. 19.*

Capite superiori mihi visus est Ioannes ostendisse vastationem status Antichristici pluribus in locis usque ad euersionem magnæ vrbis, vbi Babylonia habet suam sedem. Tu, Romana Ecclesia, temporis perpende: audiuisti luctum in superiori capite, & gaudium utrareunque partium: hoc autem capite ordine persequitur Ioannes historiam rerum futurorum, quid post euersam Ecclesiam matrem contentionum futurum sit. & narrat laudes, & gratiarum actiones quæ ubique dicentur, & canentur Deo; & constitutionem innouatae Ecclesiæ; atque postremum bellum quod habituri sunt qui sequentur Christum, contra reliquias quæ residebunt exercitus Antichristi in populo Christiano. Ec hinc volo monitu lectorem, me in interpretando sequi debuisse rationem ipsius Ioannis in singulis quæ narrat exponendis, vt generaliter res indicarem, vt ipse illas describit: singulatim multa reticerem, quæ ipse recognoscenda precepit in Prophetis. de Ecclesia Romana & Papa apertius loquerer, quod & id faciat Ioannes. unde & verba ipsa de Ecclesia Romana transtulit ex Ieremia in caput superius. vt ergo haec tenus factum est, persequemur reliqua. potuisse, vbi reuocat nos Ioannes ad Prophetas, ordinem rerum futurorum assumere ex illis, atque quæ futura essent in certis prouinciis, & magnis ciuitatibus aperire:

de Sodoma, & de Armagedon apertius loqui. septem tonitrua, quæ recensui capite decimo, nō signata, sed resignata narrare: verū, ut dixi, oportuit sequi rationem Prophetæ, quamobrem idem in his quæ sequuntur faciam; certa ratione persequar quæ restant: ut ea sit interpretatio, in qua qui cupient fieri illa quæ narrabuntur, satis intelligantur; qui renuent, parum. boni bona prospiciunt: qui mali mala volunt, videant ne malis in astutia sua capiantur.

*Post hæc.* Post Babylonem passim dirutam, & casum sedis Papæ: post magnum luctu Papistarum, & gaudium piorum. *Audiui quasi vocem magnam tubæ multæ.* Multi prædicatores Euangelici, multi populi in multis prouinciis tollent voces suas; habebuntur grauissimæ conciones, & mutuae hortationes ad Deum laudandum pro his quæ egerit. canent, *Halleluja, laus, & honor, & gloria,* & *virtus.* Quicquid actum fuerit, Deo tribuetur, à Deo recognoscetur. singula verba hæc quisque facile poterit interpretari: & cognoscere iudicium de qua Ecclesia sit peractum; quæ scilicet fuderit sanguinem ferentium nomen Christi. Tu Papista, si non vis cognoscere fornicationem tuæ Ecclesie in erroribus, & impio cultu, negare non poteris eius homicidia. *Et iterum dixerunt, Halleluja.* Frequenter, & multis in locis cogentur Ecclesiæ fidelium, communes preces habebunt, & laudes easdem canent Domino. *Et fumus ascendit.* Haec laudes suscipientur à Deo, & erunt perpetuae pro perpetua victoria donata: erit memoria æterna beneficiorum Dei, quæ suscipiet eius populus: ac

idem

idem cultus diuinus erit deinceps semp̄er, vt semi-  
per Deus suo populo propitius sit. Et ceciderunt  
viginti quatuor seniores. In his senioribus signifi-  
cantur concilia quæ habebuntur in quibus con-  
stituentur illa quæ erunt diuini cultus, & legis  
Dei: non sibi vendicabūt ministri quæ sunt Dei,  
& Christi Iesu: non sua, loco eorum quæ Christi  
sunt, proponent populis: nō imitabuntur Papam,  
& similes: seruient Domino, fideles ei erunt in  
omni administratione. *Amen, Halleluia.* Quæ  
agentur in Conciliis secundūm verbum Dei, ea-  
dem confirmabuntur in Ecclesiis ab omnibus, &  
laus ab omnibus soli Deo dabitur. *Et vox è throno  
exiuit.* Eadem confirmabuntur ex verbo Dei, ex  
Mose, ex Prophetis, ex Euangeliō, ex Apostolis:  
&, vt censeo, confirmabuntur superiora per ali-  
quod magis generale Concilium.

*Et audiui vocem turbæ multæ. Hęc mihi videntur*  
significare aliquod, siue aliqua concilia generalia:  
in quibus erunt ministri verbi, & in hoc docti viri  
quamplurimi, & ex variis locis collecti. vbi audiен-  
tur disputationes, conciones, cōsultationes de ve-  
ritate eorum quæ sunt verbi Dei: quæ & deferen-  
tur per omnes regiones, vt vbique audiantur, &  
cognoscantur. *Dicentium Halleluia.* Laudabitur  
Deus, qui restituerit Ecclesiam suam, & regnum  
suum: venerit ipse, expulerit Antichristum, qui vi-  
debatur non posse vinci. *Gaudemus, & exultemus.*  
Hic videtur esse cōclamatio omnium piorū simul,  
quod omnes instituti iam sint, & intelligent opera  
Dei, & verba eius: quodque iam sit constituenda  
Ecclesia innouata, siue constituatur. in qua secun-  
dum

dum Christum , & cū Christo viuatur: in quo ha-  
beatur iustificatio , & salus. haec tenus fuerunt Ec-  
clesię tales quales descripsit ipse Ioannes cap. 2. & 3.  
Oseas cap. 2. & 3. & Eze. cap. 23. & alij Prophetar-  
alibi. *Et dixit mihi, scribe: Beati qui ad cœnā.* Iube-  
tur Ioannes scribere, Beati qui ad cœnam vocati  
sunt. deinde additur: *Hac verba Dei vera sunt.* Vn-  
de res magna , & magni momenti assertur : beata  
scilicet nunc vita futura expulsis in sempiternum  
Pharaonibus , & Antichristis : pij cum Christo re-  
gnaturi , & peracturi cum ipso cœnam illam; illud  
conuiuum coniunctionis nostræ cum ipso. quod  
significatū fuit in agno paschali. cuius coniunctio-  
nis Ecclesię cum Christo in regno suo pignus dedit  
antequam pateretur in instituta sua cœna: atq; suo  
sanguine in sua morte testamentum hoc consigna-  
uit. hoc verò quod verbo Dei tunc confirmabatur  
futurum , nunc ostenditur eodem verbo Dei præ-  
statum : seu ostendetur statim. cognouit Ioannes  
donum Spiritus , quod verbis exprimi non potest.  
atque in beatitudine oblata se cōtinere non potuit,  
quin procūberet ante eum , qui sibi nuntium tam  
magnum afferebat , præsertim cùm dixisset, *Hac*  
*verba Dei vera sunt.* quod iam conspicietur præsti-  
tis scilicet promissis. non permisit Angelus se ado-  
rari : erexit adorantem , & monuit Deum solum  
adorandum. quo in facto cognoscimus illos mini-  
stros Christi quadā singulari obseruantia esse com-  
plectendos , qui beatam vitam nobis exhibent à  
Domino; nec tamen adorabuntur à nobis. in dede-  
cūs futurum est hoc Papæ, qui voluit adorari , cùm  
nil huiusmodi possit nobis dare. Christus non fuit  
ita.

ita adoratus ut Papa: ut maius aliquod videatur An-  
tichristus velle sibi tribui, quām Christus habuerit.  
de Christo suscipiendo in suo aduentu secundo di-  
citur Ps. 2. Osculamini filiū . Papista hoc intellige,  
si potes. prohibebitur adoratio papæ: & quam ma-  
gnum scelus illa fuerit , patebit quando intellige-  
tur illud , Osculamini filium. *T*e*s*t*im*oniūm ēnīm  
*I*esu ēst *S*piritu*s* propheti*e*. Existimo quia dictum  
est, Et conseruus fratum tuorum , qui habeunt te-  
stimoniūm Iesu: omnes qui habuerint testimoniūm  
Iesu, certos esse, quōd verba illa vera sint. quia te-  
stimoniūm Iesu ēst Spiritu*s* propheti*e*. & qui habet  
Spiritum propheti*e*, scrire debet , Deum dixisse,  
nos nūc futuros beatos etiam in Sabbathisimo pro-  
missō, in quo agētes erimus certi nos & in cēlisēu*m*  
eternum esse ducturos. quōd autem testimonium  
Christi sit Spiritus propheti*e*, ipse Christus testatus  
est, cūm ait, Non edam de eo, donec perficiatur in  
regno Dei. item, Quotiescunq; de pane hoc edetis,  
& de vino hoc bibetis, mortem Domini annuntia-  
bitis, donec veniat. item, Non bibam de fructu vi-  
tis, donec bibam illud nouum in regno Dei. quōd  
vīque ad illud tempus vinum effusionis sanguis  
bibendum esset. hoc est, patiendum cum Chri-  
sto. iam vinum nouum bibetur lātitiæ , & æterni  
gaudi*m* in regno. de qua re omnes debuerunt fuisse  
certi, qui hactenus fide biberūt potum illū, & ede-  
runt panē illum. *E*t vidi celum apert. Hic significa-  
tur Christus in medio Ecclesiæ suæ, & pugnare pro  
illa; iudicare, & pugnare pro iustitia tuenda, ut ipse  
suum regnū habeat, & sui cohæredes : homicidæ,  
& direptores bello puniantur. Oculi eius sicut flam-

*magnis.* Est Deus, & punitor mundi. *Et in capite eius diadema multa.* Ipse est Rex regum, & Dominus dominantium, Deus exercituum, seruator, liberator, summus pontifex, placator, reconciliator, intercessor, & omnia illa quæ ipsi tributa sunt cap. 1, 2, & 3, huius libri. nec iam illa sibi vendicabit Papa, nee alius. *Habens nomen scriptum.* Ut oculus non vidit, auris non audiuimus, in cor hominis non ascendit, quæ præparauit nobis Deus in Christo; ita non possumus nosce nomen Christi in his quæ præparauit nobis Deus; minus autem nomen quod per se inest Christo. *Et vestitus erat ueste tintâ sanguine.* De hac ueste dictu est cap. 63. Isaiæ. *Vocatur nomen eius Verbum Dei.* Nomen dicitur nobis; sed quis nouit quantum in Deo, quantum in seipso illud sit? significatur tamen nobis, quod est verbum Dei, esse quod efficit omnia, sine quo nil factum sit quod factum existat. *iccirco frustra omnes reges terræ esse paratos contra ipsum.*

*Et exercitus qui in celo sunt..* Sua membra verbum illud prædicantia vicerunt verbo papatum, vincetur hic & bello. & iccirco dicitur: *Ex ore eius prodibat gladius.* Verbo, & virga ferrea vicit non credentes Euangeliō, atque non parentes. *Et ipse reget.* Hoc planum est: de quo dictum est Psalm. 2. & alibi saepè. *Et vidi Angelum unum stantem in Sole.* Per Solem intelligo ego Christum, & Christi regnum iam in multis locis constitutum. & existimo signati hic civitatem Venetam, quæ cap. 30. Isaiæ sub nomine Ierusalem memoratur, quæ venerit in potestatem Euangelicorum, ubi erit prædicatio, & sedes Christi. ibi nuntiabitur interitus his

his qui bellum renouare voluerint; atque Evangelicos iterum appetere tentarint. ibi erit Concilium; ibi decernetur quæ ad religionem, & ad bellum pertinebunt, ut in Prophetis docemur, & vidimus eodem 30. cap. Isaiae.

*Et vidi bestiam, & reges terra.* Postremum bellum significatur, in quo reliquæ papatus collecte ad repetenda bella, & ad restituendum papismū perdentur. Qui sapient, attendent illud Christi: Et sicut nouissimi primi, & primi nouissimi.

*Et apprehensa est bestia, caput papisticæ.* Et cum illa pseudopropheta, Inquisitio cum omnibus cum illa facientibus. *Qui fecit signa coram ipsa.* Inquisitio, Dominicani, Iesuitæ, & hypocritæ multa effecerunt, ut sustentaretur papatus, inuenti sunt seduxisse omnes, quos adduxerunt ut crederent Papæ: crederent illum esse Deum in terris, posse omnia, & quæ ante dicta sunt. *Vixi coniecti sunt.* Hi non videntur puniendi gladio, ut qui manu pugnauerunt: sed puniendi grauius in inferno; eam sortem habituri quam habuerunt filii Chorœ, & Datan, & Abiron.

### *Argumentum in Caput 20.*

Concilium Euangelicorum habebitur, ut existimo, Venetiis: in quo pacabitur totus populus Christianus in Ecclesia innouata, post verò mille dies, ut ego censeo, insurgēt nouæ gentes, ut Christianos pacatos opprimant, magno collecto exercitu, qui exercitus profligabitur à Christianis: qui illas gentes vincent verbo, & armis Christo, qui prædicabitur ubique, & salvi erunt qui credent, peribunt qui non credent.

*Et*

*Et vidi Angelum descendenterem è celo. Diuina scriptura fiet aperta, vt nulla stenebras iam Satan & Diabolus offendere possit: atque simul prohibebitur ne seducat homines, vt fecit ante, leditulo papistas, & alios: ne semina belli spargat, nisi post mille dies, vt iudicium fiat & inter alias gentes quæ haeretici fuerunt sine Christo, dum apud illas quodque ubique prædicabitur Euangelium.*

*Et post hoc oportet. Perturbatio erit bellica apud gentes, dum qui credituri sunt, & credent, venerint in Ecclesiam; qui non credent, subeant condemnationem. Et vidi sedes. Hic significatur Concilium futurum, ubi Euangelici aperta illis prophetia constituent Ecclesiam; iudicabunt de omnibus quæstionibus: condemnabunt eos qui se condemnarunt. ubi apparebit quinam fuerint haeretici, & Antichristi. Et animas decollatorum. Ac, vt existimo, ij quos interfecit Papatus, iudicabuntur fuisse martyres Christi; atque ipsorum doctrina probabitur, & confirmabitur in ecclesia Christi. Et qui non adorauerunt bestiam, neg. Iudicabit Concilium causam veram eorum qui fuerunt martyres Christi, & eorum qui fuerint superstites, nec adorauerint Papam; nil suscepint eorum quæ sunt papismi; non eius doctrinam & decreta; non iurarint in Papam, non subierint nomen Papæ. Et vixerunt, & regnauerunt. Exponit se ipsum, quod locutus sit de his qui non fuerint imperfecti sub Antichristo; sed superstites fuerint, viderintque perturbationem apud alias gentes, & opus Christi. quorum causa de solo uno Christo complectendo in eius Euangilio com-*

pro-

probabitur quoque in Concilio, ut comprobata  
fuit causa eadem illorum qui fuerunt martyres.

Cateri vero mortuorum non resuixerunt. Difficilè est hęc exponere ante tempus suum. verūm ali-  
quid dicendum est quod fert tempus præsens.  
per reliquos mortuos, quamuis aliud signetur, vi-  
demur etiam illas gentes intelligere quæ credi-  
turæ sunt, & adhuc manent in morte, non cre-  
dentes, donec per prædicationem Euangelij re-  
nascantur credentes, siue reuiuiscant nobiscum  
eternam vitā consecuturi. *Hæc est resurrectio prima.*  
Cūm exsuscitandi sint è mortuis, & perducendi  
in cælestē regnum fideles, oportuit ut priùs in  
mundo per fidem resurrexerint in nouam vitam.  
*Beatus, & sanctus.* Donabitur enim æterna vita,  
eaque erit firma his qui *habent partem in resurrec-*  
*tionē prima.* hoc est, qui credentes Euangeliō  
resurrexerint in nouam vitam in Christo. *In his*  
*secunda mors non habet potestatem.* Mors & diabo-  
lus non habent potestatem in illis, ut deducantur  
à se in stagnum ignis, & sulfuris. *Sed erunt sacer-*  
*dotes Dei, & Christi.* Qui ergo crediderunt Euan-  
gelio dum concilium habebitur Christianorum,  
persistent in cultu Dei, & Christi, donec perdu-  
cantur ad bella gentium, quando & apud illas  
exsuscitandi sunt credentes, qui deducātur in vi-  
tam Christi, videant regnum & cultum Christi  
constitutum in toto orbe. *Et cūm cōsumati fuerint*  
*mille anni, soluetur.* Post mille dies à cōstituto statu  
Euāgelico in toto populo Christiano, gētescēt,   
quæ dicētur in Ezech. 38. & 39. cōmóuebūtur, ut  
bello nos inuadant, qui erimus castra sanctorum,  
& ciuitas

& ciuitas dilecta. Et descendit ignis de celo. Quod  
igne perdendi sint illi impij, & aliæ gentes, diffi-  
cile est affirmare: illud sit firmum, Christum osten-  
surum se Deum exercituum contra illos. Ezechiel  
pluribus hoc factum exponit cap. 39. De mille  
annis, quod in ipsis intelligendi sint dies, non plu-  
ra dicam: quia non in mille annos videtur pro-  
ducenda finouata Ecclesia, & regnum Dei, nisi  
post mille annos alia signarentur. ut quadraginta  
dies Ioræ ducti fuerunt in annos.

*Et Diabolus qui seducebat eos.* Hic existimo  
opoitere intelligi breuiter esse comprehendam per-  
turbationem futuram inter gentes: & forte non  
intelligendum est, ut venturæ sint in Europâ præ-  
terquam certò tempore; sed dum inter illas præ-  
dicabitur Euāgeliū, atq; bello adorientur om-  
nes apud se credentes Euangelio: ut eandem per-  
turbationem concident bellicam inter se, quæ fuit  
inter nos antè, quounque modo fiat (nam euen-  
tus rem ostēdet) perdendi sunt non credentes, &  
credentes permansuri superstites. atq; ita Diabo-  
lus, qui concitauit ad bellum non credentes, &  
bestia, reges gentium, & nationes quæ fuerunt si-  
ne Christo: & pseudoprophetæ, & Sacerdotes  
Mahometici, & alij, mittentur in stagnum ignis,  
& cruciabuntur die ac nocte in secula seculo-  
rum. *Et vidi thronum magnum.* Prædicatio Euau-  
gelica vicit impios in toto mundo, & Christus ex-  
titit illorum quoque victor, & Dominus. atque ita  
ad Euangelicos peruererūt omnes illorum regio-  
nes. & iccirco dicitur: Vidi thronum magnū. quia  
Christus in omnibus terris coletur, & ipsius unius  
erit

erit vnum solum regnum iustitiae. *A cuius conspe-*  
*cione fugit terra, & celum.* Per terram intelligo im-  
 pios reges, & omnes pugnantes armis: per solem  
 sacerdotes Mahumeticos, & similes pugnates ver-  
 bo: qui omnes & virga ferrea Christi, & verbo Eu-  
 angelico victi inuenientur: ut omnes tyrannici sta-  
 tus, & omnes falsae religiones aboleantur. *Et videtis*  
*mortuos magnos, & pusillos.* Hic locus, qui & cap.  
 12. Danielis inuenitur, est difficilis. verum si quæ-  
 dam alia intelligenda sint, puto & illud nos cognoscere debere. omnes qui non fuerunt hoc tempo-  
 re, & similiter peccauerunt; nec crediderunt in in-  
 ferno similiter subituros permaneant, ac ij qui nunc  
 non crediderunt, ac impiè vixerunt: quorū omniū  
 facta & opera sunt in conspectu Dei, ac si in libro  
 præscripta sunt omnia. *Et aliis liber apertus est,*  
*qui est vita.* Similiter & qui præteritis temporibus  
 crediderunt, pieque vixerunt, præmio donabūtur  
 à Deo, vt præmio affecti sunt qui nunc credide-  
 runt, & viatores contra impietas Satanæ euase-  
 runt. *Et indicati sunt mortui.* Ut dixi, secundūm ea  
 quæ egerūt in vita. *Et dedit mare mortuos.* Per ma-  
 re existimō h̄ic intelligendos esse illos, qui in Ec-  
 clesia secundūm Euangeliū, ac Dei verbum vi-  
 xerunt, per mortē, & infernum, impios, dare mor-  
 tuos, existimō indicari illos patet fieri, vt ne vnu  
 quidem absconditus sit Deo: singulaque eorum  
 opera esse in conspectu Dei, & perscripta. *Et iudi-*  
*cati sunt unusquisque secundūm opera ipsorum.* Pij,  
 & impij. *Et infernus, & mors.* Satanas, Diabolus,  
 & angeli eius, & quicquid afferebat hominibus  
 mortem, & infernum, coniecti sunt in stagnum  
 ignis,

ignis, ne vlt̄a regnent in mundo, ne vlt̄a seducat homines, & abducent à Christo. *Hac est mors secura.* In stagnum ignis, & sulfuris conjici. *Et qui non est inuenitus in libro vita scriptus.* Ut Satanas, Diabolus, & omnes mali Spiritus coniecti sunt in stagnum ignis, ita & omnes impij in idem stagnum dicūtur coniecti; quique non sunt inuenti scripti in libro vita.

*Argumentum in Caput 21.*

Inno(uatio) orbis, nouus status Ecclesiasticus & politicus in una noua Ecclesia, & in uno nouo regno Christi, complectente totum orbem, describitur. *Et vidi celum nouum, & terram nouam.* Cūm sient omnia quæ antè dicta sunt, ecce apparebit, & extabit status nouus ecclesiasticus & politicus, sedente Christo in throno magno, & candido, ut paulò antè dictum est; subactoque statu Papistico, Mahumetico, & aliis.

*Primum enim celum, & prima terra abiit.* Enersus est totus status primus ecclesiasticus Papæus, & Mahumetica impietas: status item tyrannicus qui fuit apud Christianos, & apud gentes, ac nationes sine Christo. *Et mare iam non est.* Non sunt iam balenæ Papææ, non tyranni inimici Christi in orbe, posuit Deus terminum mari, ne exurget operire terram: frena infecit impiis, ne vlt̄a quām ipse velit, pios affligerent: nunc omnes sustulit. Hæc exposita sunt in Prophetis, & p[re]terim cap. 65. Isaiae: vbi quoque dicitur: *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam;* & non memorabuntur priora. Cognolce & ibi in cælo & terra statum futurum Sabbathismi in terris, quia illum

illum describit deinde in terris: cognosce & in  
Petro idem, qui cælos vocavit statum hominum  
ante diluvium, ut intelligas quando ait, & cæli  
qui nunc sunt. item, sed cælos nouos, & terrā no-  
vam secundum promissionem expectamus, in qui-  
bus iustitia habitat; nouum pariter statum mudi.  
Et hoc cum quis nouerit, videbitur deinde qua-  
tere, vnde, & quare dicti sint noui cæli. Ego quod  
videtur, in medium afferam. Creatus fuit homo  
ad imaginem & similitudinem Dei in terris, ut  
apud Deum patrem obtineret æternam vitam in  
cælis, ac interea dum vita in perpetua peregrina-  
tione ducenda esset in terris; viueret, sentiret, &  
ageret quæ sunt filiorum Dei, quæ cælestium; ve  
esset cum cælestibus cælestis. quod videtur signi-  
ficare Paulus, qui ait: Conuersatio vestra est in  
cælis. item, Non estis hospites, & aduenæ; sed ci-  
ues sanctorum, & domestici Dei. item, Vita vestra  
abscedita est in Christo. quod enim propositum  
est nobis, propositum fuit & ipsi Adamo. & quæ  
capite primo huius libri, & capite primo Gen.  
diximus de Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto,  
de septem spiritibus qui astat ante thronum Dei,  
& talia; erant sua contemplatio: in hac erat suum  
opus: ut in terris agens, versaretur in cælestibus:  
ageret quæ sunt cælitum. vnde & in ipso, & in uxo-  
refuit tunc Ecclesia: in qua viuentes ut cærites, &  
Deum in se ferentes, sub nomen cæli venit sua  
Ecclesia. Et hoc ostendebatur dum ductus fuit  
Adamus seorsum ab aliis terris in hortum, in pa-  
radisum voluptatis, ut viueret, & ageret cum cæ-  
lestibus cælestia: conspiraret cum Angelis, & cu-

omnibus creaturis ad Deum laudandum, ad pera-  
gendum opus & munus à Deo sibi datum, ad ei vni  
parendum. quæ tandem faciemus in nouis cælis, &  
noua terra, vt monemur in postremis Psalmis. nam  
quod tunc fiet, semper debuit esse factum ab homi-  
ne quando fuit Ecclesia. Ne autem abduceretur ho-  
mo ab hoc consensu, & conspiratione cum omni-  
bus cælestibus & terrenis creaturis obediendi Deo,  
& eum laudandi, vetuit Adamo Deus illa, ob quæ  
potuisset recedere à sua obedientia, & à suis laudi-  
bus. recessit autem homo, vt nouimus; amisit quæ  
obtinebat bona. desierunt tunc Adam & Eua esse  
cælum; facti sunt terra inanis & vacua: tenebris  
obscuratum fuit cor mortaliū, qui consecuti sunt.  
tandem desierunt esse cæli illi, qui tum erant inun-  
dato aquis mundo, vt ait Petrus. reuocat verò ite-  
rum Deus hominem ad se, ad cælestia, per nouam  
regenerationem, quæ fide perficitur. dicit homi-  
nem per septem tempora, & septem operationes  
sui sancti Spiritus: dicit per tres status Circunci-  
sionis, Baptismatis aquæ, & Baptismatis spiritus;  
vt reuocetur ad eadem quæ proposita fuerunt ini-  
tiò Adamo. In his autem quæ sunt septem statum,  
& trium statuum, vidimus cap. 1. Genesis, & 1. hu-  
ius libri cursum Ecclesiæ extitisse secundùm exem-  
plar cursus cæli aspectabilis, & ad exemplar Hie-  
rarchiæ supercælestis. vt omnino Ecclesia Dei for-  
tita sit nomen cæli, vt probatum est cap. 1. Genesis.  
Verùm postquam status politicus constitutus fuit  
post persecutionē martyrum; vt Adam & Eua ob-  
tinuerint hortum Christi, adfuit tentator, qui per  
Antichristum abduxit nos ab obedientia Dei, &  
extra

extra hortum voluptatis. Vnde adeſt nūc iudicium  
in igne, & gladio: vt tollatur & consumetur ſtatus  
præſentis temporis ecclesiasticus & politicus: præ-  
fertim mare, in quo natant ceti immanes, & bale-  
næ vaſtæ Ecclesiasticorum. Et hic ſtatus mundi eſt  
primum cælum, & prima terra, quæ abiit. Cæli au-  
tem noui, & terra noua videntur eſſe ſtatus noui,  
in quo eieſtus erit Satan, ne vlrà tētet & abducat  
homines à Dei obedientia: non vlrà erit Antichri-  
ſtus, & tyranni. erit ipſe Deus, qui retinebit nos in  
hiſ in quibus debuit perſeueraſſe Adamus, & Eccle-  
ſiaſtici cum toto populo. quemadmodum retinuit  
ſpiritus Angelicos in officio, ne vlrà eſſet cauſa  
ejiciendi illos à ſe, & à cæleſti ſcede; ita continebit  
nos, ne vñquam à ſe recedamus. Quod dum fiet,  
obtinebitur à nobis ſpiritus Dei, & dona ſpiritua-  
lia. vt memorat Iоel cap. 2. obtinebuntur & tem-  
poranea, vt narrat Iſaias cap. 65. ſub nouis cælis, &  
in noua terra regnabit iuſtitia, & pax. in hiſ erit  
innouatio quæ narratur à Prophetis: erit in hiſ  
quæ deinceps hīc narrat Iоannes. Et hēc dicta ſint,  
cur Ecclesia dicta ſit Cælum nouum, & terra no-  
ua. nunc reliqua breui perſequamur.

*Et ego Iоannes.* Qui de præteritis, præſentibus,  
& futuris; de Patre, Filio, & Spiritu sancto: de ſeptē  
Eccleſiis memorat, colligit hīc vnu in locum ope-  
ra Dei ab initio vique ad finem in paranda ſibi vna  
Ecclesia. quæ omnia ut ſibi demonstrata ſunt, ſic  
nos illa videbimus oculis noſtris.

*Sanctam ciuitatem.* Eccleſiam in Christo sancti-  
ficatam. Nouam. aliam ab ea quæ fuit in Papismo.

*Descendentem ē cælo.* Spiritualem, ſiuē à Spiritu

*Sancto perfectam.* *A Deo paratam.* Prædestinata, creatam, innouatam, sanctificata, perfectam, ornatam veluti à patre sponsam, quæ tradenda sit viro suo. Itaq; quam prædestinavit & paravit iam ante mundum Ecclesiam futuram, hanc creavit ab initio, & in statu primo; formauit in secundo, perfecit in tertio. innouavit, ornauit, sanctificauit, ereptam è Papatu, eductam ex infidis depulsis ex omnibus terris aduersariis & impiis: quæ tradatur Christo soli eam obtinenti: quæque non nisi fides è Christo deinceps Christo pariat.

*Et audiui vocem magnam è throno.* Ab Euangeliis prodiit hæc vox, & à Christo, qui dixit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. item, Accipite regnum paratū vobis à constitutione mundi. item rogat Patrem, vt in se sint qui crediderūt: & talia. quæ cùm in cælis obtinebuntur æterna, habebuntur & in terris, cùm fiet id quod sequitur.

*Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habbit cum illis.* Pater, Filius, & Spiritus sanctus erūt semper in Ecclesia, & in omnibus fidelibus. vt in primo capite Ezechielis in iride significatum est. atque ubi erit Deus, ibi erunt omnia bona. Et hinc fiet, vt sancti & firmi iam futuri sint homines, quia sedem suam habebit cum hominibus Deus, habbit in illis: cognoscetur secundus aduentus Domini in spiritu, qui sit Deus, in quo sit Pater, & Spiritus sanctus.

*Et ipsi populus eius errunt.* Non autem Papæ, non alterius tyranni, & vicissim Deus erit cum eis eorum Deus. *Et absterget Deus omnem lac.* Amovebit omnia mala præteriorū statuum dum fuimus sub

sub tyrānide Esau, qui haētenus dominatus est do-  
mināte Papa, & aliis tyrānis. *Quia prima abierūt.*  
Status Esau, qui durauit vsq; ad hoc tempus, quart  
do incipit status Iacobi, vt dictū est in Eſdra, finem  
iam habebit. *Et dixit qui ſedebat in throno.* Hoc ad-  
ditur, vt ex verbo Dei ſimus certi de nouo statu  
beato in hoc mundo etiā. quia quæ Euangelistæ &  
Prophetæ dixerunt, ſunt verba Dei. & forte hoc  
tempore habebitur adhuc verbum Dei ad expoſi-  
tionem verbi haētenus dati. atq; adhuc erimus ma-  
gis certi, quod ipſe ſit qui faciat noua omnia: ergo  
non illa mutanda ab aliqua creatura. quia contra  
Deum nulla eſt vis, nulla potestas: atque Deus non  
mutatur, vt homo. *Et dixit mihi.* Et addidit Deus,  
*Scribe.* Quod ratum futurum eſt, & vt memoria  
horum verborū ſit æterna. *Quia hæc verba fidelia  
ſunt, & vera.* Præſtabo quod dixi me facturū om-  
nia noua; & vt dixi, ita fiet. Papa mentitus eſt: nec  
quicquam effecit eorum quæ promiſit. *Et dixit  
mihi.* Attulit argumentum, vt certi ſimus de inno-  
uatione rerum omnium, & *de* beata vita poſthac  
futura ſub regno Christi. ter poſitus eſt Dixit, vt  
antè verſu tertio ter poſitus eſt Deus: quia tres  
ſunt qui testimonium dant in celo, Pater, Filius, &  
Spiritus sanctus. & his repetitionibus nominis  
Dei, & verbi Dixit vtitur, vt hæc mysteria reco-  
gnoscamus in Prophetis. qui ſedet in throno dixit,  
vt intelligas Patrem facientē & creantem omnia,  
in eoque eſſe fidelem Filium, & verum Spiritum  
sanctū. & qui dixit, Scribe hæc verba, fidelia ſunt,  
& vera; ſit verbum Dei, qui vera locutus ſit in Pro-  
phetis per Spiritum sanctum, & per ſe ipsum dicit-

de. & qui dixit , Factum est, sit idem filius Dei adueniens in Spiritu, quo perficiat omnia denuntiata, & promissa.

*Factum est.* Hoc est, quod dixi , capite primo Gen. factum est omne. dixi, sit lux, & quæ sequuntur. vt dixi, quæ eram facturus in septem ætatibus mūdi. vt dixi, inquam, sic facta sunt , & iam sumus in ètate septima, & ecce Sabbathismus. in quo cefatur à primis operibus sex priorum ætatum, & fit quod est ingressus in septimam.

*Ego sum æ&a, principium, & finis.* Dictum est initio quid hæc signent. nunc satis est vt dicamus Christum esse , in quo creata sunt omnia, effecta omnia ab initio ad finem mūdi usque . ergo in quo creata sunt omnia , & per quem effecta omnia quæ hactenus vidimus , in ipso eodem creabitur, & per ipsum perficietur, & conseruabitur status sui regni beatus semper.

*Ego sicuti.* Ergo qui ab omnibus hactenus est expectatus beatus status , gratis à me habebitur, ait Christus, in meo Euangelio promissus: non pretio dabitur , vt sub Papatu . dabo deinde ego æternam vitam in cælis itidem gratis. Interea ait Christus, dum adhuc pugnatur cum Satana , & Antichristo, cum omnibus impiis, *Qui vicerit, hæreditate accipiet omnia, & in terris, & in cælis.*

*Timidis autem.* Refugientibus certamen, & non credentibus, &c. parata est mors secunda in stagno ardenti igne, & sulfure.

*Et venit ad me unus è septem Angelis .* Qui prædicantes Euangelium afferebant plagas non credentibus, ac illorum statuum euersionem , nūtiant & pro-

& proponunt à Christo credentibus beatam vitam, quam habebunt in eius Ecclesia. & hæc hic ostenditur. *Et sustulit me in spiritu.* Duci in spiritu, est omnes sensus corporeos sopiri, ac solo spiritu vide-re, & sentire. in montem magnum & altum vide-tur ductus, ut melius contempletur totam ciuitatem: & significatur in altissimis montibus Legis, & Euangelij, & Prophetiæ spiritu contemplari opor-tere hanc ciuitatem, atque ibi illam descriptam inuenire. *Ciuitatem magnam.* Ecclesiam ex toto ter-rarum orbe. *Sanctam.* In Christo à Patre per Spi-ritum sanctum sanctificatam.

*Hierusalem.* Additur hoc nomen, ut ex his quæ continentur de Hierusalem, & eius templo in veteri Testamento, contemplemur hanc nouam & magna Hierusalem, Ecclesiam ipsam, quod hæc in illa fuerit significata & a lumbrata.

*Descendentem è calo.* Hoc sæpè repetitur, ut scia-mus tandem à Deo creatam, innouatam, perfectam, & ornatam Ecclesiam hanc nouam tertij status.

*Habentem gloriam.* Quod Deus omnia in illa egerit in salute prestanta contra peccatum, mor-tem, Satanam, Antichristum; quod à Deo præde-stinata & electa fuerit: quod Deum in se sit semper habitura.

*Et lumene eius simile lapidi, &c.* Hac similitudine existimo significari Ecclesiam futuram sine tene-bris sex ætatum priorū, quæ continebantur luce, & tenebris, ut vidimus cap. i. Gen. atque eius lu-cem futuram non qualencunque; sed Christi Ie-su Filij Dei agni immaculati: & nos cognituros thesauros diuinitatis in ipso, & participes futuros

Iuminis ipsius, ac vitæ. *Et habet murum magnum,*  
 & altum. Hæc omnia, quæ dicuntur, mihi viden-  
 tur referenda & ad verbum Dei, & ad Ecclesiam.  
 vt muri sint fideles, quibus constat Ecclesia, & ut  
 doctrina Ecclesiæ, in qua est hæc constituta, ma-  
 gnus est h̄ic murus, quia Ecclesia dilatatur per  
 omnes terras: altus, quia Deo iungitur, & Angelis  
 suis. omnes aspirant in Ecclesia ad cælum, & ad  
 Deum, vnde sunt educiti. *Habebat portas duode-*  
*cim, & in portis Angelos duodecim.* Ponuntur duo-  
 decim Angeli in duodecim capitibus filiorum  
 Israël, hoc est, omnium credétiū propter inno-  
 uationem per Dei verbum, quo regenerati sunt  
 omnes credentes. cuius verbi ministerium tribu-  
 tum est duodecim Prophetis, quia per apertam  
 Prophetiam, quæ est de Israëlitis, oportet ingredi  
 in interpretationem ciuitatis, quæ continetur in  
 sacris literis, & credentes cognosci esse ipsam ci-  
 uitatem. *Et nomina inscripta, quæ sunt nomina duo-*  
*decim tribuum filiorum Israël.* Repetitur nomina  
 propter ingressum gentium in duodecim tribus  
 per eadē fidem; vt fides, & promissio porta intelli-  
 gatur, qua omnes ingrediātur in ciuitatem sanctā,  
 & in ea hanc ciues sanctorum, & domestici Dei.  
*Ab oriente porta tres.* Distributio videatur in Eze-  
 chiele, & alibi. Existimo non nominari tribus hic;  
 sed generatim de omnibus fieri mentionem, vt una  
 compactio credétiū in vna Ecclesia intelligatur.  
*Et murus ciuitatis fundamenta habens duodecim.*  
 Ut sis in Ecclesia, oportet vt ex ea sis factus verbo  
 Euangelij, quod prædicarūt duodecim Apostoli.  
*Habebat mensuram arundineam auream.* Prædica-

tio Euangeliij, quod est virtus Dei, est mensura, qua quisque censetur in Ecclesia, qua stabilitur in illa, qua sit cum aliis vnum in illa. aurea autem est arundo, seu mensura, quia ad rationem spiritus renovatur cuiusque fides, & cultus, quo Spiritu veniat in eandem mensuram cum aliis, vt cum aliis sis eiusdem Ecclesiae, vna Ecclesia.

*Et ciuitas in quadro posita est. Habebis in te illa* quatuor quæ dicta sunt requiri in fidelibus futuris Christi in præfatione in Exodum. eris firmus & constabilius in Ecclesia Christi, ac certam feceris tuam vocationem.

*Et longitudo eius tanta est, quanta latitudo. Ob-*tinet æqualiter extrema quatuor partium mundi. fidelesque producentur simul omnes in possessionem promissam: in uno cultu Spiritus, qui est in Christo Iesu, perfecti omnes in Christi corpus venient.

*Et mensus est ciuitatem arundine aurea. Quia pre-*dicatio Euangeliij, secundum quam diximus commensuratos fideles in corpore Ecclesie, occupabit, quantum ciuitas illa est; & illa tanta erit, quantum progredietur prædicatio; progredietur autem prædicatio ad quatuor usq; extremas partes mundi, & in his mensurabit ciuitatem Dei: nec erit in hac mensuratione quicquam præter Dei ciuitatem, *Per stadia duodecim millia.* Ut sunt quaque ex tribu duodecim millia signati, ita mensuratio erit duodecim millium. quia vero ciuitas est quadrata, & ex quaque parte mensuratur secundum longitudinem, & altitudinem, & latitudinem, erunt stadia centum quadraginta quatuor millia.

**Vnde infertur:** Et mensus est murum eius centū quadraginta quatuor cubitorum. Deducit verò Ioānes numerū stadiorum ad numerum cubitorum, ut existimo, quia sub typo ciuitatis intelligitur Ecclesia duodecim tribuum, sub pariete homo.

**Mensura hominis, quæ est Angeli.** Existimo hoc esse additū, ut significetur id, quod dixi, animum effet traducendum à ciuitate ad Ecclesiam, à muro ad hominem, à corpore ad spiritū. ut non solum conuertamus animum à terra ad hominem; sed & ab homine carnali ad hominem spiritualem. prima Hierusalem fuit terrea, secunda fuit caro, quando Christus suscepit carnem nostram, & fecit ut in homine habitaret Deus. tertia erit tota Spiritus. ut in Christo filij Dei efficiamur, non in parte solum, quod factum fuit in Apostolis, & in credentibus in Ecclesia Apostolica; sed fieri & in omnibus, seu ex omnibus qui erunt in mundo vna Ecclesia spiritualis in Filio à Patre per Spiritum sanctum. vnde prima Hierusalem fuit diruta terrena Iapidea; item secunda reuocata in Papismo ad solidam carnem: tertia spiritualis erit æterna ducta à latitudine, & longitudine in suam altitudinem.

**Et erat structura muri eius Iaspis.** Quod dixi, videtur hīc exponi dum per Spiritum sanctū significatur structura ciuitatis, quæ est aurum rūndum in Christo vero, & mundo auro Dei filio.

**Similis vitro mundo.** In Christo iustificata. nam per Spiritum sanctum intelligimus omnes fideles in Christo factos Dei filios in vna Ecclesia lauatos, & mundatos à peccato per sanguinem eiusdem Christi, in quo tandem inueniuntur iustificati,

cati, & sanctificati. hanc sententiā expressit Paulus illis verbis: Etenim per vnum Spiritum omnes in vnum corpus baptizati sumus , omnes in uno Spiritu combibiti.

*Et fundamenta muri cinitatis omni lapide pretioso ornati.* Ait Paulus , neminem posse aliud fundamentum ponere , præter id quod positum est , quodque est Christus Iesus . alibi vero ait , fideles fundatos super fundamentum Apostolorū & Prophetarum . & paulò antè dixit Ioannes , in duodecim fundamentis esse signata nomina duodecim Apostolorum . dicitur autem hic , fundamenta esse ornata omni lapide pretioso . vnde tria fundamenta videntur , Christus fundamentum , Apostoli fundamentum , Lapidés pretiosi fundamentum . Amotis multis verbis , vnum fundamentum est Christus , quod prædicarunt Apostoli ; quodque prædicatum ab Apostolis , interpretationibus , expositionibus , amplificationibus clarum , planum , apertum , lucidum factum est ab his qui linguis , qui spiritu valuerunt : qui verbo , qui sanguine suo , qui vitam profundendo illud testati sunt in mundo . Hæc omnia tribuuntur Apostolis in his duodecim lapidibus pretiosis , & omnibus ad duodecim tribus pertinetibus , qui in eodem Euangeliō laborauerunt deinceps post Apostolos . signant autem hi duodecim lapides virtutes filij Dei signatas in verbo illo quatuor literarum **תְּהִלָּה** ter repetito à Mose , ut in Ephodo vidi- imus . quas virtutes consignauit & impressit Christus in duodecim Apostolis , in duodecim tribubus filiorum Israel . & hoc quoque ostendit Paulus , vbi agit in epistola prima ad Corinth . de donis & munieribus

neribus datis fidelibus , atque in ipsis impressis , in Ecclesia consignatis per Spiritum sanctum . quod vero lapides pretiosi addantur a praedicatoribus , & ab interpretibus , docuit Paulus ubi ait : Quod si quis superstruat super fundamentum hoc aurum , argentum , lapides pretiosos ; ligna , fenum , stipulam , cuiusque opus manifestum erit . quod quidem fieri nunc : atque solum aurum , & argentum , & lapides pretiosi remanebunt , aliis ab igne absumptis . Plura de lapidibus pretiosis dicent alij .

*Et duodecim portæ.* In doctrina Apostolica lapides diuersorum generum positi sunt . in portis ponitur tantum margarita ad ornamentum . quia , ut existimo , in Prophetia una simplex narratio , & pura expositio rerum requiritur que euenerunt , ut ante fuerunt nuntiatæ . multiplex autem mysteriorum tractatio , & varia explicatio mihi videtur esse doctrinæ Apostolicæ . vnde Paulus inculcat se loqui quæ mysterio ante secula fuerunt tradita , quamvis mutuas sèpè sibi præbcent operas , & Apostoli Prophetica , & Prophetæ Euangelica tractent . hi more Apostolico concionentur , illi more Prophetico promittant , & minentur . Et quoniam per Prophetiam habetur ingressus ad interpretationem & ad mysteria , singulæque portæ sunt ex singulis margaritis ; significatur hoc tempore præsertim per Prophetiam nos ingredi oportere in interpretationem scripturarum , quando nouus status mundi adferatur nobis per Christum , & perpetua pax . nam cap . 54 . Isaiæ margaritæ ponuntur pro uno statu perpetuo , qui futurus sit in regno Christi perpetuæ pacis . & hæc est una illa pretiosa margarita nunc quærenda

renda à nobis. In platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Per plateam locum communem omnibus, existimo signari fideles, qui non habent ministerium in Ecclesia. qui significantur futuri in Christo concorporati, imitaturi ipsum in tota vita: non iam mores retinentes Satanæ, & impiorum, qui antè, & toto tempore Papistico fuerunt. vt mores, ita sermones innouabuntur: vt & in plebe fiant, & audiantur seria, & quæ Christi sunt referant. Et quia infrà dicitur, Sedes Dei & Agni futura, signatur & iustitia, & veritas quæ erit deinceps in iudiciis, dum erit regnum Christi. *Perlucidum.* Leges Dei erunt planæ & apertæ, elucidato Mose.

*Et templum non vidi in ea.* Vbiique est Deus: qui ait Ierem. cap. 33. Ego sum qui cælum & terram impleo. Vbiique ergo adorabitur Deus, & Christus Iesus, qui complet vniuersum mundum, in quo sumus omnes. vnde ait Deus Isaiæ 66. Cælum est solium meum, & terra scabellum pedum meorum: quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? aperiatur quid signatū sit in toto tabernaculo. erit quisque templum Dei, vt ait Paulus, quem laudabimus, & gloriosum prædicabimus spiritu & mente, sermone & voce.

*Et ciuitas non eget Sole, neque Luna.* Non erit vltra magistratus Papisticus, non tyrannicus, non leges Papææ, non cultus.

*Nam gloria Domini illuminat eam, & lucerna eius est Agnus.* Vterque magistratus ecclesiasticus & politicus dirigeretur à Deo patre, & à Christo Iesu, vt quæ vera, quæ iusta & recta sunt agantur, &

admi-

administrentur in suo populo. Et ambulabunt gentes quæ seruata fuerunt in lumine eius. Populus superstes erit institutus, & comparatus, vt intelligat & agat in regno Dei quæ erunt populi Dei. vnde erit mirus consensus inter magistratus & populum in his quæ agi ab utrisque oportebit: erit studium, & benevolentia, & charitas mutua.

*Et reges terra afferent gloriam suam in illam. Gloria regum non solum Christianorum; sed & gentium aliarum erit, vt veniant in Ecclesiam quæ descenderit è celo: in qua erunt gloriosi in administratione regni Christi: inglorij remanebūt qui secus facient. Et porte eius non claudentur per diem. Non iam erunt tot custodiæ, & præsidia ad arendos hostes. Nox enim non erit illic. Non erunt tenebre, quæ fuerunt antè filiorū Esau, pugnantium & diripentium aliena: non illa superbia, non illa auaritia, non alia.*

*Non intrabit in eam quicquam inquinatum, & quod quæ execranda sunt faciat; & mendacia sibi proponat. Qui habet aures audiat.*

*Nisi qui scripti sunt in libro vite agni. Hinc Ps. 15. Quis requiescat in monte sancto tuo? qui ingreditur siue macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, & operatur iustitiam: qui nō detraxit lingua sua: qui iurat proximo suo, & non decipit. idem habes in Isaia capite 33. & Psal. 24.*

*Argumentum in Cap. 22.*

Administratio in Ecclesia innouata, & in regno Dei constituto qualis futura sit significatur. concluditur vera futura quæ in hoc libro nuntiantur.

In fine Apolypsis monentur omnes, ut interea iuste, ac pie viuant, dum Christus expectatur secundò, & iterum venturus, qui finem apportet malorum, ac vitam æternam. nam nihil aliter, nihil minus eueniet eorum quæ dicta sunt, quam ut dicta sunt à Ioanne.

*Et ostendit mihi fluminum purum. Illud nouisse oportet, quod antè in multis locis, & hinc dicitur, sedē Dei, & agni futurum in Ecclesia: iccirco omnem administrationem Ecclesiæ memoratae in superiori capite futuram Dei, ac Iesu Christi deinceps semper eandem. Vnde dicitur hinc flumen aquæ viue splendidū tanquam chrystallū egressum è sede Dei, & agni. quia Spiritum suum dabit Dominus cum virtute magna, scientiam & cognitionem: dabitur sapientia in administranda Ecclesia, ut vera, & iusta decernantur: regnabit tum iustitia & veritas semper. ut quæ statuerint in regno Dei nullā sint reprehensionē habitura. erit tanquam chrystallum hoc flumen, quia omnia in regno Dei erunt, ut dixi, vera & iusta; & quæ statuetur non habebūt difficultates, & questiones inexplicabiles, ut haec tenus habuimus. Spiritus sanctus instruet omnes, dabitque studium & facultatem, & vires, ut quæ sancta & iusta cognoscentur, peragātur, & perficiantur. In hac cognitione, & opere, erit quoque vita æterna: in quam per eundem Spiritum inducemur. his promissionibus pleni sunt Prophetæ, quas quisque in ipsis videre poterit, ut cognoscat tandem eandem esse Apocalypsis Prophetiam cū his quæ alij Prophetæ ante aduentum Domini in carne nuntiarunt.*

*In medio plateæ ex utraque parte fluminis lignum.*  
 In platea, hoc est, in foro iudicali, in magistratu politico non proponetur mots, non erit hasta polita, non insigne tyranni, & Papæ: sed vita proponetur, & Christus redemptor, ac saluator. hoc ergo erit institutum omnium, qui administrabunt regnum Dei, & Ecclesiam, ut Christus in omnibus dominetur, ut quisque Christo pareat; ut quisque particeps est regni Dei, ac æternæ vitæ. Erit verò in platea arbor vitæ, & ex utraque parte fluminus: quia & administratores status populi Christiani id intuebuntur; ut omnes subjiciantur Christo, & Christum sequantur, eiusque regno fruantur. non imitabuntur Adamum, non Papam, qui ederunt lignum situm in medio Paradisi, ac se Christos fecerunt: non alios, qui tyrannidem appetierunt; ederunt lignum scientiæ boni & mali; voluerunt se loco Dei esse, prescribere diuinum cultū, & omnem rationem vitæ Christianæ. ministri iá verbi, & reges administrates regnū Christi, quæ Christi sunt agent ipsi, & propONENT eadem aliis: ut utrique simul obtineant æternam vitam. *Afferens fructus duodecim.* Munera Spiritus sancti; dona, & facultates signatae in duodecim lapidibus, de quibus dictum est antè, & hic in fructibus arboris, vim suam & opus ostendent in Ecclesia docendo, interpretando, hortando, differendo, administrando, contemplando, caritatem colendo, & alia omnia agendo in quibus eluceat opus Spiritus sancti in omni opere, & in tota vita in singulis.

*Per menses singulos reddēs fructum suum. Vbi diciti sunt fructus duodecim, debemus intelligere generatum*

ineratim in omnibus fructus debere existere, qui  
veniunt in numerū duodecim tribuum. in singulis  
autem mensibus intelligerem ego ministros Chri-  
sti quoconque tempore administrarint regnum &  
Ecclesiam, debere curare vt suum opus appareat,  
extensisque fructus suæ administrationis. sint mini-  
stri tanquā in zodiaco, in cingulo Christi, vt quam  
quoquo tempore cuique iplorum Sol Christus in-  
fluet virtutem, illam diffundant omnibus in duo-  
decim partibus ampli cæli, & Ecclesiæ totius orbis:  
vt & qui impertiuntur, & illi quibus communi-  
catur virtus Christi, ferat fructus virtutis sibi com-  
municatae. & hic aduertendum est illud, quod dici-  
tur lignū afferre fructus, quia non nisi qui manferit  
in vite, afferet fructus. & ministri qui sunt cincti  
Christo, videbunt, ne lumbare projiciendum sit in  
aquam, vt marcescat, quemadmodum euenit hoc  
tempore, vt narrat Ieremias cap. 13.

*Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Non solùm  
prædicabunt, & docebunt tunc ministri Christi, ex-  
ponentque verbum Dei pure & sincere, vt à Deo  
est traditum; sed & suo exemplo, vita casta, sanctissi-  
mis moribus plurimūm proderūt populis: vt pre-  
ter doctrinam exempla quoque proponant imita-  
tionis Christi. hæc dicta sint ad historiam exponen-  
dam; alia dabit Christus per alios. illud tamen vide-  
tur quoque ad historiam pertinere, quod quæ dicta  
hic sunt, & fortè etiam quæ in superiori capite sunt  
exposita, sint quoque imagines Ecclesiæ futuræ in  
cælis, & æterni regni, æternæque vite, quam ade-  
pturi sumus in cælis. sed hæc meditari erit temporis  
Ecclesiæ innouatæ,

*Et omne malum non erit amplius. Non Papa, non tyranus, non iniuria, nō mendacium: non erunt; vt infrà dicitur, canes, benefici, impudici, & quæ sequuntur: sed sedes Dei, & agni erit in illa scilicet ciuitate, & Ecclesia. & hic assertur ratio, quare non erit maledictum vltrà: & simul videbimus sermonem esse non solùm de vita æterna; sed & de administratione regni, & Ecclesiæ Dei. & quia deinde sequitur: *Et serui eius servient illi.* Non serui Diaboli, & Satanæ, sed serui Dei, & Iesu Christi administrabunt Ecclesiam eius; colent eius vineam, voluntatem Dei facientes, & ante ipsum afferent suos fructus.*

*Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus suis. Quod Christus futurus sit deinceps nobiscam, & non datus locum vltrà vlli Antichristo, ac tyranno, vt factum est antè, sæpè dictum est in Prophetis. Quare nunc dicuntur, ministri Christi visuri faciem eius, quia iudiciū durabit deinceps semper, atque Christus se ostēdet in puniendo peccata, & in fouendo bonos. deinde cognoscent, afferent se in Christo Dei filios, vt nūquam velint nisi quæ Dei patris sunt, ac Iesu Christi agere: cuius quidem possessuri sint hæreditatē. præsentem semper Deum videbunt in eius muneribus magnis, & multis, & perpetuis erga se.*

*Et nox vltra non erit. Deinde non erunt illæ tenebrae quæ fuerunt antè, vt aut ignorant ipsi diuina mysteria, aut abducātur à malis, & ignarisi. quia non egebunt studio illo vehementi in euoluendis innumeris doctoribus: nec opus habebūt monstratore, ac duce aliquo singulari: quia Dominus suo*

*Spiritu*

Spiritu ipsos illuminabit, ut quæ vera sunt cognoscant, quæ iusta agant: quod regnēt in secula seculorum. *Et dixit mihi, Hac verba fidelia sunt, & vera.* Hactenus visiones sunt expositæ: quæ sequuntur pertinēt ad confirmandam autoritatem libri Apocalypsis. & quia allata est tertia, seu postrema promissio, quæ spectat ad æternam vitam in cælis, illa confirmatur, ut factum est antè cap. 19. & 20. vnde præter verba, quæ dicuntur fidelia, & vera, quod omnino præstaturus sit Deus quæ promisit: & quæ dixit Deus, non possunt esse nisi vera; intelligendum quoq; est Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum promisisse. item, quæ promissiones factæ sunt Abraham, & reliquis patribus: quæ Ecclesiæ Apostolicæ, quæ nunc in Ecclesiæ innovatione, fidelia, & vera esse futura. Et quia Deus est qui promittit, non homo, qui mutetur, & varia condat testamenta, sed quod in primo testamento nobis donauit, donauit & in secundo, donabit iam in tertio. *Et Dominus Deus sanctorū Prop.* Et ut cognoscamus quæ scripta sunt in hoc libro, & promissa, esse verba Dei, dicitur: *Qui ostēdit cæteris Prophetis quæ euenerūt, eundem ostēdīsse hęc seruis suis, quæ oportuit fieri citò.* *Et ecce venio citò.* Et interea promittit filius Dei se citò venturū: atq; beatos pronuntiat, ut dictum est initio libri, eos qui custodiunt quæ in hoc libro scribūtur. *Quod iam Ioannes scripsérat quæ oportuit fieri citò, manifestum est: quia scripsit quæ erant sui temporis, & quæ deinceps usque ad hoc tempus cōsecuta sunt.* quod autem dicatur, Ecce venio citò, & produxerit Christus suū aduentum usque ad hęc tempora, id non debet mouere

quenquam. quia ait Petrus: Vnus dies apud Deum sicut mille anni, & mille anni sicut vnum dies. deinde primum citò una quadam ratione intelligendum est, vt statim fieri cœperint quæ vidit Ioannes: & secundùm progressum temporis nūtiati sint status qui essent futuri in Ecclesia. cùm deinde secundo loco dicitur, Ecce venio citò: ita dicitur, quòd scilicet citius venturus esset Christus, quām homines opinarentur, qui putarūt in extremo die mundi ipsum tantum venturum, ignorantes triplicem eius aduentum. si iam impij cognoscerent adesse nunc Christum, qui ipsos iudicet, vt in stagnum ignis & sulfuris mergantur, quererentur iam nimis citò eum venisse, qui irriserunt haec tenus verba Ioannis, vt etiam citò Ioannis in proverbiū adduxerint; atque dicerént cum Dēmonibus: Quare venisti ante tempus torquere nos?

*Et ego Ioannes, qui audīui, & vidi hæc. Confirmat eadem & suo testimonio Ioannes vera futura quæ scripsit; quòd illa audierit, & viderit sibi ostensa, & nuntiata ab Angelo, vt omnino necesse sit illa fore, ac omnia credi oportere.*

*Et postquam audīuissim. Repetitur quod dictum est cap. 19. de adoratione Angeli, qui tam fausta & diuina nuntiarit. vt bis confirmet idē, ne quis post hac audeat permettere, vt adoretur ab hominibus, vt cogebat omnes Papa se adorare: & ne quis homines adoret, vt fecerunt Papistæ, cùm ne maiores quidē Angeli adorari debeant. audiat Papa & Papistæ: Cecidit Ioānes, vt adoraret ad pedes Angeli; & id prohibetur. tamen ad Papæ pedes procumbitur, & adoratur: qui est seruus, & vocat se seruum,*  
*& serui*

& serui prohibentur hic adorari, sed solus Deus. Quantum ad Ioannē attinet, ego quidem existimo eum nouisse non oportere adorare Angelos; & si non nouisset, debuit nouisse postquam primò fuit ab Angelo admonitus. verū multa Prophetis dicuntur, ostenduntur; agunt, & dicunt ipsi dum in Spiritu ducti sunt, quæ sunt præter eorum sententiam, & cognitionem. illa verò vident, dicunt, & agunt, vt in illis aliquid nobis significetur, & demonstretur. vt Oseæ dictum est: Accipe vxorem fornicariam: item, vt diligeret mulierem dilectam amico. Deum adora. Id repetitum est voce magni Angeli. & verba hæc ab omnibus intelliguntur, & contrà sit à multis.

*Ne obsignaueris verba Prophetie huīus.* Et si multa fuerunt obscura in Apocalypsi, tamē quæ in hoc capite, & in superiori dicta sunt, fuerunt magna ex parte aperta. quia nouerunt omnes sermonem esse de Ecclesia, & regno Dei.

*Tempus enim prope est.* Non erunt omnia obsignata, quod videatur summa rerum debuisse esse aperta. quia citius quam putarent homines debuit adesse aduentus Christi secundus.

*Qui iniuria afficit.* Et si in aliquibus fuit obscuritas, tamen quæ hic dicuntur, minimè fuerunt obsignata; non ullis velaminibus tecta; sed clarissimis verbis nuntiata, vt omnes interea debuerint esse moniti, & qui dederunt se ad onerandum quosque iniuriis in sua tyrannide, ad perfruendum turpes voluptates in flagitiis, vt fuit studiū, ac vita pluriū: & qui iustè, casteque in fide Christi suscepta sibi vivendum statuerunt; Christum nuntiasse citius se

venturum, quām eorum futura esset opinio: atquē  
hos antequam suspicarentur, à se mercedem pietatis,  
& constantiae suscepturnos: illos alia omnia co-  
gitantes poenas scelerum & iniuriarum datus.

*Ego sum a & o, principium & finis, primus & nouissimus.* Primum dicamus eum qui sit a & o, intelligi verbum quo creata, effecta, & denuntiata sunt omnia omnibus temporibus: eum qui sit principium & finis, intelligi Spiritū sanctum, per quem effecta sunt omnia omnibus temporibus in creaturis, ac verbo denuntiata & narrata: eum qui sit primus & nouissimus, intelligi Patrem, qui per Spiritum sanctum in Filio creauerit omnes creature, effecerit omnia omnibus temporibus. Verūm quia verbo creata, effecta, & nuntiata sunt omnia omnibus temporibus: atque in Filio est Pater & Spiritus sanctus semper, dicet Filius: Ego sum a, & o; principium, & finis; primus, & nouissimus. ut quam beatam vitam promittit seruantibus mandata sua, certi h̄i sint per ipsum se illā adeptiōes, deinde dicamus, quod propositum fuit initio huius libri, concludi h̄i c in fine per hæc tria attributa, nullum aliud futurum iudicem, recturum orbem, largiturum eternā vitā, quām eum, in quo sunt omnia, creata sunt omnia, constant omnia: qui est æternus, ante quem nemo fuit, nec post se quisquam erit: qui fecit omnia, & nuntiauit: qui perfecit omnia ab initio usq; ad finem: cum quo nec Satan, nec tyrannus, nec Papa, nec Antichristus venit comparandus. Capite primo huius libri quædā dicta sunt de his tribus attributis quæ dantur Filio, qui sit a & o, principium & finis,

primus

primus & nouissimus . h̄c verò tum illa videntur  
concludi quæ in eo capite , & in toto libro dicun-  
tur , tum illa quæ de Beresith , Bara , Eloim posita  
sunt initio primi capitulū Genesis . vt quæ ibi de  
Filio , quæ de Patre , Filio , & Spiritu sancto dixi-  
mus , nūnc cognoscamus in Christo , habeamus in  
Christo . nam quod tribuitur ei qui est & a , vt  
sit principium & finis , vt sit primus & nouissimus ,  
recognoscimus , & habemus in ipso & Spiritum  
sanctū , & opus Spiritus sancti ; ac omnia quæ per-  
acta sunt ab initio creaturarū , & Ecclesiæ , usque  
ad finem postremum eorum : recognoscimus , &  
habemus in ipso Patrem , & opus Patris , à quo ut  
omnes omnium temporum creati sunt homines ,  
ita credentes facti sunt filij Dei , ab initio tempo-  
rum usque ad finem temporum . cognoscimus  
ergo h̄c nos habere Patrem , Filium , & Spiritum  
sanctum , & quæ illorū sunt in uno Christo . quod  
quidem vt magis pateat , & concludas adhuc quæ  
capite primo Genesis diximus de rotis , adverta-  
mus dum quod tribuitur Spiritui sancto , vt sit  
principium , & finis operum Dei in mundo , & in  
Ecclesia , tributum est Filio ; etiam Spiritui sancto  
tribui , vt sit a & a , primus & nouissimus . item  
quoniam in Christo omnia creauit Pater , ac Pa-  
tri tribuitur creatio omnium , qui creauit omnia .  
Pater , erit quoque primus omnium , & in Christo  
perficiet opus creationis omnium : eritque pariter  
Pater a & a , principium & finis . & haec magis  
infrā patebunt . Dum iam ita attributa communi-  
cantur , & mutua sunt Patri , Filio , & Spiritui san-

eo, possunt quæ de Patre, Filio, & Spiritu sancto deduximus per tres rotas ductas ex duplicatis tribus literis ק ב ר, h̄ic assumi, & concludi. atque ex Alphabeto Hebræo, Græco, & Latino ducere easdem rotas variè. deinde tandem trés rotas in tribus Alphabetis in vnam iridem Ezechieli cap. primi reuocare. quod quidem cuique facere licet: atque omnia quæ dicta sunt capite primo Bibliorum, conducere & concludere in postremo, assumptis simul his quæ dicta sunt in antepostremo, hoc est, in superiori capite. vt tandem noscamus quænam habeamus in Christo, & quisnam sit Christus noster &  $\alpha$  &  $\omega$ , qui nunc nobis loquitur, & promittit beatitudinem. Ut verò facilius h̄ic concludantur quæ capite primo Genesis proposita sunt, & capite primo huius libri, contemplemur rationem, si possumus aliquam, quare Ioannes usus sit attributis illis tribus, præsertim hoc, Ego sum  $\alpha$  &  $\omega$ ; ac səpius repetiuerit. Cūm dixit Christus, unus apicem non prætereundum, quin omnia fiant: in apicibus videntur aliqua significata, non solùm in literis separatim, in coniunctis, atque in ipsorum ordine; vt non sine magna ratione videatur h̄ic Ioannes repetiuisse, Ego sum  $\alpha$  &  $\omega$ . Et quamuis non mihi sit certa scientia in his literis, tamen video in uitari & duci h̄ic à Ioanne, & forsitan alibi in contemplationem earum, atque eorum quæ in ipsis in aliquibus locis signantur. Et quod in certis literis aliquid signari dixerim capite primo Genesis, id video fecisse auctoritate etiam Patrum. nam di-

ius Hieronymus scripsit de his certa quædam.  
Quod verò in toto ordine literarū aliqua signen-  
tur, id certum nobis esse debet ex aliquibus Psal-  
mis Dauidis: in quibus ex ipsa materia quæ in  
ipsis tractatur, possumus videri nos posse con-  
templari, quidnam ordo ille literarum nobis in-  
dicet. ut scilicet quoniam literis verba fiunt, &  
verbum est Dei quo facta sunt omnia; in ordine  
illo literarum cognoscimus omnium generum  
formatum fontē manare à verbo sancto, in quo  
& creata sunt omnia, & peracta omnia in omni-  
bus à condito mundo ad finem mundi usque. ut  
præteream per verbum sanctum Dei exposita esse  
omnia in omnibus sacris libris: verbum sanctum  
locutum semper in Dei seruis ab initio usque ad  
finem Ecclesiæ sanctæ creatæ & perfectæ in Dei  
regno. ac dum hæc cognoscimus in verbo sancto,  
eadem debemus nouisse in Patre, è quo prodiit  
verbum; & in Spiritu sancto, per quem perficitur  
omne Dei verbum, & opus. Ut verò hæc contem-  
plemur, attendamus in tribus linguis darum esse  
nobis verbum Dei, primùm & maximè Hebræa,  
Græca, & Latina. ex quibus extitit inscriptio su-  
per caput Iesu Christi in cruce pendentis: quod  
Iesus esset Deus, & homo; Dei filius, in quo esset  
Pater, & Spiritus sanctus. vnde Hebraicè scribe-  
batur Iesus Nazarenus: qua lingua data est Lex,  
& quæ sunt veteris Testamenti: scribebatur Græ-  
cè, qua lingua tradita sunt quæ pertinent ad no-  
num Testamentum: scribebatur Latinè, qua lin-  
gua aperiuntur in Ecclesia innouata quæ sunt ve-

teris & noui Testamenti, vt Hebræa videatur tri-  
buta Patri, Græca Filio, Latina Spiritui sancto.  
vt quemadmodum Filius dicitur & a, ita Pater  
**¶** & **η**. (nam in Psalmis aliquibus ab **¶** ad **η** ex-  
currit) ita debeat duci Spiritus sanctus A & Z.  
Alphabeta sunt quidem distincta, vt distinctio  
trium personarum est in diuinis. sed quia est vna  
sententia in his tribus linguis, vnū Deum Patrem,  
Filiū, & Spiritū sanctū intelligimus in vna essen-  
tia. itē distincta, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.  
& tamen operante Patre, operatur Filius & Spi-  
ritus sanctus: operante Filio, operatur Pater & Spi-  
ritus sanctus: operante Spiritu sancto, operatur Pa-  
ter & Filius. arq; ita efficitur vt vnū sit opus Patris,  
Filij, & Spiritus sancti. Et hæc quidē quāuis ha-  
ctenus contéplati simus multis modis, nunc eadē  
contemplamur non in literis quibusdā, vt fecimus  
in Beresith, Bara: non in formis literarum, vt fecit  
Abbas Ioachimus in Decacordo; sed in toto Al-  
phabeto. primum Alphabetū est Hebraicū **ב**, **נ**,  
& quę sequuntur vsq; ad **η**. Græcū A, B, vsq; ad **Ω**.  
quę Alphabetata contraria distinguuntur ordine,  
ita **ב**, **נ**. A, B. vt Hebraicum à dextera produ-  
catur ad laeuam; contrā Græcum à laeuia ad dexter-  
am. Latinum sequatur Græcum. In hac distribu-  
tione contemplamur distinctum opus, & con-  
iunctum, & vnum Patris, Filij, & Spiritus sancti.  
distinctum quidem, quia lingua Hebræa scriptum  
est vetus Testamentum, & opus Patris. atque ita  
Alphabetum Hebræum perducitur usque ad ad-  
uentum Christi: & ibi secundum certam ratio-  
nem

nem finit opus scriptum lingua Hebræa. sequitur opus Filij scriptum lingua Græca. perfectis his quæ sunt operis linguae Hebrææ, & Græcae, adest opus Spiritus sancti in secundo aduentu Domini, dum narrat lingua Latina euenta, quæ sunt nuntiata rerum futurarum: aperit scripta in Lege, & Evangelio, & Prophetis, mysteria repetens omnia in duabus superioribus linguis à suis initiiis. Et hæc dicta sint in distinctis tribus linguis de distincto opere Patris, & Filij, & Spiritus sancti. videamus iam quomodo sit coniunctum opus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, dum in contrario ordine Alphabeti Hebræi, & Græci, ¶ & A veniunt in unum locum, se complectuntur, alter in alterum ingreditur, & unum fit aliud, siue utrumque fit unum. ut dicat Christus: Ego & Pater unus sumus: Pater operatur, & ego operor: Pater in me operatur: Pater in me loquitur. Ethic magna ratione videtur esse factum, ut contrario ordine scribantur literæ Hebrææ, & Græcae. ut cognoscatur idem Filius cum Patre, Pater cum Filio. ut qui venit filius Dei in medio temporum, per coniunctionem ¶ cum A, & ingressum vius literæ in aliam, positis Alphabetis uno post aliud, cognoscatur, inquam, in Filio Pater, & opus Patris in opere Filij. Ac ut extenditur Græcum Alphabetum à medio usque ad finem, percurrente à laeva ad dexteram, continuatum nouimus opus Filij à tempore sui primi aduentus usque ad finem temporum. contrà in Alphabeto Hebræo, dum ¶ quod fuerat principium, fit finis; fit in opere Patris

Patris recursus à tempore aduentus Filij ad initium temporum. Quia verò & A coniunguntur Alphabeta, currit totum Alphabetum Hebræum in totum Alphabetum Græcum: & contrà recurrit totum Alphabetum Græcum in totum Alphabetum Hebræum, ut in omni opere Filij à primo suo aduentu usque ad finem, currat opus Patris: & contrà in omni opere Patris ab initio temporum, fuerit opus Filij. Et hac ratione Alphabetum Hebræum dum unum statum Circumcisisonis complectebatur, per coniunctionem cum Græco excutit per omnia tempora baptizatorū. Similiter Alphabetum Græcum dum Baptismum complectitur, ducit quæ sunt Baptismatis ab initio operis Patris, per illa quæ in Hebraica literatura respondent Baptismati. Hanc iam commensurationem duorum Alphabetorum comprehendentium quæ sunt omnium temporum ab eorum initio usque ad finem, commetitur Alphabetum Latinum. quod assumit & separatim opus Patris, dum Alphabetum Alphabeto metitur: assumit separatim opus Filij, dum pariter Alphabetum Alphabeto metitur: comprehendit simul, ac in unam mensuram conductit quæ sunt Alphabeti Hebræi, & Græci: suo opere complectitur opus Patris, & Filij Spiritus sanctus, dum commensuratur Alphabetum Latinum cum Hebræo, & Græco: atque ab initio temporum ad finem temporum agit idem Spiritus sanctus: atque omnibus temporibus agit Pater & Filius per Spiritum sanctum. Dum verò tres mensuræ in unam equantur,

tur, atque in vnam conducuntur, tria Alphabetata in vnum veniunt. vt ex his adsit tibi exemplar distinctionis personarum, & vnitatis essentiæ diuinæ: distincti operis, & mutui operis Patris, Filij, & Spiritus sancti. & qui sit  $\alpha$  &  $\omega$ , sit & principium ac finis, primus & nouissimus: qui sit principium & finis, sit  $\alpha$  &  $\omega$ , primus & nouissimus: qui sit primus & nouissimus, sit  $\alpha$  &  $\omega$ , principium & finis. Hæc tenentes, nouimus nos in Christo habere Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: nos posse in tribus Alphabetis concludere, quæ exposita sunt in capite primo Genesis de tribus rotis: ducere illas tres rotas in tria Alphabetata, & tria Alphabetata in tres rotas; posse concludere quæ in vniuersa scriptura tradita sunt omnia: atque tandem cognoscere, vt dixi paulò ante, quisnam sit Iesus Christus: qui ait nunc nobis per Ioannem:

*Beati qui seruant mandata illius.* Ioānes loquitur, qui factus conscius consilij Dei, & rerum futurarum, monet omnes, & prædicat beatos illos, siue nuntiat illos beatitudinem cōsecuturos, qui seruarint mandata Christi, crediderint, & dileixerint. hæc non sunt obscura. apertè prolata sunt ab Angelo, confirmata à Christo, inculcata iam à Ioanne. qui etiā proponit præmia pietatis, & pœnam flagitiorum, inquiens:

*Vt sit potestas. Foris autem canes.* Ut sit potestas iungendi se Christo, vt eius æternæ vitæ sint participes. *Et per portas intrent in ciuitatem.* Videant intercæa apertam Prophetiam, & sint superstites in magna

magna tempestate orbis: ingrediantur in statum Spiritus sancti, in regnum Christi, in innouatam Ecclesiam; sint in illa liberi: obtineant promissionem illam, ut diu viuant super terram, quam Dominus datus est nobis; & alia quæ consecuturi sunt fideles, maximeque spiritualia, & æterna.

*Fores autem canes.* Hic describuntur Papistæ sanguinarij, & eorum imitatores, qui redierunt ad vomitū, ut ait Petrus, & facti sunt denuò impia gentes, ac etiam deteriores quam fuerant antequam cognoscerent Christum. benefici fuerunt, veneno necantes homines, atque in doctrinis dæmoniorum inuolentes, & per dentes populum Christianum. impudici fuerunt prohibito matrimonio se in omni genere turpium libidinum cötaminantes: fuerunt homicidæ combusédo pios viros: studuerunt idololatrię, ut ipsi adorarentur adorantes alios diuites, in dignitate constitutos, & potentes: lapides deinde, ligna, signa, & imagines omnium generum: adamarunt fraudare, decipere, mendacio obtinere quicquid concipiuerent. foris dicuntur expelli, ut intelligantur Papistæ illi qui hæc egerunt, & qui illos imitati sunt, expellendi iam ab Ecclesia, & regno Christi.

*Ego Iesus misi Angelum meum.* Ego existimo postquam acta fuerunt, & scripta, quæ hactenus dicta sunt, & ipsum Christum post opus sui Angeli ostendisse se, & confirmasse sua præsentia, & suo ore, se misisse Angelum suum, qui illa ostenderet.

*Ego sum radix, & genus David.* Pollicetur hic se præstatum omnia quæ ostensa sunt: ac se ventrum,

rum, qui omnia perficiat. quia ipse est radix, hoc est filius Dei, semen è quo Adamus, & omnes credentes creati & geniti sunt. de qua re dictū est cap. I. Matth. ipse est genus Dauid, ad quem pertinet regnum mundi : in quo regnabimus & nos perueniunt in eo ad vitam aeternam.

*Stella splendida, & matutina.* Est lux illa, de qua dictum est, Sit lux: & de qua dixit Ioannes: In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. de hac luce, & stella splendida dictū est ibi: nunc verò illam, quanta sit, videbimus, dum venerit afferre nouum statum mundi totū lucis, amotis tenebris sex dierum, ac succedēte Sabbathismo, in quo lux tantum erit solo Christo rege regum regnante cum Deo patre, & in nobis dominante. existimo Christū vocare se hīc stellam, quod hēc Prophetia Apocalypsis esset nunc aperienda, quando videmus initia illustria aduentus Christi toto tempore perturbationum Gallicarum, præsertim orta stella noua anno 1572. dum cædes fiebant Euangelicorū in Gallia. dicitur Splendida, quod in toto orbe auditur, quidnā agat Christus verbo, & armis, dum secundò adest, dum rex regū iam aderit, cui ministrabunt quicunque erunt reges in terris: primas omnes in omnibus rebus ei deferent. dicitur Matutina, quod diem incipiat nobis afferre salutis, & libertatis: extrahere nos è vi, & tenebricoso statu Papistico.

*Et spiritus, & sponsa dicunt, Veni.* Hīc videtur extitisse chorus, vt solet fieri aliquando in visionibus: vt Deus, siue Christus se ostendat, loquatur, & agat, & det seruis suis Spiritum suum. qui Spiritus in ipsis nosccns quæ sunt Dei, pro ipsis respondeat,

deat, & agat cum ipsis quæ sunt secundum opera,  
 & verba Dei. atque ita ipsi respondeant, & agant  
 aliquid. & sic circò dicitur: Spiritus, & sponsa dicunt.  
 idque sit, quando res est aliqua, quæ maximè ad to-  
 tum publicum statum pertinet. ut hic sit, dum agi-  
 tur de Christo venturo, & iudicatu mundum,  
 innouaturoque Ecclesiam, allatum nouum statum  
 mundi beatum, & regnum Dei constitutum. Spi-  
 ritus ergo dicit, qui est iunctus spiritui nostro, siue  
 etiam Angeli, & chorus Angelicus, & sponsa Ec-  
 clesia, veluti in choro dicentes, siue canentes, & ea-  
 dem respondentes clament, *Veni.* Siue per haec ge-  
 sta coram Ioanne cognoscamus nuntiata, quæ nunc  
 sunt: atque Spiritum in Prophetis, seu Spiritum  
 Dei in piis viris secundum illud: Spiritus interce-  
 dit pro nobis; dicere Christo, *Veni*, ut liberes nos  
 ab Antichristo. & ita singuli, & vniuersi loquantur  
 de aduentu Domini singulis horis: promissiones  
 aduertant in Prophetis: illas firmas retineant: ac  
 certi de illis iam facti magno cum gudio dicant,  
*Veni.* Et qui audit, ~~dicat~~, *Veni.* Alię gentes hic mi-  
 hi videntur signari post Christianos annuentes ad-  
 esse Dominum, quod & ipsae cum audierint pre-  
 dicationem Christianorum, & Ecclesie, quod Christus  
 ad se venerit, dicant credentes, *Veni:* ut fiant  
 gentes quoque sponsa. Et simul filij Ecclesie, qui  
 quotidie nascetur omnibus feculis audientes pra-  
 dicationem patrum, credentes omnes deinceps di-  
 cant, *Veni.* verba quæ sequuntur indicant has sen-  
 tentias. quia dicitur:

*Et qui sinit.* Qui cupit beatam vitam, cupiat ip-  
 sum Christum: qui cupit ipsum Christum, ipsum  
 acci-

Accipit, & ipse dat se gratis, dat in se vitam eternam & beatam gratis, non pretio, ut docuit Papa, Pelagius, & Pharisæus. nam dum dicitur, Qui cupit; intelligitur vox prædicationis, quæ ostendit beatam vitam in Christo, & inuitat omnes, ut dicant Veni: ut credant, & accipiant gratis.

*Si quis apposuerit.* Vniuersus mūdus non faciet, quin hæc vt nuntiata sunt, non agantur. qui præter verbū Dei aget, peribit; qui ei non parebit, peribit: non obtinebit quæ donabūtur in innouata Ecclesia.

*Dicit qui test.* Cōtestor vos, inquit Ioannes, hoc futurum: atque iterum contestor. Spiritus sanctus in Ioāne testatur Patrem, & Filium, quæ dicta sunt, futura vera. in re maxima solet fieri huiuscmodi comprobatio, repetendo, & testando, quod verum futurum sit. vt illud Pauli: Quemadmodum antè diximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis Euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. possunt & illa verba, Dicit qui testimonium perhibet istorum, tribui Christo. vt postquam testatus est ipse Ioannes, dicat **¶** Christum ipsum id dicere, & confirmare.

*Ecce venio citò.* Quocunq; modo interpretatus fueris, omnia sunt vera. & ita variè solet alludere Prophetia, ut multa ostēdat, quæ inter se non discrepēt. Illud autē est hic vno modo intelligēdum, quod Christus pollicetur se venturum: & iterum fit chorus, vt Christus dicat, Etiam venio citò. venit enim citius quām opinati sint homines. Dum dicitur **Amen**, existimo chorū Angelorum ex auditum à Ioanne, qui clamarit, Amen: & confirmauit omnino Christum citò venturum. Ioan-

nem

nem verò similiter respondisse ad verba Christi,  
& dixisse: *Etiam veni, Domine Iesu. In hoc capite*  
*ter dictum est de aduentu Christi. aduertendum*  
*ergo erit, an trinus aduentus significetur. Ter di-*  
*cum est de malis puniendis, ac de piis premo  
afficiendis, ergo trium statuum homines subiuri  
sunt iudicium Christi. Si quae sunt alia mysteria,*  
*videbunt alij in innouata Ecclesia. Quantum ad*  
*historiam attinet, illud videtur aduertendum,*  
*quod qui erat, & est, petitur ut veniat. ille quem*  
*multis modis diximus signatum in בראשית, qui*  
*est ante omnia, in quo facta sunt omnia, petitur*  
*ut veniat, concludat quae locutus est in sanctis*  
*scripturis; perficiat, & compleat quae cœpit, &*  
*fecit: in se complectatur Ecclesiam totam, & in*  
*se beatam faciat; quam è se eduxit, procreavit, &*  
*auxit. Domine Iesu dicitur, qui ita cœpit dici*  
*capite secundo Gen. in Iehoua Eloim, cum signi-*  
*ficabatur redempturus nos à morte.*

*Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus*  
*vobis. Amen.*

Dum tempus est messis, & in aream inueniuntur quas pro se quisque collegit segetes, Matt. 13. dum tempus est iudicij, ut per ignem probetur cuiusque opus, & materia quae comportatur ad ædificandam ædem Domini, 1. Cor. 3. dum tempus est ut oblationes offerantur coram Tabernaculo, non autem alibi, Leuit. 17. ego quidem vocatus ad opus collegi in agro post messores, erui è terra, adduxi oblationem ad aream, ad iudicium,

dicium, ad tabernaculum Domini. Erit iam Angelorum Dei secernere triticum à paleis, & zizania, si quæ inerit: obtinentium munera Spiritus, examinare pretiosum, & permanens: Ecclesia Christi, iudicare quæ erunt secundum rationem diuini cultus, & fidei Catholicæ. Erit verò meum, cum ut minimus ē populo locutus sim, expectare iudicium maiorum, & Ecclesiæ veræ Catholicæ: nec quicquam per me velle esse firmum, & constitutum, nec in hoc libro, nec in omnibus aliis. Ecclesia ergo coacta hæc examinet, de his decernat & statuat. ac tu, Christe Iesu, quæ tua sunt, suscipe; quæ mea, rejice.

## FINIS.

## Errata.

Pag. 33, lin. 7. pro qui, lege quæ. 43,2. ostendi, ostendit. 66  
 20. nec, ne. 81,26. altero, alterum. 92,1. dele esse. 110,19. infinita, infinita. 120,3. dele quod. 121,32. Primum, ,primum.  
 126,30. alij, alia. 133,5. dele le. 171,21. semine, semini. 188,31. renasceremur, renasceremur. 216,22. vniuersalis, vniuersus. 232,  
 22. Prophetas: Prophetas appetunt. 316,21. progredienti, progredi-  
 dientis. 317, II. Antichristum, Antichristicum.

1723396

卷之三